UNIVERSITARIA
BIBLIOTECA ALESSANDRINA
N
i
30
ROMA

Digitized by Google

Ni 30
N 30

SYSTEMA BRAHMANICUM


LITURGICUM MYTHOLOGICUM CIVILE
EX MONUMENTIS INDICIS
MUSEI BORGIANI
VELITRIS

DISSERTATIONIBUS HISTORICO - CRITICIS

ILLUSTRAVIT

FR. PAULLINUS A S. BARTHOLOMAEO
CARMELITA DISCALCEATUS
MALABARIAE MISSIONARIUS
ACADEMIAE VOLSCORUM VELITERNAE SOCIUS

213
Nm



ex aere

5 MAG. 00
BIBLIOTECA ALESSANDRINA

ROMAE
APUD ANTONIUM FULGONIUM
CIƆ IƆCC XCI

PRAESIDUM ADPROBATIONE

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM

Nihil mihi antiquius, nihil tibi, erudite lector, gratius accidere poſſe exiſtimabam, quam ut ex India orientali redux exoticarum quaſi lautitiarum aliquid proferrem, quo peregrinarum doctrinarum avido tuo animo ſatisfacere, ſimulque de te bene mereri poſſem.

Ipſa officii mei ratio me ad frequentiſſima in Indiis itinera, atque ad arctam & pene aſſiduam cum gentilibus communicationem urgebat, ut ſive inter chriſtianos & gentiles, qui in Malabaride civili vitae vinculo promiſcue coniuncti habitant, naſcentes ſimultates ſupprimerem, ſive in litem delapſa religionis negotia dirimerem, ſive eccleſiarum chriſtianarum iura vindicarem, ſive aliquos a gentilica ſuperſtitione eximerem, ſive denique ut cavillationibus aliquorum adminiſtrorum ratione & auctoritate reſponderem.

Ad hoc munus rite obeundum, me etiam tacente, iam intelligis, non ſolum linguae Indicae exquiſitum ſtudium, non ſolum iurium & conſuetudinum diſtinctam notionem, ſed etiam in recondita gentilicae religionis myſteria ſedulam diſquiſitionem, in libros Indicos acre examen, atque diligentem animadverſionem neceſſariam fuiſſe.

Imprimis itaque cum vulgaris linguae Malabaricae iam probe peritus eſſem, nihil mihi antiquius erat, nihil in anima, ſenſuque meo altius defixum haerebat, quam ut ea omnia, quae ſingulis diebus obſervaveram, videram, audiveram accurate in palimpſeſtum, ac inde in diarium referrem. Deinde haec ipſa regeſta examini ſubiiciebam, inter ſe conferebam, de dubiis & obſcuris peritiores viros conſulebam, ſpuria a legitimis, falſa a veris diſtinguebam, reconditam rerum originem, genuinam verborum ſignificationem indagare omnibus viribus adlaborabam.

Verum quia certiſſimis & apertiſſimis indiciis compereram, abſque ſacrae & litteralis linguae Samſcrdamicae peritia & admini-

Digitized by Google

miniculo, me nec ſcopum attingere, nec errandi periculum declinare poſſe, in huius linguae ſtudium omnem conatum contuli, conquiſitis undique melioribus libris Indicis, & adhibitis praeſtantioribus magiſtris, quos in ora Malabarica inter gentiles licuit reperire.

Horum virorum conſuetudine, uſu, colloquio, familiaritate, arduo nec intermiſſo ſtudio, & conatu id tandem aſſecutus ſum, ut grammaticam Samſcrdamicam omnium difficillimam perdiſcerem, vocabularium Brahmanicum Amaraſinha dictum ipſe ſine errandi periculo interpretarer, aliqua poemata epica legerem, ac pleroſque gentilium codices diſtinguere, atque ex ſacro idiomate in aliud vertere poſſem.

Grammaticam Samſcrdamicam anno elapſo ex typographeo S. Congregationis de Propaganda Fide iam edidi. Nunc vocabularii Brahmanici Amaraſinha dicti praecipua capita profero, ut Indicis rebus, quae hactenus in diuturna obſcuritate latuerant, ex genuinis Brahmanicis codicibus aliquid lucis affulgeat, & ariolantium commenta tandem aliquando evaneſcant.

Duae itaque potiſſimum ſunt cauſſae, quae me ad hoc opus elucubrandum impulerunt. Prima: ut ex hoc claſſico Brahmanico codice nugigeruli, morologi, ardeliones, arioli, linguae Samſcrdamicae imperiti viatores Indici Angli & Galli, aliique temerarii Indicarum rerum veteratores corrigantur, refellantur, caſtigentur, ſomnia denique eorum & ineptiae, quibus totam repleverunt Europam, pellantur, & diſſipentur. Altera: ut morem gererem Eminentiſſimo Cardinali Borgiae viro de litteraria republica optime merito, & omni laudum encomio cumulando, qui mihi huius opuſculi edendi auctor, et opportunus dux fuit.

Ingens, & locupletiſſima in muſeo Borgiano Velitris toto orbe celeberrimo adeſt monumentorum, praeſertim exoticorum ſupellex. Res mira, nec alibi gentium tam iucundum & proſperum, nec huic ſimile viſum portentum! Si antiquis gentibus, Aegyptiis, Graecis, et Romanis e cineribus ſuis, quibus conſepulti iacent, iterum exoriri, & denuo in lucem prodire liceret, profecto invenirent ipſi Velitris, in quo poſt tot fata, poſt tot annorum ſaecula, poſt mutatam orbis faciem, ſe ſe reco-

gno-

Digitized by Google

gnoſcere, intueri, et admirari poſſent. Habent etiam Arabes, Perſae, Sinenſes, Indi et Tibetani, quod in muſeo Borgiano gratam patriae ſuae excitet memoriam, habent, quod ipſi laudent, admirentur, magni pendant, habent, quo erudiantur & oblectentur.

Nummos Aegyptios illuſtravit praeclarus vir amicorum dulciſſimus Georgius Zoega, chartam papyraceam Graece ſcriptam etc. magnae ſpei iuvenis D. Schow, S. Coluthi acta, et fragmentum Evangelii S. Iohannis Graeco Copto-Thebaicum ſaeculi IV. doctiſſimus P. Georgius, claſſim Volſcam cl. vir P. Philippus Angelicus Becchettius, monumenta Etruſca celeb. Lantius, Cufica numiſmata eruditus Adler, globum caeleſtem Cufico-Arabicum eiuſdem muſei praemiſſa de Arabum aſtronomia diſſertatione in lucem protulit C. V. Simon Aſſemanus, tabulam hoſpitalem ex aere antiquiſſimam expoſuit Iohannes Philippus Siebenkees, fragmentum tabulae marmoreae Graecis inſcriptionibus inſigne produxit Arnoldus Heeren. Longum eſſet dicere de omnibus. Praetereo alios exercitatos ac liberali doctrina politiſſimos viros, qui cetera paucis, ſed non minus ſcite & litterate perſcripſerunt.

Supereſt Indica claſſis illuſtranda, quae ut monumentorum copia & varietate inſignis, ita quoque digniſſima eſt praeſtantiſſima lucubratione. Dum hanc provinciam mihi commiſiſti, tot tantiſque viris accedere me iuſſiſti, Eminentiſſime Cardinalis! Utinam eos eminus ſequi, utinam Tuae de me exſpectationi ſatisfacere poſſem! Audendum tamen eſt mihi aliquid, Tuo praeſertim praeſidio, Tua doctrina, Tua benevolentia, qua omnes qui bonas artes colunt, complecteris, & foves, freto.

Amplectere igitur, amice lector, Indica monumenta muſei Borgiani hoc opuſculo elucubrata. Ex ipſis ſinceris Indicis libris, ex ipſo ſacrae Samſcrdamicae linguae fonte, ex Indica traditione, ex Graeca & Romana auctoritate ea tibi deſcripta exhibeo. Nulla in illis illuſtrandis ars, nullus verborum apparatus, nulla ſermonis elegantia refulget, ſed omnia rudi Minerva, et ut ita dicam nude et aperte traduntur, quia plus ſtabiliendae veritatis amor et cura, quam elocutionis ſtudium et comptum ora-

Digitized by Google

tionis genus me anxium et ſollicitum tenebat. Deinde quaenam facundia in Indico Miſſionario exſpectanda, poſt remiſſa ſtudia, poſt tot itinera et pericula, poſt fractas corporis vires, et, quod rei caput eſt, in tot rerum Indicarum aſperitatibus, in tantis temporis anguſtiis, quae informem, nec ſatis maturum eniti cogunt partum? Ad haec itaque animum adverte, amice lector, et quantulacumque ſit, opellam hanc aequi bonique conſule, ac vale.

FR.

Digitized by Google

Fr. ADRIANUS A S. THERESIA

CARMELITARUM DISCALCEATORUM

CONGREGATIONIS S. ELIAE ORDINIS B. V. M. DE MONTE CARMELO PRAEPOSITUS GENERALIS ET EIUSDEM S. MONTIS PRIOR

Concedimus facultatem, quantum ad nos attinet, typis edendi opus inſcriptum: *Syſtema Brahmanicum liturgicum, mythologicum, civile, ex monumentis Indicis Muſei Borgiani Velitris diſſertationibus hiſtorico-criticis illuſtravit Fr. Paullinus a S. Bartholomaeo Carmelita Diſcalceatus Malabariae Miſſionarius. Romae apud Antonium Fulgonium*. In quorum fidem praeſentes dedimus manu noſtra ſubſcriptas. Romae ex Conventu SS. Thereſiae & Iohannis a Cruce VI. Iulii anno M. D. CC. XCI.

Fr. Adrianus a S. Thereſia Praepoſitus Generalis.

I.M-

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.
Franciſcus Xaverius Paſſari Viceſgerens.

THEOLOGORUM CENSURA

Antiquiſſimae Indicae gentis, quam vocant, ſapientiam non apud veteres modo Graeciae philoſophos, ſed etiam apud hiſtoricos magna exiſtimationis fama exſtitiſſe, quae ab Strabone, quae a Plutarcho, quae ab Arriano, quos ſecuti Apuleius, Philoſtratus, Porphyrius & alii ſunt, monumentis tradita fuere litterarum, ſatis oſtendunt. Sed quoniam in eorumdem veterum ſcriptorum producendis explicandiſque teſtimoniis de Indorum eorumque ſapientum, quos Brahmanes dicunt, placitis variis & inſtitutis, multa in tanta vetuſtate rerum, hactenus dubia, implicata atque obſcura remanebant, quae, quo minus gentis, iam inde ab ultimis temporibus, pluribus ſuperſtitionibus irretitae, ſuaeque diſciplinae tenaciſſimae, mores & ritus recte dignoſcerentur, impedirent; ut doctus vir in eiuſdem gentis ſacris praeſertim libris & ſermone apprime verſatus reperiretur, optandum ſane erat; qui, quae per ſummam quorumdam noſtrorum hominum criticorum aut incuriam, aut inſcitiam, aut audacem de Indorum populorum rebus etiam mythologicis, ſuo lubitu diſputandi licentiam & temeritatem, errorum tenebris obruta fuiſſent, collocare in bono lumine, ipſius gentis monumentorum ope ac praeſidio poſſet. Atque hic doctus vir ille ipſe eſt R. P. Paullinus a S. Bartholomaeo, qui Eminentiſſimi Cardinalis Stephani Borgiae fauſtiſſimis auſpiciis, cuius admirabilis in omni litterarum genere doctrina merito celebratur, id tandem effecit, ut quae ad Indicae gentis inſtituta varia ſpectent, etiam mythologica, ex his ipſis fontibus ornanda illuſtrandaque ſuſciperet. Ad quam ſpartam egregie navandam quid eruditus ipſe ſcriptor contulerit, cuique facile ex libro apparebit, quem inſcripſit: *Syſtema Brahmanicum, liturgicum, mythologicum, civile ex monumentis Indicis Muſei Borgiani Velitris, diſſertationibus hiſtorico-criticis illuſtravit Fr. Paullinus a S. Bartholomaeo, Carmelita Diſcalceatus Malabariae Miſſionarius.* Quum autem in opere quod, iubente Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, maiori qua potuimus diligentia evolvimus, nihil contra ius faſque ſcriptum deprehenderimus; ſingula vero haud vulgari eruditione & ἀκριβείᾳ elaborata, viſa nobis fuerint, eaque illis qui in Indiarum regiones doctrinam catholicam ſint illaturi, multum profutura; dignum idcirco cenſemus, quod litterariae etiam rei Brahmanicae, immo numiſmaticae Indicae incremento publicetur.

Romae in Aedibus Minervae pridie nonas iulias an. 1791.

Fr. Gabriel Fabricy, S. T. D. Ord. Praed., Collegii Caſanatenſis Theologus.
Fr. Philippus Angelicus Becchetti, S. T. D. Ord. Praed., Collegii Caſanat. Theol.

IMPRIMATUR,
Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Praedicat. Sac. Palat. Apoſt. Mag.

IN-

INDEX
DISSERTATIONUM

LITURGIA

DISSERT. I. Yagam ſacrificium ſoli ceteriſque planetis offerri ſolitum. Tab.I. pag. 1
DISSERT. II. Homam holocauſtum ignis. Tab.II. 9
DISSERT. III. Sacrificium Tukam, aliaequae victimae humanae. Tab.III. 13
DISSET. IV. Pidruyagnam ſacrificia pro defunctis. 17
DISSERT. V. Bhudayagua ſacrificium malis geniis offerri ſolitum. Tab.IV. 23
DISSERT. VI. Sacrificium & cultus Lingam. Tab.V. 28
DISSERT. VII. Expiationes, lotiones, preces, peregrinationes. Tab.VI. 35
DISSERT. VIII. Gnánamádyam, initiatio ſeu ad vitam ſapientum traductio. 45
DISSERT. IX. Ciadurásbrama, de quatuor praecipuis Brahmanicis Inſtitutis, & cumprimis de Samanaeis. Tab.VII. 50
DISSERT. X. Sambhavam ſeu geneſis mundi, & rerum apud Indos. 61

MYTHOLOGIA

DISSERT. XI. Deus Brahma. Tab.VIII. 74
DISSERT. XII. Viſhnu. Tab.IX. 79
DISSERT. XIII. Shiva. Tab.X. 85
DISSERT. XIV. Saraſvadi. Tab.XI. 91
DISSERT. XV. Laekshmi. Tab.XII. 93
DISSERT. XVI. Párvadi ſeu Bhavani. Tab.XIII.XIV. 98
DISSERT. XVII. Trimúrti, trinitas Indica. Tab.XV. 105
Eſame di Pinzen. 116
DISSERT. XVIII. An Brahmanica religio a Scythis deſcendat. Tab.XVI. 119

DIS-

Digitized by Google

DISSERT. XIX. *Shrîrâma*. *Tab.XVII.XVIII.* 135
DISSERT. XX. *Krshna*. *Tab XIX.* 146
DISSERT. XXI. *Budha*. *Tab.XX.* 154
DISSERT. XXII. *Decima incarnatio del Vishnu*. *Tab.XXI.* 162
DISSERT. XXIII. *Gaenavadi*, vel *Gaenésha*. *Tab.XXII.* 170
DISSERT. XXIV. *Táma*. *Tab.XXIII.* 177
DISSERT. XXV. *Indra*. *Tab XXIV.* 180
DISSERT. XXVI. *Kímadéva ſeu Cupido*. *Tab.XXV.* 185
DISSERT. XXVII. *Subramannya*. *Tab.XXVI.* 190
DISSERT. XXVIII. *De cultu animalium*. *Tab.XXVII.* 195
DISSERT. XXIX. *Ex praemiſſis conſectaria*. 205

CULTUS CIVILIS

DISSERT. XXX. *Nálevarnnam, quatuor tribus, Brahmanes. T.XXVIII.* 213.
DISSERT. XXXI. *Kshetria, de gubernio & militia*. *Tab.XXIX.* 222
DISSERT. XXXII. *Vayshyer, de agricultura*. *Tab.XXX.* 229
DISSERT. XXXIII. *De uſu nummorum apud Indos*. 237
DISSERT. XXXIV. *Animadverſiones in nummos Indicos, muſei Borgiani Velitris*. *Tab XXXI.* 242
DISSERT. XXXV. *Shudra, de artibus mechanicis*. *Tab.XXXII.* 249
Slogam ſeu ſententiae. 250

ERRO-

Digitized by Google

ERRORES IN TYPUM ILLAPSI

ERROR			CORRECTIO
Pag. 4	linea 11	*dicta*	*dictae*
10	6	*hála*	pála
13	8	*quotidianas,*	*quotidianae*
14	5	*adſiſtere quidem*	*nequidem aſſiſtere*
20	3	*campane*	*campanae*
32	7	*vide tab.* IV.	*vide tab* XVI.
71	2	*mille.*	*millies*
103	9	*unum leonem*	*ſupra unum leonem*
123	22	*ut le terme.*	*ſut le terme*
ibid.	31	*inquirenda eſſe.*	*inquirendam eſſe.*
182	6	*corperto*	*comperto.*

135 poſt hanc *pag.* ſequi deberet *pag.*136.137.138. & ſic conſequenter, ex inadvertentia vero illapſus fuit *num.*134.136., & iterum 136. ac demum 137. Itaque illi qui indicem rerum inſpiciunt, ordinem hunc inverſum fuiſſe animadvertant.

136	15	aquaquaticum	aquaticum
168	30	before Chriſti	before Chriſt.
191	20	& talem	*adde.* uno vultu & 6. manibus
224	22	equi	equos.
227	*in notis*	Macenas	Maecenas

ELEN-

ELENCHUS

LIBRORUM INDICORUM

QUORUM AUCTORITAS IN HOC OPERE AFFERTUR

അമരസിംഹഃ Amaraſinha, vocabularium litteralis linguae Samſcrdamicae. De hoc Brahmanico claſſico libro vide in grammatica Samſcrdamica *pag.* 13.62.63. Anquetil du Perron in Zend Aveſta *tom.* 1. *edit. Pariſ.* 1771. in append. *num.* 110. ſub corrupto nomine *Amarkosh*. Librum *Aſiatick reſearches tom.* 1. *p.* 354. Catalogum codicum manuſcriptorum bibliothecae regiae Pariſ. *num.* 244. *num.* 94. *num.* 42. Indicem huius operis ſub voce *Amaraſinha*.

സിദ്ധരൂപം Sidharùbam, grammatica Samſcrdamica edita Romae anno 1790. Vide diſſert. hiſtorico-criticam ei praemiſſam.

മാഘഃ Mágha, poema epicum. Vide de eo grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 65.66.67.68.

ഭാഗവതം Bhagavadam poema epicum. Vide de eo grammaticam *pag.* 68.69.70. Item eius textum originalem *p.* 171. *& ſeq.*

രാമായണം Rámáyanam, poema epicum. Vide de eo grammaticam *pag.* 70.71. Codices manuſcriptos bibliothecae regiae. *num.* 32. *fol* 434. *& ſeq.*

യുധിഷ്ഠിരഃ Yudhishdira, poema epicum. *Vide* grammaticam *pag.* 71.72.

സംഭവം Sambhavam ſeu പുരാണം Puránam liber geneſis & originum Indicarum. *V.* de eo grammaticam *pag.* 74. Item huius opuſculi *pag.* 61.

ചന്ദ്രോദയം Ciandródayam. *Vide* de eo grammaticam *p.* 175.

Omnes hi codices Indici autographi manuſcripti ſunt. Ultimus exſtat in muſeo Borgiano Velitris, reliquos ego poſſideo, excepto libro Mágha, cuius fragmentum tantum in Indiis obtinere licuit.

LITUR-

LITURGIA

യാഗം

YAGAM SACRIFICIUM

SOLI CETERISQUE PLANETIS OFFERRI SOLITUM

TAB. I.

Soli haec nomina tribuuntur in vocabulario Brahmanico അമരസിംഹം *Amaraſinham* dicto. *Primo* സൂര്യ ſurya. Hoc nomine multi Indici reges inſigniti fuerunt. *Fimala Dermaſuriada* nomen corruptum regis Candy in inſula Ceylan, quod quia ex ſacra lingua Samſcrdamica deſcendit, ut ex hoc vocabulario & ex ſolis nomine a nobis allato patet, primigeniae ſinceritati reſtitutum, ſcribendum eſt: *Vimala Dharma ſûryada*, magnae virtutis ſol (1). Ex hoc regis nomine inſuper evincitur, ſacram linguam Samſcrdamicam in illa inſula in uſu fuiſſe, & hodiedum in rebus liturgicis in uſu eſſe. Progeniem primorum Indiae regum a ſole & luna etiam deducit ſacer Indorum codex *Bhágavadam* dictus (2). *Secundo* ſol vocatur ദ്വാദശാത്മ dvádashádma, id eſt *duodecim zodiaci ſignorum anima*. *Tertio* അഹസ്കര ahaſtara, *diem vehens*. *Quarto* പ്രഭാകര prabhágara, *lucidus*, *lucem vehens*. *Quinto* തരണി taranni, *ſidus*. *Sexto* ഗ്രഹപതി grehabadi, *dominus & maritus ſtellarum*. *Septimo* മിത്ര mitra, *ſol & amicus*. Ubi obſervandum eſt, litteram *h*

(1) Vide *in parte septima Indiae orientalis icones veras variorum populorum & regum, caerimoniarum &c. quibus Georgii Spilbergii & Caspari Balbi navigationes illustrantur*, tab. x. *Francofurti apud Wolfangum Richter anno* 1606.

(2) Vide pag. 160., & 161. libri inſcripti: *Sidharûbam seu grammatica Samscrdamica. Romae anno* 1790.

in hac originali voce non reperiri, ac proinde *Mithra* a Perſis & Graecis ſcriptum, corruptio eſt vocabuli Samſcrdamici originalis (1). Deinde notandum eſt, male ab imperitis criticis redargutum fuiſſe Thomam Hyde, quod *Mithra* vocabulo etiam amici ſignificationem attribuerit. Hanc ſignificationem ei manifeſte attribuit vocabularium Samſcrdamico Malabaricum R.P. Iohannis Erneſti Hanxleden linguae Samſcrdamicae peritiſſimi viri ſub voce Mitra (2). *Octavo* ഹംസ് hamſa, *Cicnus*. Hoc nomen attribuitur cuidam Indico regi in libro Indico *Ciandrodayam* dicto, quem ad manum habeo. *Hamſe* nomen etiam gerebat *deceptor quidam filius Ahmedis e Perſia orlundus, & in pago quodam, Cairi vicino, habitans*, de quo vide *pag.* 109. eruditae diſſertationis in Muſeum Cuficum Borgianum Velitris (3). Hoc igitur nomen Hamſa fortaſſis ex India ad Perſas alioſque pertranſiit. Id ſaltem iure & nomine poſſeſſionis urgere poſſunt Brahmanes, quouſque non conſtet allata nomina etiam linguae Perſicae, aut Aegyptiacae communia aut propria eſſe. *Nono* ആദിത്യ് aditya, quaſi prima creatura ſeu a principio exſiſtens. Ab hoc etiam multi reges Indici denominati, ſic വിക്രമാദിത്യ് Vikramáditya, *exceſſivus ſol*, nomen regis Indici, vide in libro *Aſiatick reſearches pag.* 286. *a Sanſcrit inſcription at Budha Gaya*, ubi ab eo etiam aera quaedam inſcribitur. *Decimo* മാൎത്താണ്ഡ് mártánda *ſol*. Hoc nomine vocabatur anteceſſor hodierni regis Travancorenſis, nempe *Víra Mártánda*, fortis ſol. Plura adhuc epitheta ſol apud Brahmanes habet, quae illius varias qualitates & virtutes explicant, ſed his enarrandis ſuperſedeo. Solis & lunae nomina in ſacra litterali Brahmanica lingua omnia ſunt generis maſculini, quod vide in vocabulario Amaraſinha ſect. *Sorggavarggam* & in grammatica Samſcrdamica *pag.* 118.

Solem

(1) A Mitra Mitridates eſt, & Mitra, quod alii corrupte miſra ſcribunt, etiam multi Brahmanes appellantur.

(2) Vide inter codices manuſcriptos bibliothecae S. Congregationis de Propaganda Fide num. 9. *Vocabulario da lingoa Malavar.*

(3) Muſeum Cuficum Borgianum Velitris, illuſtravit Iacobus Georgius Chriſtianus Adler Altonanus. Romae 1782.

Digitized by Google

Solem & lunam a Brahmanibus coli ex noſtris viatoribus Anglis & Gallis pauci, quod ſciam, obſervarunt, quamquam ipſi mira dicacitate contendant plerique ſe Brahmanum dogmata apprime noſſe, & optime pro ſuo quiſque ſtudio tradere & explicare. Illi, ait Plutarchus (1), *qui cultum deorum nobis tradiderunt tribus formis uſi ſunt, naturali, fabuloſa, teſtimonio legum. Naturalem philoſophi, fabuloſam poetae docent, leges ſuas ſingulae habent civitates. Tota doctrina in ſeptem tribuitur partes. Prima eſt eorum, quae in caelo & ſublimi fiunt, obſervatio. Homines enim coeperunt Deum agnoſcere, cum viderent ſtellas tantam concinnitatem efficere, ac dies noctesque aeſtate & hieme ſuos ſervare ſtatos ortus atque obitus: indeque terram animantia, & fructus proferre. Itaque pro patre caelum, pro matre terram acceperunt, patrem illum, quod aquam inſtar ſeminis effunderet, matrem hanc, quod conciperet & pareret. Cumque viderent ſtellas perpetuo moveri, & in cauſſa nobis eſſe, ut ſolem & lunam contemplaremur, deorum iis nomen fecerunt a curſu dictum. Secundo & tertio loco deos diſtinxerunt in utiles, Iovem ſcilicet, Iunonem, Mercurium, Cererem: & damnatos, Diras, Furias, Martem, quos ut violentos & ſaevos placant ſacris, atque avertunt. Quartum & quintum locum rebus & motibus animi aſſignaverunt; ut amori, veneri, deſiderio, & de rebus ſpei, iuſtitiae, aequitati &c.* Hanc ſententiam cordati ſcriptoris quamvis longiuſculam ideo attulimus, quia ſaltem quoad Brahmanes, eam in decurſu huius opuſculi perfectiſſime vindicaturi ſumus. Videatur etiam Lactantius lib. *divinarum inſtitutionum*, Macrobius (2), qui ex veterum ſententia *ſolem Deo ſimillimum, fontem caeleſtis lucis & ducem, moderatorem, mentem mundi, cor caeli, temperationem mundi, terrenae fecunditatis auctorem, mundi caput & ſatorem, Iovis oculum, omnium vitae auctorem, putredinis cauſſam, ignis elementum vocat.* Hunc eumdem ab Aegyptiis, Chaldaeis, Perſis, Scythiſque ſub varia figura & forma cultum & adoratum fuiſſe oſtendit, & eidem Macrobio adſtipulatur Cle-

 mens

(1) Plutarchus lib. 1. de placitis philoſoph. edit. Pariſ. anno 1572.

(2) Macrobius in ſomnium Scipionis cap. 2. cap. 19. cap. 20. Saturnal. lib. 1. cap. 17. cap. 18. cap. 19. & alibi.

mens Alexand., Curtius, Strabo, aliique, atque ipſe denique ſacer textus (1).

Dum Brahmanes ſoli ceteriſque planetis ſacrificare animo conſtituerunt, quod primum & maximum eorum ſacrificium eſt, യാഗം *yágam* dictum, hoc modo ſe ſe operi accingunt (2). Centum Brahmanes eruditiores deputantur & mittuntur, ut in campo aperto & ſpatioſo locum idoneum eligant & diſcernant, in quo ſacrificium perfici poſſit. Hic dum electus eſt, ex quatuor plagis limitibus certis defixis, multis precibus humum conſecrant, malos genios aqua luſtrali *tírtam* dicta, atque aſperſorio ſeu ramuſculo arboris *máva* alias vulgo mangueira dicta, quae fecunditatis ſymbolum eſt, atque Deae Lekshmi (terrae) ſacra, diligenter pellunt, locum exorgiſant, & purificant more in *yagiurvédam* ſeu in lege de ſacrificio *yágam* perficiendo, praeſcripto. Quae lex ac libri de ſacrificiis tractantes non abſimiles ſunt aliquibus praeceptis in Levitico & Numerorum libro datis, ex quibus haec imitata aut corrupta fuiſſe, contendunt plures Indici Miſſionarii, aliique ſcriptores multi. Loco iam conſecrato erigitur tabernaculum ſeu tentorium ſive ex tela, ſive ex palmarum foliis & ramis confectum, illudque amplum ac ſpatioſum, ita ut ad minus centum Brahmanes magiſtros, qui ad ſacrificii opus peragendum ſpecialiter ſeliguntur, capere poſſit. Adſtantium & ſimul cum magiſtris recitantium Brahmanum numerus ſubinde ad duo millia aſcendit. Quin anno 1787. menſe aprili, dum rex Travancoridis hoc ſacrìficium yágam in florido campo ad flumen *Felra d' Alva* ſito, perfici curaverat, quatuor millia Brahmanum holocauſto adſtiterant. Circa tabernaculum plura ſunt habitacula pro recitantium commodo exſtructa, eaque quadratum ſpatium relinquunt, ut tabernaculum in medio omnibus pateat. In ipſo tabernaculo ſacer adeſt & qua-

(1) 4.Reg.23.4. *Et praecepit ut proiiceret de templo Domini omnia vaſa quae facta fuerant Baal, & in luco Asarae, & univerſae militiae caeli . . . & delevit qui adolebant incenſum Baal & ſoli, & lunae, & duodecim ſignis.*

(2) Confer codicem manuſcriptum R. P. Norberti Capuccini Miſſionarii Pondicerenſis §. *de initiatione Brahmanum*, item manuſcriptum R. P. Iohannis de Brito: *Noticia dos erros, que tem os gentios de Concaõ da India.*

Digitized by Google

& quadrangularis focus *kunda* dictus, ex cuius medio columna lignea prominet, ex cuius ſuperiori parte funiculus alligatus in utramque partem defluit. Funiculum iſtum in utramque partem propendentem, viro duas uxores ducere licitum eſſe, ſignificare putant aliqui, alii vero illum duas legis partes, nempe ***védángam***, & ***védásáram***, id eſt ſubſtantiam & ſpiritum legis, columnam vero *yúbam* dictam, firmitatem legis ſignificare dicunt. Ad hanc mulieres Brahmanicae, quin & ipſi viri Brahmanes ഗുരു *guru* ſuo ſeu magno magiſtro olim peccata ſua confitebantur, quae res nunc in deſuetudinem abiiſſe dicitur. Ad ſacrum focum & circa columnam novem ſpecies lignorum coacervantur, quae novem planetis (tot enim admittunt) conſecrata ſunt. Totidem ſpecies lignorum ſacrificuli manibus tenent, ut concepto igne, & ſurſum tendente, illa in focum iniiciant, atque butyro infuſo vim & vigorem ignis incitent & ſuſtineant. Diſpoſita igitur lignorum ſtrue, perfrictione mutua & celeri ſiccae arboris *araſu* dictae duorum ligni fruſtorum, novus elicitur ignis, ac ſupradicta ſtrues accenditur. Quo peracto in ora Coromandelidis a bubulco, in ora Malabaridis vero a nobili militari viro Nayre aliquo, hircus, aut aries, qui ſine macula eſſe debet, in ipſum circulum ſacrificulorum, & ante aram adducitur (1). Ibi ſuper arietem multae preces dicuntur, quin etiam multa ſecreta verba ad aures animalis inſibilantur, meatus reſpiratorii vi & manu occluduntur, atque aries ſuffocatur, aperto illius ventre iecur extrahitur, quod in tepido lacte lotum, & butyro recenti illitum primum in ſole, tum igne aſſatum ſeponitur. Interim aries ipſe immolatur, & dum igne crematur, multo thure, nuce myriſtica, atque ſantalo rubro in ignem iniecto gravis odor fugatur, ad Deum Mitra, ad Deum Brahma, ceteroſque divos multae & fervidae orationes diriguntur. Holocauſto conſumpto reſidui arietini iecoris fruſtula ac particulae ex farina frumenti ſubacti panis, adſtantibus Brahmanibus diſtribuuntur, qui omnes ea uno eodemque momento, quo magiſter

ſacri-

(1) *Victimam* (Indi) *non iugulant, ſed praecluſo ſpiritu necant, ne quid mancum Deo offeratur, ſed integrum*. Strabo lib. 15.

ſacrificulus, deglutire & comedere debent. Sacrificii praeſes ſeu magnus magiſter യജമാനഃ *yagiamán* dictus ex ſacro huius ſacrificii igne parum aſſumere & in domum ſuam delatum ſeponere, atque toto vitae ſuae tempore cuſtodire & alere tenetur, ne exſtinctus pereat. Exinde ſacerdotes illi, qui ſemel etiam publicum hoc ac ſolemne ſacrificium peregerant, a gentilibus maximi habentur, ac veluti magni magiſtri & ſuperiores eccleſiaſtici ſunt. Hi dum moriuntur, rogo conſtructo, & ex hoc eodem igne ſacro ſcintilla admota, ſuper lignorum ſtruem cremantur, ut hoc ſacro igne conſumpti, purgati & expiati ab omni tranſmigrandi ſeu metempſychoſeos poena abſoluti Brahmae Dei gloriam conſequantur. Haec igitur eſt cauſſa ob quam antiqui Gymnoſophiſtae etiam vivi in ignem ſe praecipitabant, & corpus ſuum igne comburi volebant. Vide apud Strabonem *lib.*15. inſcriptionem legati Indici, qui ad Auguſtum Imp. Rom. deputatus & itineris aerumnis fractus Athenis igne crematus fuit. *Hic iacet Larmaochagas* (forte dicendum erat Dharmóciaguen) *Indus ex Bargoſa* (ex Baroche) *qui ſecundum patriam Indorum conſuetudinem ſe immortalem fecit*. Eamdem ſortem virili conſtantia ſubiit *Calanus* Brahman, quem Alexander Macedo ex India in Perſiam abduxerat, de quo vide Plutarchum *in vita Alexandri*, & Porphyrium *lib.*4. *de abſtinentia*, ubi haec verba ſingulari attentione notanda: *Brahmanes autem ita erga mortem affecti ſunt, ut vivendi tempus quaſi neceſſarium quoddam naturae miniſterium inviti ſuſtineant, atque ideo animos a corporibus feſtinent abſolvere. Adeo ſtabilem ac veram & ipſi, & pleriquc animabus inter ſe poſt obitum vitam eſſe crediderunt*. An non ergo nugae ſunt opiniones eorum Europaeorum qui Brahmanibus materialiſmum, ſpinoſiſmum, & atheiſmum appingere ſunt auſi? An quis ſponte vivus in ignem inſiliet, ut corpore & animo pereat, an non potius id faciet ſpe melioris boni adipiſcendi? Sacrificium yágam cuinam aequiparari debeat, an ſacrificio alicui Aegyptio, an arietis ſacrificio Iſraelitico, hoc noſtra non intereſt hic perquirere. Sol in nonnullis Indicis delubris quadrigis & curru inſtructus repraeſentatur, quam iconem exhibent Angli Calcuttenſes *ad pag.* 262. in

libro

libro cui titulus: *Aſiatick reſearches* (1). In hac icone aliiſque, quae praeſertim curribus triumphalibus, quibus idola ſolemniter vehi ſolent in publ cis pompis, inſculptae videntur, *ſúrya* ſeu ſol, tamquam *terrenae fecunditatis auctor* una manu florem lotum ſeu nymphaeam, primam nempe ex ſole & aqua productionem, primam caloris & humoris prolem, *fecunditatis ſymbolum* manu ſua gerit. Inter illos deaſtros quos ex antiquiſſimo delubro inſulae Elephantae deſcriptos & aeri inciſos exhibet Niebuhr (2) *tab.6.* repraeſentatur trinitas Indica ſeu *Brahma*, *Vishnu*, & *Shiva*, qui dii ſub ſe aliquot *hamſa* ſeu cycnos, aut anſeres habent. Ex hoc ergo attributo certo inferendum eſſe videtur, unam ex illis tribus figuris ſolem ſymbolice repraeſentare. Sed de his agemus infra. De Mitra eiuſque ſacris apud Perſas aliaſque gentes vide eruditum Calmet *in diſſertatione de Moloch Deo Ammonitarum*, de Paw *recherches philoſophiques ſur les Chinois vol.1. pag.315.*, Plutarchum *lib. de Iſide*, Q. Curtium *lib.3.cap.3.* & Alphab. Tiber. *pag.81.*

ചന്ദ്രഃ ciandra, vel സോമഃ ſoma (generis maſculini) Brahmanibus luna eſt, cui ſacrificium herbarum offertur, quae cum contuſae fuerint, ſuccus earum a ſacrificulis bibitur. Princeps ſacrificulus qui illud peragit, vocatur സോമപതി ſomabadi, & ſacrificium ipſum *somayágam*. Herbae illae per oratiunculas, quarum caput particula ഹും *hum* eſt, & cauda ഓം *om*, id eſt *an vis? volo, fiat, amen*, conſecrantur. Perſas quoque huius ſacrificii notionem habuiſſe, atque haec omnia a Graecis mire corrupta ac deformata fuiſſe, colligitur ex Plutarcho *lib. de Iſide*, ubi Mitrae ſacrificium deſcribit. De duabus illis voculis *hum* & *om*, vide noſtram diſſertationem in linguam Samſcrdamicam. A *ciandra* vel ut alii corrupte ſcribunt chandra vel shandra pariter multi Indici reges fuere denominati. Quare in

(1) *Aſiatick reſearches*, or Tranſactions of the ſociety inſtituted in Bengal. Volume the firſt. Calcutta 1788.

(2) Niebuhrs Reiſebeſchreibung nach Arabien und anderem umliegenden Ländern Zweiter Band. Kopenhagen. Jahr. 1778.

Digitized by Google

re in duas lineas diſtinguuntur, nempe in reges ex ſole, & luna progenitos, ut habet primus verſus libri *bhágavadam*.

A ſole, luna, aliiſque planetis Indi dies hebdomadae denominant, quod iam dudum obſervavit R. P. Beſchius in ſua grammatica Tamulica *pag.* 159. (1), & nuper Abbas Laurentius Hervas (2), quos conſulat cui placet. Quemadmodum vero ſol, luna, ceterique planetae in ſacra litterali lingua Samſcrdamica plura nomina & epitheta habent, ut ſupra de ſolis nomine ex vocabulario Amaraſinha allato vidimus, ita quoque nationes illae variis his nominibus, & epithetis planetas illos denominant, quae tamen vocabula omnia unam eamdemque ſignificationem habent ſubiecto illi propriam. Sic v. g. *aaditya* ſol, *sùrya* ſol, unde Tamulenſes aiunt aaditya kilami vel nháyarakilami *ſolis dies*. Malabarenſes nháyarásziciа *ſolis dies*, vel aadityanal *ſolis dies*. Ita pariter Ceylanenſes, Indoſtani, Máraſti, Canarini, Talinganici, Carnatenſes, Bengalini & Nepalenſes plus minusve variant, quamvis omnia harum gentium & linguarum gentilitiarum vocabula ab una atque ubique eadem ſacra litterali lingua Samſcrdamica deſcendant, & ideo apud eos luna vocatur *tin*, *soma*, vel *ciandra*, unde tinguelaszicia, & sòmaváram *dies lunae*. Mars *ciova*, *mangalen* ſeu bonus & felix eſt. Mercurius *budha*, *budhin*, *bodh*, *budho* ſpiritum, mentem, vel intelligentiam id eſt genium planetae mercurii rectorem denotat. Iupiter eſt *brahaſpadi* vulgo *vyàsha* dictus. *Shucra* vel *ushena* vel *velly* eſt venus planeta generis maſculini. Denique ſaturnus *ciani*, *shani*, *manda*, *pangu*, *gauri*, *kàla*, ultimum hebdomadae diem conſtituit. Adde his *ràhu* & *kédu* planetas duos, quos Brahmanes tempore tantum eclypſis viſibiles eſſe aiunt, id quod teſtatur R. P. Hanxleden in Indiculo univerſali quem dictionario ſuo Samſcrdamico Malabarico Luſitano praefixit. Quare vehementer alucinatus eſt Sonnerat, dum duos iſtos Brahmanicos planetas noſtram urſam maiorem eſſe dixit. Vide *tom.* 1. *pag.* 220. *edit. in* 8. His ergo novem planetis Brahmanes ſacrificium yagam offerunt, & in eorum honorem novem diverſa ligna cremant. HO-

(1) Grammatica Latino Tamulica, Tranqambariae typis Miſſionis Danicae anno 1739.

(2) Aritmetica delle nazioni e diviſione del tempo fra gli orientali; opera dell' Abate Don Lorenzo Hervas. In Ceſena 1786. *pag.* 188., ubi hebdomadae dies pluribus Indicis linguis, quamvis vocabulis non parum corruptis, afferuntur.

ഹോമം

HOMAM HOLOCAUSTUM IGNIS

TAB. II.

Igni, cui ſacrificium hoc offertur, nomen eſt അഗ്നി aghni, vel aguini Gallico ore prolatum. In vocabulario amaraſinha ſect. ബ്രഹ്മവർഗ്ഗം *Brahmavarggam*, in libro *Sambhavam*, & alias paſſim huic deo, qui genius eſt, uxor attribuitur, quae vocatur അഗ്നായി *aghnay*, vel സ്വാഹാ *sváhà*. Sacrificium hómam ſeu ignis in iiſdem libris loco citato per excellentiam etiam vocatur *dévayagna*, ſeu ſacrificium divinum, quod innuit, quam magnus ſit ignis apud Indos Deus, & quanti aeſtimetur hoc ſacrificium ignis. Et revera nulla actio ardua, nobilis, ſancta, & magni momenti fit abſque praevio ſacrificio ignis. Dum pueri primo ſcholam adeunt, huic deo ſacrificent eſt neceſſe. Dum filio ſponſa deligitur, parentes prius igni ſacrificant. Dum in ſponſi domum deductae *tály* ſeu maritalis teſſera appenditur, ſponſus & ſponſa huic deo ſacrificent oportet. *A veteribus Inſtitutum eſt*, ait Lactantius (1), *ut ſacramento Ignis & aquae nuptiarum foedera ſanciantur, quod fetus animalium calore & humore corporentur, atque animentur ad vitam.*

De hoc ſacrificio Indico paſſim loquuntur auctores. Sonnerat *tom.* 1. *edit. in* 4., R. P. Norbertus, R. P. Iohannes de Brito, auctores libri *Aſiatick reſearches* (2) *pag.* 401. ubi hoc ſolemnius ſacrificium deſcribunt. Dum minus ſolemne eſt, unus etiam Brahman, qui ſine macula, loto corpore, & albis indutus veſtibus eſſe debet, ſufficit. Hic ſuper exiguo ſcabello quod *pídam* vocant, ſedendo & preces *slogam* ſeu verſus aliquos recitando opus aggreditur. Ante ipſum adſit oportet campanula manualis, lampas ardens oblonga, amphora liquido butyro vel in eius defectu oleo nucis coco repleta. Circumcirca folia ampla ficus In-

B dicae

(1) Lactantius de origine erroris, ſeg. 21.

(2) On the *Trial* by *ordeal* among the *Hindus* pag. 400. 401.

Digitized by Google

dicae *banána* dictae iacent, in quibus holocauſti materia circa ſacrum focum *kunda* dictum diſponitur. Haec autem eſt lignum aquilae ſinenſe pretioſum dum haberi poteſt, lignum camphorae dictum quod camphorae reſinam exſudat, ſantalum rubrum, nux myriſtica, bdellium, grana iuniperi, arundo zachari, dactyli, ſiſamum, ocimum, oryza, arboris hála & vépa aliarumque multarum medulla, cortex, flores & folia. In his adhibendis Brahmanes, & auctores in iis recenſendis variant pauliſper, & uni plus, alteri minus neceſſe eſſe, aſſerere placet. Diſpoſita in foculo ſeu quadrangulari foſſa holocauſti materia, ex ardenti lampade ignis admovetur, accenſi ignis indicium campanula datur, materiae foco impoſitae butyrum infunditur. Dum ligna validiorem iam conceperunt flammam, oryza, flores, aliaque comeſtibilia quae offerri vult ille qui holocauſtum peragi iubet, in ignem iniiciuntur, & preces ſecretae *mandram* dictae a ſacrificulo Brahmane recitantur. Hae fere omnes ad ſingulos verſus per vocem *bum* incipiunt, & per voculam *om* finiunt. Sunt tamen orationes plures quae in principio voculam *om*, in fine vero voculam *svabà* habent, ſic v. g. ഓംക്ഷീരഗൊ പാലായെസ്വാഹാ Om kshira gopálaye svahà, *Om*, *fiat*, *lac producatur*, *o Deus paſtor* (Vishnu incarnate in krshna) *svabá*. Haec oratiuncula dicitur, dum uncto mulieris lacte deficientis pectore, a Deo Krshna vaccarum paſtore petitur, ut ad lactandum parvulum mamillis lac reſtituat. In hac oratiuncula ultima vox eſt *svabá*. Hanc Calcuttenſes Angli *diſſert.* in litteraturam Indicam *o utinam* explicant. Verum particula *om*, ut nos ad evidentiam uſque in diſſertatione noſtra in linguam Samſerdamicam iam demonſtravimus, *fiat*, *o utinam fiat*, *amen* &c. iam ſignificat, ſequeretur ergo in his oratiunculis dupliciter *o utinam*, vel *fiat* poni, quod non eſt veriſimile. Vocula ergo svahá contractio eſt popularis a voce *svábá*, quae deam ignis uxorem ſignificat, atque tunc praecipue in hiſce oratiunculis invocatur, quando per ſacrificium ignis mariti ſui aliquid ab aliquo deo petitur. Brahmanes ſicuti & Perſae & Tibetani ignem venerantur, non ſolum quia is reliquis elementis potentior eſt, ſed primi ideo

cum-

cumprimis eum colunt & timent, quia ſub illius figura Iſhvara, Shiva ſeu *Dominum*, & maximum Indicum Deum, vindicem, iudicem, & deſtructorem rerum omnium, *Shaſtáva* dictum ſibi repraeſentant, ita ut de illis vere & certo dici poſſit, ſub ſimbolo ignis Brahmanes verum Deum adorare. Nec deſunt aliae rationes Brahmanibus ad adorandum ignem. *Multi ſaepe fuerunt hominum interitus, & erunt igne quidem & aqua maximi*, ait Plato *apud Clement. Alexand.* (1), & Clemens ipſe proſequitur: *norat enim ille* (Epheſius) *a barbara philoſophia doctus, malorum hominum purgationem fieri per ignem, quam ſtoici ἐκπύρωσιν exuſtionem dixere, qui & per eam hunc talem quempiam revicturum docent*. Plutarchus vero (2) ait: *Apud Indos caſtae maritorumque amantes uxores de igni litigant atque certant: victricem, quia cum marito mortuo comburitur, reliquae ut felicem laudibus vehunt atque decantant. Ac qui ſapientes ibi ſunt, nullus eorum dignus admiratione, niſi vivus etiamnum & animo & corpore valens, animam a corpore igni diſcernat, puruſque a carne diſcedat eluta mortalitate*. Hic quidem mos ſi umquam exſtitit, & inter Brahmanes univerſalis fuit, exſolevit in quantum ad viros. Quod ad feminas maritis orbatas attinet, in Bengala, ac aliis paucis Indiae locis adhuc viget, & Sonnerat *tom.* 1. (3) duas tabulas exhibet, quarum una viduam quamdam ad rogum feſtinantem cum mariti corpore cremandam, altera ardentes prunas & ſuper iis ambulantes Indos repraeſentat. Videatur etiam inter icones navigationis Spilbergianae *tab.* 22. *ſepulturae regum & ſacerdotum in Pegu delineatio*. Mundum per ignem deſtruendum fore tradunt Brahmanes in libro പ്രപഞ്ചസൃഷ്ടി Prabanciaſrshti, quod ex ſententia Malabarenſium etiam confirmat R.P.Ildephonſus a Praeſentatione (4). Hi dum veſperi accenſam lucernam in cubiculum vel atrio domus inferunt, lampadis lumen ambabus uſque ad frontem elevatis manibus ſalutant & venerantur. Mulieres dum noctu ignem ſeponunt

(1) Strom. lib.5.§.235. Laertius lib.9. pag.244.

(2) Plutarchus *an vitioſitas* &c.

(3) Voyage aux Indes orientales, & a la Chine par Mr. Sonnerat, a Paris chez Froulé. 1782. editio in quarto.

(4) De creatione mundi ex ſyſtemate Brahmanico cap.3. & 4. inter codices manuſcriptos bibliothecae S. Congregationis de Propaganda Fide num.20.

& in foco contegunt, pauca oryzae grana in eum iniiciunt, atque Deae *Lekshmi*, noſtrae nempe Bonae aut Cereri deae, ſacrificant, ut fruges ab urenti igne in agris intactas ſervet. Lampadis lumen etiam de die, & meridiana luce novis nuptis praeferri ſolet, ſed cumprimis ſponſae, dum ad ſponſi domum traducitur, id quod ego ſaepe meis oculis vidi, neque abſque myſterio factitari facile obſervabam. Quin adeſt Velitris in muſeo doctiſſimi, ac bono litterariae reipublicae nati Eminentiſſimi Card. Borgiae antiquae deae fornacis unicum & rarum monumentum ex marmore in eadem civitate repertum, quod inſpiciat, & examinet cui placet.

Facta Dea eſt Fornax, laeti fornace coloni
Orant ut fruges temperet illa ſuas. Ovid. 2. Faſt.

Niebuhr bonae fidei auctor familiam Gueber Suratae exſtare narrat *tom.2.* quae ducentis annis ſine interruptione ſacrum ignem ſe conſervaſſe, & adorare gloriatur & profitetur. Confer Iuſti Lipſii *excurſ. 1. in Taciti Annales*, Titum Livium *de igne & officiis Veſtalium Romanarum*, & Q. Curtium *lib.4. cap. 10.*, ubi de Perſarum igne haec habet. *Solem & Mithren* (in accuſ. Samſerdamico dicendum *Mitram*) *ſacrumque & aeternum invocavit* (Darius) *ignem, ut illis dignam vetere gloria, maiorumque monumentis fortitudinem inſpirarent*. Heic ex ignorantia linguae *Sol* & *Mitra* vides disiuncta, & ex una re duo vocabula, ſeu quaſi duo numina diverſa efficta fuiſſe. Mitrae Perſici numinis bovi, qui terrae ſymbolum eſt, inſidientis figuram cum inſcriptione *Nama Sebeſio Deo Soli invicto Mitrae* vide in aedibus villae Pincianae Exc. domus Burgheſiae. Hoc eodem fere modo bove vehitur Indicus *Shiva* Deus.

Digitized by Google

൩ ാം.

SACRIFICIUM TUKAM, ALIAEQUAE VICTIMAE HUMANAE

TAB. III.

Primae hominum oblationes, quibus ſuam in Deum pietatem teſtarentur, providentiam agnoſcerent, ſibi ſuiſque propitium redderent, erant fructus terrae (1). Indis hodiedum mos iſte praeplacet, atque communes, ne dicam quotidianas, oblationes ſunt oryza, nux coco, butyrum, oleum, ficus banánae, flores, & arborum fructus. Hi ut ingenio mites ſunt, atque metempſychoſeos dogmati addicti, a ſanguine abhorrent, certaque notitia comperi, multos Brahmanes ideo ſacrificio yágam adſiſtere nolle, quod in eo hircus innocens animal iuguletur, & adſtantes ex eius iecore particulam edere cogantur. Quare priuſquam animali fauces praecludantur, multas ſacrificuli ad Deum Brahma preces fundunt, eumque deprecantur, ne occiſionem illius animalis ſibi imputet, quam unice ad implendam legem ſe facere profitentur. Verum ſicuti apud alias pleraſque gentes pedetentim, ſive ad avertendum aliquod ingens malum, ſive ad irata numina, maloſque genios, a quibus mala illa ſibi irrogari exiſtimabant, placandos, cruenta ſacrificia locum obtinuerunt, ita quoque Deo Shiva ſeu igni poſtea bos in ſacrificium caedi coepit. Quod quidem primum ſanguinis effuſione peractum ſacrificium, quam antiquum ſit, patet ex eo, quod in libro *Tudbishtira* de hoc uno cruento ſacrificio mentio ingeratur: ഉപഹൃ-തപശുരുദ്രഃ uba hrda pashu Rudra, *Rudra* (qui & Shiva) *cui oblatus eſt bos* (2). Huic ſacrificio cruento ſucceſſit immolatio gallorum, quae hodiedum in India obtinet, atque alias cruentas victimas ſupplet. Deae Bhagavadi, vel Ga^engadévi, quae fortaſſis Graecis omnium gentium cultus corruptoribus Taurica Dia-

(1) Geneſis cap. 2.

(2) Confer Rogers offene Thür zu dem Verborgenen Heydenthum. Norimberg. Anno 1663.

Digitized by Google

Diana eſt, in Indiis homines immolatos fuiſſe tradunt multi, ſed cumprimis rerum Indicarum peritus vir Abraham Roger (1). Huius itaque ſacrificii humani reliquiae non ambiguae eſſe videntur hodiernum ſacrificium in auſtrali India tùkam dictum, quod quidem nulla Brahmanica lege fit, qui illi adſiſtere quidem ſolent, ſed peculiari, populique imaginatione fervidi, & antiquae conſuetudinis tenacis tumultuaria devotione.

Menſe martio, quo huius deae feſtus dies recurrit, ante fores delubri ipſius Bhágavadi non a Brahmanibus, ſed a Nayris, aliarumque inferiorum tribuum hominibus galli gallinacei plures occiduntur, atque protinus fumante adhuc ſanguine ſurſum in aerem proiiciuntur, ut defluens & undequaque diſperſus ſanguis humum & templi poſtes reſpergat. Deinde uncino ferreo in dorſum immiſſo ſuper portatilem machinam devotus aliquis vir, qui ad hoc opus aere conducitur, in aere ſuſpenditur gladium manu portans. Dum ſuſpenſus circumſtanti & in immenſum conglobato populo mali quo premitur, finem denuntiat, pulſantibus tympanis tribus vicibus ita ſuſpenſus circum templi ambitum portatur, acclamante eidem populo, beatum depraedicante, & deae ſuae Bhagavadi ſe ſe fervidis, ſed tumultuariis precibus commendante. Peracto trino circulo vir ille demittitur, uncinus eximitur, vulnera lavantur, ſanguis extergitur, & aut a templi praeſidibus, aut a devotis aliis hominibus praemium ipſi perſolvitur. Ex navigationibus Spilbergii *part. 7. cap. 34. pag. 96.* hoc idem feſtum ſuo tempore in ora Coromandelidis obtinuiſſe apparet, atque is *tab.* XIV. hanc eamdem victimam ex uncinis pendentem exhibet. *Sacerdotes idololatrae,* ait ipſe, *poſt admonitionem ad poenitentiam, retinacula illa dimittunt, apprehenſumque* (virum) *poenitentiarium in utroque humero ad Pagodo* ഭഗവതി Bhagavadi (ex quo vocabulum Pagodi corruptum) *ſive ad Idolum attrahunt, ubi dependens ita a retinaculis ferreis ter idolum ſalutare, pectus ſuum percutere, & alia peragere cogitur, donec iterum remittatur.* Idolum hoc alis & cornubus inſtructum, mammis tamen dependentibus

(1) Proinde Indi, Perſae, Iſraelitae trae immolando conveniebant. aliqui idololatrae in bove ſoli ſeu Mi-

tibus & ſub feminea forma perquam horrida idem citata tab. exhibet, ex quo nullum iam dubium ſubeſſe poteſt, hanc eamdem deam Bhágavadi eſſe, quae ſub paullo diverſa forma in Malabaride, & ſub nomine Gaengadévi in Bengála adoratur. Hoc ergo ſacrificium eſt veteris illius *daemonis Bengalini*, quo nomine veteres aliqui ſcriptores uſi ſunt, humano ſacrificio ſubſtitutum. Verum non ita humanarum victimarum memoria ac conſuetudo ex India ſublata fuit, ut ſubinde non recurrat. An. 1746. cum Rex Travancoridis *Víramártanda* contra reliquos Malabariae regulos bellum moviſſet, & ad fluvium *Paravur*, *Cenganáda* & *Ceravá* remoram obſtaculumque inveniſſet, ex conſilio ut aiunt Brahmanum, quindecim infantes partim ex Chriſtiana piſcatorum tribu, partim ex illa gentili quam *Shegos* vel *Ciànas* vocant, intempeſta nocte & nemine tale quid opinante comprehendi atque ad arcem Tiruvándaram perduci curavit. Ibi hi parvuli multis Brahmanum precibus, ſuperſtitioſis caerimoniis, ſacrificiis delibuti & conſecrati, laminis cupreis variis ſuperſtitioſis inſcriptionibus inſignitis alligati in quatuor municipii illius plagis vivi ſepulti fuerunt. Haec res gentem illam ad littus maris habitantem adeo terrore perculit, ut plurimae familiae aufugerint, atque caram ſibi prolem pro viribus occulere ſategerint. Memoria huius facti in Malabaria necdum oblitterata eſt, & ego eam chartae a R. P. Franciſco Cruz Fernandez ſacerdote indigena Malabarico commendatam, ex manuſcripto Batavico, cuius poſſeſſor eſt D. Roſier olim arcis Collanenſis praefectus, habeo, qui illud mihi pro ſua in me humanitate lubens communicaverat. Ex his ergo liquet, etiam ipſos Brahmanes ab humanis victimis interdum non abhorrere, & niſi fallor, etiam in ipſis eorum libris humanarum victimarum mentio recurrit. Sect. *Brahmavarggam* in vocabulario Amaraſinha ſacrificium quod peregrinorum ſeu exterorum advenarum dicitur, മാനുഷയജ്ഞം *mànuszayagna* vocatur, id eſt *hominis ſacrificium*. Ad quam vocem dictionarium Samſcrdamico Malabarico Luſitanum R. P. Biſcoping habet: *Sacrificio para os Brahmanes foreſteiros*, id eſt pro Brahmanibus exteris. Verum vis illius vocabuli aliud innuere videtur, & cum

voca-

പിതൃയജ്ഞം.

PIDRUYAGNAM SACRIFICIA PRO DEFUNCTIS

Illos, qui Aſiaticas gentes dogma immortalitatis animae non credere dicunt, illarum gentium hiſtoriae imperitos, & veros idiotas dicas, aut malignos, & pervicaces Aſiaticarum veterum traditionum everſores iure merito appellaveris. De antiquo hoc dogmate apud Tibetanos recepto, de tranſmigratione animarum, earum immortalitate, & quomodo mereri poſſint, confer R.P. Georgii Alphab. Tibetanum *pag.* 263. 235. 270. 181. 199. De Peguanis & Siamenſibus dictionarium Pivatii *tom.* 8. & Spilbergii navigationes *part.* 7. *pag.* 113. Abbatem Choiſy *Voyage au Siam*, & itinerariam deſcriptionem D. Floueſt, qui ritus anniverſarios, oblationes, preces & ſacrificia varia pro defunctis, denique ipſum ſepeliendi modum, qui apud eos hoc dogma indicat & probat, deſcribunt. De Sinenſium anniverſariis, ſepulturis, & oblationibus pro defunctis acerrime conqueritur auctor philoſophicarum disquiſitionum *tom.* 2. *ſect.* 8. *de relig. Sinenſium*. Sumptus gentis Sinicae maximos ipſe incuſat, monachorum Laokium impoſturam, & in ſua commoda ſtudium has oblationes ac ritus pro defunctorum animabus in Sinas induxiſſe, & hactenus ſuſtinuiſſe queritur (1). Eximius iſte Germaniae pſeudapoſtolus, qui materialiſmum Aſiaticis gentibus commendatum habere vellet, cum nihil credat, neque poſt mortem aliquid ſperandum habet. Mirum itaque non eſt, quod ipſe ſubinde criminetur, & mordeat, dum praeconceptis ſuis praeiudicis philoſophicis, & turgidae ſuae mentis opinionibus oppoſitum aliquid apud alios reperit. De animae immortalitate multa tradit Plato in Phaedone, in libris de republica, Menone, Gorgia, aliiſque dialogis. Pindarus vero ait: *vis ſumma leti corpora deſtruit, ſupereſt imago viva at aevi*. Brahmanes duas in homine animas admittunt, rationalem nempe, quam ജീവൻ *given*, & ſenſitivam, quam

C ആത്മ

(1) *Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus*. Iuv.

പ്രാണൻ *prànen* appellant. Hanc omnibus communem & caducam, illam rationalem poſt mortem ſuperſtitem eſſe, tranſmigratione a peccatis purgari, poenis etiam inferni ſubiectam eſſe quouſque omnia expiet, demum aeternae gloriae conſortem fieri contendunt eo fere modo, quo Pythagoras & Plato contendebant (1). Ex quo ſane mihi etiam ſuſpicio ſuborta fuit, doctrinam hanc Pythagoram a Brahmanibus hauſiſſe, & ipſum primum ſuae ſcholae tradidiſſe. Brahmanes vero philoſophorum omnium primos exſtitiſſe tradit Clem. Alex. qui hoc dogma docuerint, dum Graeci philoſophi in hac re delirarent, Stoici nempe, Democritus & Epicurus, de quibus confer Plutarchum *de placitis philoſophorum*. Veteres autem Brahmanes animam ſpiritualem & immortalem ſemper crediddiſſe non ſolum docet Strabo & Porphyrius, ſed ea vel maxime probant, quae ſupra diximus, quod nempe ideo aliqui Gymnoſophiſtae ſe vivi in ignem iniiciebant, ut a peccatis per ignem purgati, animam aeternae beatitudinis & gloriae capacem redderent. Luculentus de iis locus eſt apud Philonem Iudaeum lib. *quod omnis probus ſit liber*: ubi Calanum Indum ita Alexandro Magno ſcribentem inducit: *Calanus Alexandro. Amici tibi ſuadent, ut Indorum philoſophis manus & vim inferas, ne per ſomnium quidem res noſtras conſpicati. Corpora de loco in locum transferes, animos quidquam facere invitos nihilo magis coges, quam lateres & ligna vocem emittere. Ignis corporibus vivis maximos dolores excitat non ſine pernicie, hunc tamen nos contemnimus, vivique comburimur* (2). Eadem de iis habet Clemens Alex. Stromat. *lib.*4. §.212. Unde vero his Indicis philoſophis tanta audacia & tanta conſtantia? an non inde, quia, ut diximus, animam immortalem credebant, & eam per ignem purgatam aeternae gloriae participem fieri certo tenebant? Modernorum Brahmanum eadem ſane eſt opinio. En illa quae in libro ചന്ദ്രോദയം *Ciandrodeyam* qui exſtat in muſeo Borg. dicuntur:

ദക്കി

(1) Vide Strab. lib.15. *De anima, aliiſque compluribus ſimilia dicunt* (Brahmanes). *Inferunt etiam quaſdam fabulas quemadmodum Plato de immortalitate animae.*

(2) De Calano vide quae a Brahmanibus dicantur apud Palladium de moribus Brahmanorum.

ഭക്തികളെക്കൊണ്ടു വേണം ഭക്തി ചെയ്വാനത്രേ പാദ
സുകൃതങ്ങളില്ലാഞ്ഞാലും ദുൎഗ്ഗതി വരും നൂനം
കൎമ്മങ്ങളിഹ ചെയ്തതുകൾക്കൊത്തവണ്ണം പരലോകെ
നിശ്ചയം ഫലമെടുക്കേണ്ടും മെന്നിതു കൊണ്ടു

Pietate & devotione caeleſtis gloria eſt quaerenda; & dum bona opera deſunt, certo infernus obveniet. Secundum opera in hoc mundo facta certe in alio mundo praemii vel poenae menſura ſequetur (1).

Plura huiuſmodi teſtimonia, quae ex *Sambhavam* & *Bhishma parvam* in medium afferre poſſem, omitto. Credunt itaque Brahmanes animas, quae nondum in hoc mundo pro peccatis omnimode ſatisfecerant, poſt mortem purgari poſſe, eas ſuperſtites, & gloriae aeternae adipiſcendae habiles eſſe. Inde poſt mortem animarum cura, ſacrificium pro animabus parentum, quod *Pidrayagnam* vocant, offerri ſolitum, anniverſarii denique & certi pro deprecationibus, & oblationibus pro defunctis conſtituti dies quibus caerimonia illa fieri ſolita in Malabaria Ciàttam, vel *Andaciàttam*, alibi *Ceràndakarmam* vel *Pidrukarmam* dici ſolet.

Pridie huius caerimoniae perficiendae filius vel heres defuncti tredecim Brahmanes invitat. Hi ſine lepra, ſine corporis macula eſſe debent. Eorum uxores nec gravidae, nec menſtruis ſubiectae, nec recentes a partu ſint oportet. Puritas nempe corporis ſemper, ubique, & fere ab omnibus antiquis gentibus ad ſacrificia neceſſaria iudicata fuit. Purgata defuncti domo & odoribus thuris, aut aliorum aromatum repleta, ſtercore vaccae aqua diluto pavimenta cubiculorum perliniuntur. Filii, vidua, propinqui, abraſis capillis, in flumine puritatis ergo lavantur. In cubiculo menſa quadrangularis praeparatur, ſuper quam idolum Dei Vishnu conſtituitur. Ante hoc folia *tularſi*, quae plantula eſt noſtro ſilveſtri ocimo non abſimilis, cremantur. Filius ex Santali, ac deſiccati vaccae ſtercoris pulvere compoſita

 mate-

(1) Strabo lib. 15. *Multa eos* (Brahmanes) *de morte dicere: & hanc vitam putandam eſſe quaſi quemdam vividum hominum conceptum, mortem vero nativitatem ad veram illam & felicem vitam iis qui recte philoſophati ſunt. Idcirco eos multa exercitatione uti ad mortis praeparationem.*

materie ſubliquida, quam *bhaſmam* vocant, ſignum divinum ſeu *Tirunàmam*, in fronte depingit, & collo coronam precatoriam *rudràkshbam* dictam imponit. His conſtitutis aere campane ad ſacrificium ſignum datur, & Brahmanes tribus vicibus elata voce dicunt:

ഹര *Hara*, ശിവ *Shiva*, മഹാദേവ *Mahadeva*. Precatiuncula haec eſt ex attributis Dei Ishvara, aeterni Dei, vindicis, & mortuorum iudicis conſtans. Hara! *o Deus vindex*! Shiva, *o Deus bone*! Mahádéva, *o Deus magne*! Hac oratiuncula prolata, poſita manu ad faciem modico tempore dentibus quaſi ſtrident & infremunt, veluti animam mortui reſuſcitaturi, aut evocaturi. Circa idolum ad borealem cubiculi partem IV. conſident Brahmanes, duo ad auſtralem, qui deaſtros repraeſentant. Poſt hos VII. ſtant alii Brahmanes, qui ultimas ſeptem defuncti tranſmigrationes faciendas ſecundum aliquos, ſecundum alios VII. defuncti ultimas generationes iam factas repraeſentare dicuntur. Ad portam cubiculi alii duo ſuper ſcabello ſedent, qui caelum & infernum adumbrant. Ad haec ſcabella etiam ponitur veſtis ſuperſtes defuncti, ſudariolum aliquod, vas cupreum & in defectu illius, ex foliis ficus bananae confectum, cinis ex ſtercore vaccae ſicco, paululum terrae ex Gange allatae, & iterum alterius flavae ex templo Iagarnat, ſi fieri poteſt per Yoguis poenitentes allatae. Super menſam pone idolum IV. accenduntur lampades oleo refertae. Tum Brahmanes vultu verſus ortum ſolis converſo aquam ex uno vaſe ad aliud transfundunt, & cubiculum conſpergunt, tribus vicibus manus lavant, & preces ternas perſolvunt. Quo peracto, & ipſi ex illo vaccae cinere & terra flava nomen ſanctum in ſua fronte depingunt. Rotulam quamdam & concham marinam, ſive buccinum maius, Dei Vishnu inſignia affabre exciſa, in hanc eamdem liquidam maſſam intingunt, & rotam quidem ad tempora ſeu aurem ſiniſtram, buccinum autem imprimunt ad manum ſiniſtram. Hoc nempe ideo, ut ſimiles evadant Deo Vishnu, cuius cultores ſunt, & ut myſteria huius Dei, de quibus nos agemus infra, per haec inſignia repraeſentent. His ſignis exornati pronuntiant XXIV. verba ſecreta, ſancta, & myſterioſa vultibus ad orientem converſis, verſus quem etiam

etiam aquam ſpargunt pollice & digito medio, ſi caerimonia ſit tempore matutino, verſus occaſum autem, ſi ritus peragitur tempore pomeridiano. Ex quo ſane argues, verba illa ad adorationem ſolis, qui veri Dei ſymbolum eſt referri. Hoc facto, pollice, indice & medio digito nares & faciem tegunt, & occludunt, atque ſic in ſummo ſilentio una fere hora meditantur. Omnis vel minimus ſtrepitus malum portendit omen, & ſi caſu aliquo hoc Pythagoricum ſilentium ſolveretur, caerimonia de novo inſtituenda foret. Meditatione peracta, in alia menſa idolo Vishnu vicina ponuntur folia tularſi, ſantalum rubrum, benzoinum, camphora, iuniperi grana, oryza, folia darba & brangaras, quae ultima duo ego quidem non cognoſco. Tum ſacerdos officium peragens ſeu praeſes & primus ſacrificulus facta Deo Vishnu oratione, filio vel heredi defuncti parentis ſacrificandi dat facultatem, qui ſurgentibus VII. illis Brahmanibus dat duo folia derba, duo grana hordei, unum folium tularſi, quae ipſi capiti imponunt. Tum ſacerdos officio colens filium alloquitur, ut ex corde ſuo excludat *kàma* ſeu luxuriam, ac cupiditatem. 2. *krodba*, ſeu iram, 3. *bbayam* ſeu metum, 4. *abbimànam*, ſeu ambitionem & ſuperbiam, 5. *lòbbam* ſeu avaritiam, 6. *aasba* ſeu quodcumque aliud deſiderium malum, ſpem denique ſuam non in hominibus, ſed in ſolo Deo fiduciam ſuam reponat. Qua exhortatione peracta, Brahmanes lavant idolum, fronti illius ſignum ſanctum ſeu divinum appingitur, & accenſa camphorea candela, in vaſe cupreo thus, benzoinum, aliaque ſupradicta admoto per filium igne, ante idolum cremantur. Quod dum ſit, Brahmanes preces recitant, & ad quamvis novam alicuius praedictae materiae in ignem impoſitionem, nova, ac myſterioſa verba ſimul omnes proferunt. Materia ſacrificii concremata, filius lavat Brahmanum pedes, zonam Brahmanicam humeralem novam cuique eorum tradit genuflexus, tum aquam iunctis manibus ad ſiniſtram ſpargit partem ad denotandam & deorum, & animae defuncti immortalitatem. Hic ipſe ſedentibus Brahmanibus paulułum melis dat in manus unius cuiuſque, quod ipſi diligenter lambunt, ut gloriae caeleſtis dulcedinem inſinuent, qua anima expiata frui debet. Lautum poſtea more Indico ſuccedit prandium aut coena, in qua omnia

Digitized by Google

omnia fercula primo praeſentantur idolo Vishnu. Ea autem ſunt: oryza cum lacte decocta, lenticulae aqua coctae, quae butyro & ſaccharo conditae in vaſis teſtaceis afferuntur, panis Indicus *apam* dictus ſive ex oryza, ſive ex alio aliquo grano confectus, mel denique, fruſtula arundinis ſacchari, ciarkara ſeu vulgo yagara dicti, maſſa dulcis ex ſucco ſacchari & coco, ſeu verius ex fructu palmae confecta, zingiber viride ſeu recens ſaccharo tamen conditum, nux myriſtica dulci liquore impraegnata; mala limonia condita, lac decoctum, recens, & acidulum, aliaeque herbae & radiculae recenti butyro toſtae, excluſis omnino & prohibitis carrotis vel ſiſere, rapis, allio, caepis, cucurbitis, aliiſque flatulentis, indigeſtis, & ad venerem incitantibus. Haec omnia dum praeparata ſunt, a primo miniſtro foliis tularſi, aquae luſtralis tirtam dictae, intinctis aſperguntur, & benedicuntur. Tum dimiſſa per manus aqua haec eadem idolo Vishnu offeruntur dicendo: *Domine haec tua dona ſunt* (nempe ut Dei conſervatoris) *quae tibi offerimus*. Dum haec fiunt, conſanguinei ac defuncti parentes coronam precatoriam rudrákſham dictam, quae ex CVIII. granis (1) conſtat, deorum nomina proferendo recitant, quo tempore idolum linteo cooperitur. His peractis, ſedent Brahmanes per ſingulas ſtoreas pedibus tranſverſis, & ſiquidem orbiculi adſunt, ex orbiculis, ſi deſunt, ex ſubſtratis foliis ficus bananae manu dextera ſola comedunt ſolida, liquida vero confectis ex foliis arboris máva coclearibus. Ex reliquiis, peracto prandio, conficiuntur 81. panes parvuli ex oryza. Horum ſeptem dantur corvis, 13. & ½ felibus, 14. canibus, 21. vaccae, 16. pro gliribus & muribus in 16. domus angulis deponuntur, 9. & ½ pauperibus diſtribuuntur. Qui ſane numeri myſteria Brahmano Pythagorica ſunt, quae nobis explicare non licet. Peracto ſacrificio Brahmanibus ſingulis, ſi ſtatus rei domeſticae permittit, binae pagodes, ſeu IV. fere ſcutata Romana a filio defuncti pro ſacrificio perſolvuntur. Haec caerimonia XXX. diebus durat, ſed primo tantum die eſt ſolemnis. Eam imitantur Nayres & Baniani Brahmanum

(1) *Nempe in honorem 108. annorum Brahma dei.*

Digitized by Google

num imitatores & proximae ab illis tribus (1). Haec dogmata & caerimoniae cum quibuſnam plus conveniant, an cum Haebraicis, an vero cum Aegyptiacis, aliis diſputandum relinquo.

ഭൂ ത യ ജ്ഞ

BHUDAYAGNA SACRIFICIUM MALIS GENIIS OFFERRI SOLITUM

TAB. IV.

Malos genios, quos daemones vocant, dari, Brahmanes cum tota antiquitate docent (2). In vocabulario Amaraſinha *ſect.* 1. *Sorggavarggam* inter alios deos ſeu genios referuntur etiam പിശാചഃ pishásza, & ഭൂതഃ bhuda ſeu daemones. Eadem ſect. inter famulos dei Shiva vindicis & deſtructoris, iudicis & remuneratoris, numerantur etiam *pàriszada* & *rudra*, id eſt genii *flere facientes*, alii vero *gubyaga* id eſt *diaboli* vel larvae quibus ſpeluncarum & ſubterraneorum cura commiſſa eſt. Omnes hi vocantur അസ്വപ്നഃ aſvapna, id eſt *non dormientes larvae*. അ

adi-

(1) Exſtat in muſeo Borgiano Velitris in tela ex autographo Tibetano Lhaprangae de Lhaſſa exſiſtente, a Tibetano pictore *Ion-de la-hu-ri* coloribus expreſſo, exemplar iconis *num.*15. quae caelum tranſmigrationum Tibetanarum iuxta opinionem ſcholae Lhamaiticae exhibet. Hanc ipsam aeri inciſam habes in Alphab. Tibetano *tab.*2. *ad pag.*487., ubi doctiſſimus P. Georgius cyclum illarum tranſmigrationum ſatis fuſe explicat. Hunc cyclum, & dogma Tibetanos a Brahmanibus accepiſſe non ſolum horrida illa Shivae vindicis a Brahmanibus Shâttâva dicti tribus oculis inſignita imago, ſed etiam *Yáma* deus & Shivae miniſter, mortis dominus & inferorum iudex ſub littera *L* notatus a Tibetanis *Scin-ce-cio-kjel dictus*, cuius epitheta in vocabulario Amaraſinha *sect. Sorggavarggam* recenſentur, manifeſte probat. Adde quod duodecim illa ſymbola quae in circulo maximo exteriori inveniuntur, vocabulis Samſcrdamicis ſeu Brahmanicis inſcripta ſint. Sic num. 1. Tibetanis *marik-pà* intellectu carens, Brahmanibus *obliviosus* eſt. Num.2. Tibetanis *dusce* propenſio ad malum, Brahmanibus *malitia* eſt, & ſic de ceteris. Ex quibus omnibus patet Brahmanes & Tibetanos non ſolum quoad dogmata & Deos inter ſe convenire, ſed etiam veriſſimum id eſſe quod nos in grammatica Samſcrdamica docuimus, nempe liturgica vocabula ex India in Tibetum translata fuiſſe.

(2) Plutarchus *lib, de Iside.* Clemens Alexand. *cohort. ad gentes*. Euripedes *apud Plutarchum*, Origenes contra Celſum *lib.*7. *pag.*334.

Digitized by Google

ദിതിനന്ദന adidinanana, hoc eſt filii *deae Addi*, & *Cashyaba* dei, vocantur alii ſpiritus, ut *kàma* ſeu cupido, *varuna* genius aquarum, aliique. Ab his diſtincti ſunt illi, qui അസുര aſura vel *ràkshasa* vocantur, & de his Indorum libri paſſim loquuntur. Horum geniorum, titanum (1) ſeu gigantum praeceptor & magiſter eſt *shukra* ſeu *venus planeta* apud Brahmanes generis maſculini. His opponuntur dii ſeu boni genii *dévaguel* dicti, quibus praeeſſe dicitur *brahaſpadi* ſeu *planeta iupiter*. Inter hos & illos ſtupenda certamina in multis Brahmanicis libris deſcribuntur, illis caeli ſedem, & potum ſeu ambroſiam caeleſtem അമൃതം amrdam volentibus, & mundum praecipitare conantibus, his vero pro mundo, caelo & potu immortalitatis ac caeleſti nectare pugnantibus. Hi dum vincerentur, Vishnu Dei opem flagitabant, atque hic auxiliatrices dabat manus, caelum terramque ne perirent, ſervabat. Multae eaeque validiſſimae rationes ſuadent, hos ſpiritus ſeu genios bonos maloſque ad aſtronomiam, ad caeleſtem mundum, ad planetarum phaenomena referendos eſſe. I. diſcipuli ſunt duorum planetarum, ut ex *Amaraſinha* & toto libro *Sambhavam* patet. II. planetae, muni ſeu heſychaſtae, ſilentiarii, contemplatores, conſiliarii, magiſtri, & doctores in his ipſis libris vocantur, & hi boni malique genii ipſis obſequuntur, atque in duas ſcholas, id eſt in bonos maloſque dividuntur (2). Planetae vero veri heſychaſtae ſeu ſilentiarii ſunt, & lumen ſuum aliis aſtris communicant, quae ipſis obſequuntur, dum planetae in orbita hinc inde volvuntur. Niſi temporis brevitas & ſcopus huic opuſculo praefixus obſtaret, ad evidentiam hoc ex libris Indicis demonſtrare poſſem. Quare nequaquam mihi arridet ſententia Iacobi Banniſter, aliorumque, qui doctrinam hanc de bonis maliſque diis ad elementorum inter ſe pugnam referunt, atque aerem, ignem, ventum, aetherem &c. eſſe putant (3). Primi igitur

(1) Titan, ſatan, & Malabaricum populare ceitàn, ab uno Samſcrdamico vocabulo *deityà* vel *dityà* videtur deſcendere. Vide Amaraſinha ſect. 1.

(2) Nempe ob bonum aut malum in inferiora influxum, quae opinio etiamnum in Indiis viget.

(3) Iacques Banniſter, *Tableau des arts & de sciences depuis les temps les plus reculés iusqu' au siecle d'Alexandre le grand*. A Paris chez Lottin. 1786.

Digitized by Google

igitur generis ſunt daemones illi, quos Indi timent & adorant. Inter ſecundos vero celebris eſt Irania, quem Vishnu devicit prout refert prima ſtropha celeberrimi libri *Mágha*, quam integram allatam vide in grammatica Samſcrdamica *pag.66*. De *Bhìmen* celebri gigante lege *in lib. Yudhishtiravìgeam cap.7. slogam ſeu ſtropham* 50. 51. 52. De *Ràvana* librum *Ràmayanam*, de *Màdhu* librum *Bhàgavadam*. Non nego autem reges aliquos, quin & munis ſeu heſychaſtas, & philoſophos Indicos ab illis caeleſtibus ſpiritibus ſeu geniis, planetis & aliis aſtris praepoſitis, qui illa animant, dirigunt, & vehunt, nomen accepiſſe, ut apud nos caeleſtium ſpirituum nomina hominibus imponuntur. Quin ex illorum ſpirituum ordine, dignitate, ſyſtemate, regimine, ſcientia, virtute, & ſanctitate allegorica philoſophiam, eiuſque varias ſectas, cultum religioſum de planetis & elementis, regum nomina, & multas leges, hiſtoriae denique Indicae magnam partem deſcendiſſe, & mundum terreſtrem ad inſtar mundi caeleſtis ſyſtema apud Indos inſtitutum fuiſſe, inde denique religionem Brahmanicam deduci, veris & ſolidis rationibus probare poſſem. Sed haec ſententia, mihi alioquin vera & certa, ad ſui probationem claram & evidentem, diſquiſitionem in Indorum origines, fontes, ſectas, philoſophiam, aſtronomiam, religionemque, maiorem requireret, & mihi perquam moleſta eſſet, viribuſque meis omnino maior. Argumenta tamen praecipua infra referam, quae lubens benevolo lectori examinanda propono. Ex illis liquido & certiſſime apparebit, I. ſecundum ſyſtema caeleſte terrenis rebus applicatum, reges Indicos eſſe ſoles & lunas (luna in lingua Samſcrdamica eſt generis maſculini). II. philoſophos, conſiliarios, heſychaſtas, contemplatores, magiſtros eſſe planetas Saturnum, Mercurium, Venerem. Iovem &c. apud Brahmanes omnes generis maſculini (1). III. bonos & malos genios ſeu Titanes qui planetarum diſcipuli ſunt & in militia caeleſti aſtra, terreſtres homines bonos & malos eſſe (2) ſcientiae, legi, artibus, paci, regnoque amicos

D

(1) Hos Munis ſeu Rishis, id eſt planetas Sonnerat *pag*.220. *edit. in* 8. *Patriarchas* vocat, & ſimul indicat ſe linguae Indicae ſacrae & vulgaris omnino imperitum fuiſſe.

(2) Gigantes autem quid aliud fuiſſe credendum eſt, quam hominum quamdam impiam gentem? Macrobius Saturn. *lib.* 1. *cap*.20.

cos vel hoſtes, ac proinde bella Indica & hiſtorias eorum caeleſti illo ſyſtemate, & allegoriis permixtas eſſe (1). IV. philoſophiam eorum de rebus terrenis ſimul cum aſtronomia & rebus caeleſtibus intime colligatam eſſe. Haec vera clavis eſt omnium Indicarum ſcientiarum & librorum, & quia ab aſtronomia antiquiſſima Aſiatica ſcientia originem ducit, ſane ſequitur & libros Indorum & philoſophiam, & inſtitutiones civiles antiquiſſimas eſſe. Non tamen excedit epocha vera eorum epocham diluvii noſtri, quod ex ipſorum libro ſacro Bhágavadam invicte demonſtrari poteſt. Haec interim dicta ſunto, nunc ad ſcopum redeamus.

I. Malis geniis, larvis noctu vagantibus, ſerpentibuſque qui inter mala numina numerantur ſub exiguo tuguriolo lapides aliquot poni ſolent & conſecrari in eorum honorem, ut iis quaſi alligati in eo tuguriolo perſiſtant, nec in domo, aut hortis hinc inde vagentur. Tales lapidum congeries ego vidi saepiſſime, tales in inſula Ceylan dari obſervat *Knox*, & tales etiam vidit *Niebuhr* in inſula Elephanta. Devotione ferventiores illis noctu lucernam accenſam ponere ſolent. II. In Malabaride adeſſe creduntur daemones aliqui *kutticiàtten* dicti, quod bene obſervavit R.P. Ildephonſus, & iſtos hominibus apparuiſſe populus fabulatur. Quare dum alicui damnum aliquod inferendum eſſe cenſent, erecto in illius horto lapide, daemonem ibi diabolicis orationibus alligant, ut rebus & perſonis noceat. III. Adeſt numen pictum in muſeo Borg., et in Malabaria notiſſimum, quod *Ciardháva* ſeu ignis vomitor dicitur, & quod in hac noſtra tabula exhibetur. Terribilis iſte Deus quaſi ad percutiendum pronus idem eſt cum *Iacca* ſeu Ciaka Ceylanico. Codex manuſcriptus quem de religione Ceylanenſium ad manus habeo, ita de Iacca diſſerit: *Il Iacca è il demonio rappreſentato gettando il fuoco dalla bocca, gli occhi ſcintillanti, il braccio alzato per battere. Si contentano di fabbricargli una caſa in forma di grangia, l'adornano di foglie, di rami, e di fiori. Aportano in queſta caſa dell' armi, o ſtromenti* (nempe lanceas, gladios &c.) *e diverſe proviſioni*, (nempe oryzam, ficus banánas, placentas, &c. *Frattanto* (noctu ad lumen lucernarum) *ſi toc-*

(1) Gigantes ſeu Titanes iſti mortales & antropophagi conventicula ſua in inſula *Andamani* in regno Pegu habere dicuntur.

ſi tocca il tamburo, *ſi canta*, *ſi danza &c.* Hoc eodem modo *Ciardhàvae* in ora Malabaridis, & Coromandelidis offerri ſolet. Dum daemon, malus genius ſeu *kutticiàtten* ex domo aut horto alicuius ſolvendus & pellendus eſt, tympana & crotala pulſantur, & in hoc Indi cum Aegyptiis conveniunt, qui Typhonem ſiſtro depellere ſolebant. Ciardháva proprie *vomitorem* ſignificat, ſed alio vocabulo a Brahmanibus lingua ſacra litterali *Shàſtava* id eſt vindex dicitur, & quia hoc vocabulum deo shiva proprium eſt, inde inferendum eſt, figuras has terribiles atque vindices hos deos ad illum principalem referri. Dum daemonis infeſtatio in domo aliqua non ceſſat, ſolet illi gallus occidi & ſacrificari, verum cultu hoc non Brahmanes ſed inferiores tribus cumprimis occupantur.

En heic oratiunculam qua daemon ad octo annos ex domo ablegatur & depellitur: *Om! vadi vilague codi, codi vilague vadi purayum màttan*, *nàttil varuvàyvàn*, *vittil anneyaivan kettiytten*, *ettànde kàlam osbiciu pòga svahà* (1). Fiat! o Svahà per piperis hederae huius piperinae huius plantam, ramuſculos & frondes, te adiuro, ut kettiytten, muttiytten (*daemonum popularium nomina ſunt*) ex hac domo exeat, ne amplius in hunc diſtrictum intret, ne ad domum hanc accedere poſſit per octo annos. Hanc & ſimiles oratiunculas plures ego habeo in codice corticeo de veneficiiis & incantationibus agente, & horum plures aſſervantur in bibliotheca S. Congregationis de Propaganda Fide, atque in bibliotheca regia Pariſienſi, quos ego anno 1789. menſe decembri vidi. Vide catalogum codicum Indicorum manuſcriptorum bibliothecae huius a Stephano Fourmont concinnatum & anno 1739. in typographia regia editum, quem mihi eruditus vir Bartholomaeus Mercier pro ſua in me humanitate lubens communicavit.

(1) Similes ſuperſtitiones in Indis olim viguiſſe iam obſervavit Strabo lib. 15. *Cum magicis carminibus*, *& ligaturis medicinam affingere*. Et de popularibus ſacrificulis *kaniyàn* dictis ita ait: *alios eſſe quorum quidam divinatores*, *incantatoresque ſint*, *& conſuetudinum & dictorum circa defunctos non ignari*.

ലിംഗം.

SACRIFICIUM ET CULTUS LINGAM

TAB. V.

Antequam Lingami cultum deſcribamus, paucis alia quae ſuperſunt Brahmanicae religionis ſacrificia attingenda ſunt. ബ്രഹ്മയജ്ഞം Brahmayágnam, vel Brahmayágam ſacrificium eſt, quod Brahmanes deo Brahma creatori, & rerum ſublunarium ſatori offerunt. Quod ſi nos infra invicte demonſtraverimus Brahmam nihil aliud quam materiam primam vel terram hanc, quam calcamus, eſſe, ſane ex illa demonſtratione noſtra omnino ſequetur, hoc ſacrificium elementari terrae offerri. Scilicet poſtquam Brahmanes ſoli, lunae, ceteriſque planetis eorumque geniis ex vi legis & philoſophiae ſuae ſtatutis per ſacrificia & preces cultum praeſtiterant, ordo rerum poſtulat, ut etiam elementa, terram, aquam, & ignem debito cultu proſequantur. Sacrificium hoc ab holocauſto ignis parum, aut nihil differt, niſi quod in precibus nomen Brahma dei identidem recurrat. Sacrificium peregrinorum ſeu advenarum amicorum quod അതി-ഥിപൂജ adithipùgia vocant, hoc fere modo peragitur. Sacrificio ignis peracto, advenae & hoſpiti propitium unum idemque numen, cuius divinitatem ambo recognoſcant, in atrio domus ſtatuitur, tum ſimul preces recitando flores ſuper idolum ſparguntur, tepida deinde aqua advenae pedes lavantur, & hoc non ſolum pacis & humanitatis, ſed etiam reciprocae religioſae communicationis indicium officiumque eſt. De hoc ſacrificio mentio fit in libro *Yudhishtira cap.*4. ubi heſychaſta quidam regem inviſendo hoc ſacrificium in domo ipſius regis obtuliſſe traditur. Ita pariter in libro *Sambhavam* ſeu *Paránam* in hiſtoria ſeu cantu *dèvayànibhàgyam* dicto, huius antiquiſſimi ſacrificii fit mentio.

വൈശ

ദെവഗൎക്കിലകിഥിപൂജ്ജകളുടെഞ്ഞെക്കിടിവദൎ

അസൗപാദ്യാൎഘ്യാദിഭിഃപകിൎയക്ഷൂൎഅ

ചെതസിതെക്തിഞ്ഞവഴിപ്തിെമൗൎവ്യഗ്രാചെതൎഅ

കുശലകല്ലിടപാഭക്തിഞൃവദകെകെയില്ലി

Dèvayànî shukren beſychaſtae filia , ut kacen filium regis conſpexit , ſtatim pro advenis inſtituto ſacrificio eum excepit & pedum lotionis aqua ac florum ſacrificio laetata , iterum dixit (ad kacen) : *bone & fortunate iuvenis numquid tibi aliquod nomen eſt ?*

Sacrificium അൎഘ്യം arkyam dictum , eſt ſacrificium florum , & unum quidem planta ac floribus *tularſy* , aliud floribus ſubrubris quos in Malabaride *cettipùa* vocant peragi ſolet . Subſtrata ſtorea in atrio domus , aut in ipſo templi altari idolum , cui ſacrificium offerri debet , conſtituitur , atque preces recitando flores pollice , indice & medio paullatim ex vicina paropſide accipiuntur , & ſuper idolum ſparguntur . Dum rex quiſpiam aſſiſtit , ut rex Travancoridis fere quotidie aſſiſtere ſolet , per circulum circumſtantibus Brahmanibus ipſe etiam cum ſacrificulis *slogam* , ſeu *mandram* , quod preces ſecretas ſignificat , recitat . En heic inter alias multas unam harum orationum formulam .

Om ! pránáya prána pradishtáya ſvahá
Om ! giváya giva pradishtáya ſvahá
Om ! mandráya mandra pradishtáya ſvahá
Om ! tandráya tandra pradishtáya ſvahá .

Om ! fiat (imperative & optative) *anima ſeu ſpiritus pràna* (quinque vero admittunt ſpiritus in corpore humano , nempe prána , abána , sámána , udána , vyána , & hi ad animam ſenſitivam referuntur (*pràna anima ſenſitiva exſurgat ordinata ! om , fiat ! anima rationalis* (giva) *& vivificans exſurgat ordinata . Om , fiat ! oratio noſtra* (mandra) *exſurgat ordinata ! om , fiat ! figura haec* (tandra) *exſurgat ordinata !* Quod quidem duplici modo intelligi

ligi poteſt: nempe ut anima deaſtri exſurgat, & figuram illam informet, quod ſane idololatriae certum indicium & argumentum eſt, aut ut animae defunctorum vagantes, quae per metempsychoſim nondum fuere purgatae, oratione illa & cultu exſurgant, ac tandem beatitudinem, requiem, & immutabilitatem aſſequantur. Hoc ultimum habere videtur orationis ſenſus, nam dum flores ſpargunt, & alias etiam extra ſacrificii tempus centum & octo vicibus circa ſtatuam idoli, aut circa ipſum templum omnes ſucceſſivo ordine gyrant, preceſque recitant. Quo circuitu, ut mihi *Payampalli Kurripu* amiciſſimus meus regis Travancoridis cubicularius amanuenſis, Brahmanicae devotioni addictiſſimus vir dixerat, non ſolum univerſi gyrum, planetarum curſum, creatarum rerum omnium viciſſitudinem atque ope generationis corruptioniſque ſucceſſivam permutationem, ſed cumprimis animarum per continuas tranſmigrationes revolutionem repraeſentant. Hunc ritum & plebei homines imitantur, quamquam alioquin pauci illius ſignificationem noverint. Inde feſtis ſolemnioribus circa ſacras arbores in lucis, circa idola ſub his arboribus ſtantia, circum templa infinitos circuitus faciunt preces recitando, flores aut ſeſamum ſpargendo, oryzam, nucem coco, aut oleum deaſtris & delubris offerendo, corpus & animam poenitentia, precibus, & ieiunio fatigando. Tantus nempe his gentibus, quas nos barbaras vocitamus, deos ſuos colendi ardor, tanta animae ſalvandae ac ab aerumnoſis tranſmigrationibus liberandae cura! Et his bonis alioquin votis & morum integritate Europaeos infinitis pene paraſangis antecedentibus populis philoſophaſtri noſtri & ſomniatores non ſolum animae immortalitatis dogma apud omnes gentes receptum abiudicant, ſed ſomnia ſua, viſiones nocturnas, opinioneſque ſuas delirantes, ipſum denique materialiſmum, aut atheiſmum appingere non verentur. De qua re confer de Paw *tom*.2., alioſque.

Lingami cultum non ſolum apud Indos, ſed etiam apud Tibetanos obtinentem, nos invictis rationibus vindicavimus in diſſertatione hiſtorico critica in linguam ſacram Samſcrdamicam, & in commentariolo in fragmentum libri *Bhàgavadam*. Illa ergo monumenta inſpiciat cui ocium & volupe eſt. Heic ipſum lin-

Digitized by Google

Lingami ſimulacrum una tab. exhibemus, prout in ora Malabaridis paſſim iuxta templa & in ſacris lucis conſpicitur & colitur. Hoc Brahmanicum portentum una tabula etiam exhibet Sonnerat *tom.1. edit. in 4.*, nam illa quae in octavo eſt, fraudulenta eſſe videtur, et iconibus pleriſque caret. Lingamicam effigiem affert pariter Pivatius (1). Idem repraeſentat in ſolemni Tibetanorum ſacrificio maſſa quaedam, ut aiunt, ex hordeo in coni modum formata, quam exhibet *In Alphab. Tibet.* R. P. Georgius *una tab. ad pag.* 212., ut nunc taceam de figura ſeu de deaſtro Tibetano *Hopame*, quam idem *tab.*4. *ad pag.*552. affert, & quae in manibus lingam in loto aut matrice tenens, ante pectus ſuſtentans, & attente conſiderans repraeſentatur (2). Idem deſcriptum vide ad latus throni in quo magnus Lama ſedet ac benedictionem impertitur *eadem tabula*. Denique *tab.*3. *ad pag.*508. mani rotatilia ſeu lingamica inſtrumenta, qualibus inſtructi gentiles in urbe Surate in Indiis certo anni tempore per compita currere ſolent, & obvias quaſque feminas tangere, ut inſtitutionis huius lingamici cultus a Shiva deo factae meminerint. Haec eadem ex brachio aut collo portant appenſa viri feminaeque Indicae ſectae pandaricae, *pandàrangiàdi* dictae, & in Tibeto *labae*, & vulgus omne. Quare praedictus R.P. Georgius *pag.*212. ſupracitata ait: *Sacrum conum floribus loti impreſſum*, Thurma ཐུར་མ *nuncupatum, e templo extra urbis moenia praeeunte pompa ſingulis anni menſibus ſacrum conſummaturus educit lhama ſacerdos*. Et infra: *vexilliferi ſigna ſexdecim in quorum vertice tridens eſt ſymbolum mahadei*, id eſt Shivae *deferunt*. Et infra: *reliqui ferunt argenteam concham hordei & urceum cereviſiae plenum, religioſi viri vehentes thùrma impoſitum tripodi*, ſeu triangulo. De hoc loquitur R.P. Ildephonſus in codice ms. *num.*20. *inter codices manuſcriptos S.Congreg. de Prop. Fide lib.*2. *cap.*4. ubi haec habet: *in circuitu montis Kylàſam*(കൈലാസം, quae habitatio eſt dei Shiva, ut patet

ex

(1) Nuovo dizionario ſcientifico e curioſo ſacro-profano di Gian Franceſco Pivati, *tom.*8. *contenente R. In Venezia* 1719. *tom.*8. *tab.*26. *fig* 3. item *tabul.*30. *fig* 1.2.3 *tab.*31. *tab.*33. *fig.*2. *fig.*3. *tab.*46. *Quanvon*.

(2) Aliqui *umbilicum Iovis* eſſe putaverunt. *Pyxidem nauticam* eſſe arbitrabatur Thomas Hyde *in relat. hiſt. veter. Perſ.*, Kircher *tom.*1. *in Oedip. pag.*202.

ex amaraſinha ſect.1. *ſorggavargam*) *fingunt Brahmanes dari ſeptem ordines graduum per quos aſcenditur ad ſummitatem montis, darique ſuperius quemdam campum vaſtum & planitiem, ac in medio huius exſtare unam campanam argenteam, & unam quadratam menſam circumdatam novem lapidibus pretioſis diverſorum colorum, ſupra menſam exſtare quamdam roſam argenteam, ſimilem illis quae naſcuntur in lacubus vocarique ſolent tàmara* (vide tab IV.) *vel padma* quod idem eſt, lotus nempe ſeu nymphaea. *In medio roſae* (loti) *brutales Brahmani fingunt illud triangulum feminae & shivalingam viri. Triangulum quidem dicunt eſſe domum & habitaculum dei aeterni, deum autem aeternum eſſe Shivalingam, ut iam ſupra diximus. Quae duo inſtrumenta infamia id eſt triangulum & shivalingam dicunt collocata eſſe tamquam in throno ſupra unum leonem &c.* Idem confirmat ex Pacunar viro gentili, cuius verſus ibi affert, R.P.NorbertusCappuccinus Miſſionarius olim Pondicerenſis & gentilicae ſuperſtitionis peritiſſimus vir in codice manuſcripto quem ad manus habeo, non ſolum ſectam in Indiis hanc lingamicam, ſed etiam ritum, leges, & ſacrificia lingamica deſcribit. Inter alia vero haec habet: *Allamaprabu* (poenitens qui cuidam regi Indico apparuit, & cultum hunc edocuit) *gli diede l'aſcirvàdam* (benedictionem) *e lo fece rialzare per dichiarargli il diſegno di tutta la regola, che era venuto per ſtabilire. Il primo punto fu, che ſi portarebbe il lingam al collo, al braccio, o alla teſta, e che tutti quelli ch' avrebbero queſta devozione, otterrebbero la remiſſione di tutti li loro peccati, ed avrebbero per ricompenſa il cielo de Shiva, e che a queſt' effetto s' indirizzarebbero al guru* (magnus magiſter ſectae) *il quale ſolo avrebbe il potere di diſtribuirlo in qualità di diſpenſatore dell' indulgenze di Shiva, e che il guru prima di darlo lo conſacrerebbe con un' unzione fatta di butiro, di latte dolce, e ſquagliato e d'orina, e di ſterco di vacca. Il ſecondo punto era che il guru ſarebbe obbligato d'inſegnare alli figli le cerimonie, che ſarebbero obbligati di fare 3. volte il giorno in tutta la loro vita all' onore del lingam, che le ceremonie conſiſtevano a prendere il lingam nella mano ſiniſtra, e verſaſſero ſopra dell' acqua con la mano deſtra, ungerlo di tiruniru* (compoſitio ex terra & ſtercore vaccino (*ornarlo di fiori e ſopra tutto delle foglia di villapatti, ed in-*

incen-

cenſarlo , e dopo offrirgli un pugno di riſo &c. Plura alia ſcriptorum, qui diu in Indiis verſati ſunt, teſtimonia in medium afferre poſſem, ſed haec, quae attuli, iam evidenter probant cultum lingamicum in Indiis, & Tibeto longe lateque certiſſime propagatum fuiſſe. Conſtat etiam ex his ipſis, *Mani* Tibetanum non eſſe Manetem haereſiarcham, ſed Lingam, et Tibetanos huic cultui lingamico addictos, veros eſſe shivenitas, id eſt tertii trinitatis Indicae dei, nomine *Shiva*, *Mahadèva*, *Iſhvara*, vel *Rudra*, quem alii corrupte *Sciaca* dicunt, cultores, qui cum Indis conveniunt ad amuſſim; ut proinde de eorum religione Brahmanica amplius nullatenus dubitandi locus ſuperſit, quod fuſius in grammatica Samſcrdamica probavimus. Quod ad Peguanos, Siamenſes, et Iaponenſes attinet, inſpiciantur in Pivatio locis citatis variae tabulae, et ex illis manifeſte apparebit aliquos illius gentis deaſtros, aut lotum ſolum, aut lotum ſeu matricem, et in ea lingam, aut denique yoni ſeu matricem ſolam, aut lingam ſolum in manibus tenere, atque attente conſiderare. Ex quo iterum evidenter deducitur turpem lingamicum cultum Brahmanicum, etiam in illas terras perlatum fuiſſe, et in iis certum locum obtinuiſſe. Confer etiam de hoc argumento eruditam diſſertationem *pag.*145. *& ſeq.* in *Aſiatick reſearches* (1). Ne vero res haec nova et hactenus in Europa inaudita ſive circa Indos, ſive circa Tibetanos dubium aliquod lectoribus relinquat, videant in bibliotheca S. Congreg. codicem manuſcriptum R. P. Conſtantini ab Aſculo Capuccini Miſſionarii Nepalenſis, qui pleroſque Indicos, quin et aliquos Tibetanos deaſtros coloribus expreſſos exhibet, & triangulum ſeu yoni vel matricem Bhavani deae *fig.*4. repraeſentat. Ad quam figuram is quidem pauca ita ſubnectit dicens: *Una lunga deſcrizione ben favoloſa ſi potrebbe formare ſu la figura del num.*34., *ma l' oneſtà nol comporta rappreſentando quella diſoneſta parte della gran dea Bavani. Per le vie pubbliche del regno di Nepal in abbondanza ſi vedono formate tali diſoneſte effigie così abbellite per levarle quel roſſore che naturalmente ſeco portano. Nella ſelva di Devapalan non molto diſtante da Catmandu ſe ne mi-*

E *ra una*

(1) Some Account of the ſculptures and Ruins at Màvalipuram, a Place of a few Miles North of Sadras.

ra una di bronzo &c. Quin adeſt in muſeo Borgiano Velitris nummus Tibetanus argenteus, qui hanc deae Bhavani partem manifeſte repraeſentat, atque ſimul evidenter convincit, nihil turpe, nihil ridiculum, nihil opprobrioſum hominibus videri, cum, deficiente revelatae a Deo religionis lumine, intellectus humanus ſuae propriae ſpeculationi traditus eſt. Yoni ſeu triangulum hoc Bhavani deae in philoſophia Indica & Tibetana ſine dubio naturam omnium rerum, cuius ſymbolum lotos eſt, & ex qua ope caloris & humoris omnia naſci fabulantur Indi, repraeſentat; ſed an ſymbolum hoc ab omnibus capitur, & anne nullum morum excidium praeſertim tenerae iuventuti exitioſum continet & obtrudit?

Cur hi Indici deaſtri cum lingam & yoni ſeu matrice, aut cum loto ſeu nymphaea in manibus tam frequenter repraeſententur, atque inſtrumenta haec generationis attentiſſime conſiderent, rationem nos ſupra ex Plutarcho adduximus. Vide Plutarchi textum ipſum in prima diſſertatione de ſacrificio *yàgam*. Nempe antiqui philoſophi caelum pro patre, terram autem pro matre habebant, atque ex igne & aqua, ex calore & humore, ex actione ſolis, lunae, mercurii, ſaturni, iovis, veneris, planetarum denique & aſtrorum in terram & ſublunaria, vi aliqua energetica, & influxu omnia procreari docebant. Unde terram per matricem ſeu per yoni, aut per lotum quae ſolis & aquae prima productio eſt, repraeſentabant, per lingam autem ſolis & planetarum actionem ſymbolice exhibebant, ex eo quod ſol & planetae quaſi ſeminent, terra autem ſemen illud in ſe recipiat, & calore ac humore germinet, atque producat. Quare Indi lingam a Shiva Deo, quem nos ſolem & ignem eſſe infra demonſtrabimus, inſtitutum fuiſſe fabulantur, & in illius honorem lingam penſile ex collo aut brachio portant. Non itaque iam mirandum, quod antiqui gentiles, quin et Iſraelitae ſolem ſub figura priapi, bovis, aut ipſiusmet ſolis vel mitrae adoraverint, et repraeſentaverint. Quare omnes illae figurae deaſtrorum Indicorum Tibetanorum, Peguanorum, Siamenſium, Iaponenſium, quas ſupra ex Pivatio, R. P. Georgio, aliiſque citavimus, ſive Shiva deum ſeu ſolem vel ignem, ſive Budha deum

id eſt

id eſt planetam mercurium repraeſentent ; ad hanc veterum Brahmanum philoſophiam certiſſime referuntur. Vide in grammatica Samſcrdamica noſtras animadverſiones in fragmentum libri *Bhàgavadam*. Trianguli et numerorum vim in triangulo conſtitutam vide apud Macrobium *In ſomnio Scipionis lib.* 1. *cap.* 6. taurum terrae ſymbolum, quo Shiva deus, ſeu ſol vel ignis vehitur, habes apud eumdem Macrobium. De Mercurii ſeu Budhae ſimulacrò eiuſque virilibus erectis agit ipſe Macrobius *Saturn. lib.* 1. *cap.* 19. et de ſole multa habet libro eodem (1). Vide etiam Plutarchum *de Iſide & Oſiride* (2), & Lactantium *de origine erroris ſeg.* 21.

[illegible]

EXPIATIONES, LOTIONES, PRECES, PEREGRINATIONES

TAB. VI.

Brahmanes dividunt peccata in tres ſpecies. പാപസാമാന്യം páva ſàmanyam, peccata communia, ſeu parva. പാപമദ്ധ്യമം páva madhyamam, peccata malitiae mediae. പാപോൽകൃഷ്ടം páva ulkrsham, peccata maxima & graviſſima. Ita pariter dividunt virtutes. Ex peccatis alia ſunt in hoc mundo remiſſibilia, alia non item. Quae remiſſibilia ſunt, expiantur per ieiunia, preces, eleemoſynas, lotiones corporis, & peregrinationes: Hae fiunt ad fluvium *Indum*, *Gangem*, *Cavèri*, ad templa famoſa *Kàshi*, *Ràmishvaram*, *Ràmanàthampuram*, *Iloura*, lacum *Nepa-*

E 2 *ſen-*

(1) *Solem terrenae fecunditatis auctorem, idem poeta profano docuit exemplo cum ait:*

Saepe etiam steriles incendere profuit agros.

Et ipſe Macrobius in ſomn. Scip. lib. 1. c. 2. inſuper ait: *Sic Plato cum περὶ τ' ἀγαθοῦ loqui esset animatus, dicere quid sit, non est ausus: hoc ſolum de eo* (deo) *sciens, quod sciri quale sit ab homine non possit. Solum vero eius simillimum de visibilibus solem reperit, & per eius similitudinem viam sermoni suo attollendi ſe ad non comprehensibilia patefecit.*

(2) *Isis naturae ea pars quae quasi feminea, omnes in se recipit ortus, tamquam nutrix quaedam, & omnium commune receptaculum dicta est. Implendam se praebet & conserendam de fluxibus ac seminibus quibus feta & rebus referta gignendis gaudet atque exsultat.*

Digitized by Google

lenſem, *Cangipuram*, in inſulam *Salſette*, ad montes *Naraſinha*, ad montes Tibeti, ad templum ipſum magni Lhamae, non quia Indi ab eo religionem ſuam acceperint, quod putat de Paw, ſed quia Tibetana religio cum Indica eadem eſt, & ex hac proceſſit. De fluviis & templis praedictis confer Sonnerat, Thevenot, Anquetil du Perron, Freyer, Chambers, Niebuhr, & Miſſionarios ſupra ſaepe citatos. Dum ad ea accedunt, corpus lavant, & ſacris ſignis *bhaſmam* ſeu *tirunàmam*, aut *kuri* dictis, frontem exornant, ante idola proſternuntur, munera offerunt, peccata confitentur, ſacrificant, & vel aquam vel terram benedictam exinde acceptam domum referunt. Rex Travancoridis Ráma Varmer anno 1786. triginta millibus militum ſtipatus deaſtrum *Ràma* ſeu Vishnu in templo Rámishvaram inviſit, ac ibi eidem ſacrificia obtulit. Templum eſt hoc ad pontem Ráma, ſeu Adami ſitum, de quo confer mappam geographicam Renelli, & Guilelmi de l'Isle.

Leviora peccata etiam hoc modo expiant: adeunt plebei ſacrificulum ſacerdotem, ac facta corporis proſtratione, quam *shàſtàngam*, vel *pàdagrehenam* vocant, leve ſuum peccatum ſacerdoti annuntiant. Hic aqua luſtrali tirtam dicta poenitentem conſpergit, ac ſuper eum orationem aliquam ſeu *mandram* recitat, atque ut poenitens ipſe ſe poſtea lavet iniungit. Qui, perſoluto ſacerdoti pretio, aut munuſculo, quod attulit, depoſito, expiatus ad propria revertitur, atque iterum iterumque ſe in flumine aliquo, aut ſtagno lavat. Eadem fere caerimonia circa inanimata obtinet. Dum canis in publicum fontem incidit, & eum contaminat, dum viliſſima hominum tribus *pulleas* & *pareas* dicta, ſeu unus ex illis templa, ſeu ſacra adyta caſu, aut ex ignorantia ſubintrat, & contaminat, dum fontem publicum aut alterius tribus ſtagnum, Brahmanicam, aut aliam domum contingit, aut tactu aliam nobilioris conditionis perſonam contaminat, hoc eodem ſupradicto modo haec ipſa purificantur, & ſanctificantur. Fons vero, domus, aut templum contaminatum, aqua luſtrali eluitur, orationibus ſanctificatur, et in eo ſtercore vaccae perlinito, ſacrificium ignis ſeu hòmam peragitur. Dum novum delubrum dedicatur, non abſimilis eſt ritus, excepto quod multo thure,

thure, multis ac variis pretioſis lignis crematis, multa aqua luſtrali, inter immenſos populi et muſicorum choros, ſaltantium feminarum *dèvadàſi* dictarum, choraeas, dies ille feſtus peragitur. Feminae hae dèvadàſi dictae mancipia idoli ſunt, ſeu oblatae, et a balhaderiis ſeu ſaltatricibus ſamſcrdamice *nartagul* dictis diverſae. Haec ſcorta ſunt, quibus ſalaciſſimi noſtri viatores et mercatores Europaei ſacrificant, et cum ipſis bona ſua abliguriunt, illae vero feminae (quod Sonnerat, aliique numquam diſtinxerunt) templorum famulitio immediate conſecratae ſunt, quae lampadas accendunt, ſordes everrunt, in aedibus templo contiguis habitant, et numquam cum Europaeis, vili hominum genere ex ſua opinione, communicant. Harum inſtitutio eſt antiquiſſima, nam in libro yudhishtiravigêam ita de harum oblatione dicitur: *Pràna ſamànan iba tan bhràdren dèvi prabudhyamàna nibadàn abhavel udàſi namana gandharva bhayèna data dàſi namana. Dea* (regis uxor) *emortuos, & ſpiritul ſimiles illos fratres videns, propter metum deorum muſicorum* (nempe larvarum mortuos et vivos infeſtantium) *deum Vishnu adoravit, &* (ne fratres mortuos infeſtarent) *ancillam ſuam huic deo obtulit, conſecravit, templi eius ſervitio addixit*. In eodem hoc libro dicitur: truces deos iſtos potato ſanguine laetari, *ciukòba rudhiram ſampràshya anandl*. Quare ſi non iſtis minoribus diis, certe deae Kàli ſeu Bhadracàli, quae in Indicam plebem variolarum morbos immittere creditur, et plebem caſtigare, expiatorium ſacrificium *tùkam* dictum, quo nempe vir quidam ex duobus uncinis in renes immiſſis ſuſpenditur, et circa eius fanum cum pompa circumfertur, offerri ſolet. Sanguis deciduus, et ex vulneribus huius viri profluens, cum ſanguine galli gallinacei miſcetur, et ante aram huius deae igni ſeu foco ſacro iniectus ſimul cum lignis ſacris, de quibus ſupra, ſacrificatur, et concrematur. Ex quo ſane I. ſatis tuto inferes, antiquitus huic deae victimas humanas in expiationem peccatorum populi immolatas fuiſſe. Inferes II. deam Bhagavadi, et Ga'ngadèvi, alias Dourga dictam, unam eamdemque perſonam, ac individuam eſſe. Inferes III. in libris Brahmanicis veſtigia antiqui cultus hodiedum certiſſime reperiri, neque hunc modernum a veteri cultu tantum diſcrepare, quan-

Digitized by Google

quantum P.Georgius, D. de Paw, et Sonnerat, neſcio quibus ratiunculis inducti, putavere (1). Quod ſi hodie revera ſuſpenſus ille, et ex uncinis pendens vir non immolatur, id non ſyſtemati metempſychoſeos, quod antiquiſſimum eſt, et apud Brahmanes ſemper obtinuit, ex opinione horum virorum poſtea inducto, ſed gentis cultui, philoſophiae progreſſui, legum Indicarum poſtea emanatarum vigori et introductioni, regum edictis, ac tempori, quod omnia mitiora facit, adſcribendum eſt. Peccata magna et graviſſima inter Brahmanes ſunt ſequentia: ജാതിനിന്ദ giàdinindá, deſertio a tribu & lege. II. പരസ്ത്രീധനഹരപാപം paraſtridhana hara pávam, deſertio ſuae propriae uxoris, & cum alia concubinatus. III. മാതൃഹാതകം mádruhádagam, occiſio matris. IV. പിതൃഹാതകം pidruhàdagam, vel pidruhàdi, occiſio patris. V. ബ്രഹ്മഹാതി bhrahmahádi, occiſio Brahmanis. VI. യോഗിവൃന്ദഹരം yògui urndaharam, deſtructio ſeu everſio domuum & aſceteriorum, ſeu habitationum, in quibus Samanaei habitant philoſophi & poenitentes. VII. സുവൎണ്ണസ്തേയദുഷ്ടം ſuvarna ſtey dushtam, ſeu falſificatio auri & monetae. VIII. ലോകനിന്ദ lòganinda, ſeu crudelitas, deſpotiſmus, violentae exactiones, ac tyrannica ſevities in populos, proprie *delectio populi*, quod vox *ninda* ſeu *ninna* ſonat. Sunt praeterea alia quinque peccata, quae Brahmanes *màhà pàvam* vel *màhà padagam* vocant, ſeu peccata magna, id eſt: *occiſio vaccae*, *occiſio* *Brah-*

(1) Strabo *Geograph. lib.*15., Plutarchus in vita Alexandri magni, Palladius de gentibus Indiae, S. Ambroſius de moribus Brachmanorum, Cicero *Tuscul. quaest. lib.*5. Plinius, *Nat. Hist. lib.*7. *cap.* 2., Arrianus *de expedit. Alexandri*, & Porphyrius *de abstinentia lib.*4. Multa horum teſtimonia in unum collecta habes in libello, qui inſcribitur: *Palladius de gentibus Indiae, S. Ambrosius de moribus Brahmanorum, anonymus de Bracmanibus ex bibliotheca Regia Londinensi curante Eduardo Bissaeo. Londini apud Roycrofl*. Confer etiam catalogum Stephani Fourmont codicum mss. bibliothecae Regiae Pariſinae *fol.*434. *& seqq.*

Brahmanis, *potatio vini* ſeu arackae, *furtum* alieni aeris, *adulterium* cum aliena commiſſum. De his apud P. Erneſtum Hanxleden ſub voce *panciapàvam*, P. Iohannem a Brito, P. Ildephonſum a Praeſentatione alioſque Miſſionarios plura invenies. Quae omnia viatores philoſophi Europaei aut ignorant, aut in ſuis relationibus itinerariis ſtudio & ex induſtria celant, ne Brahmanicae moralis doctrinae capita, philoſophiae ſuae adverſa, Europaeis innoteſcant, et inde contra eos arma deſumantur. Sequentia etiam Brahmanes inter graviſſima peccata numerant: *alieni aeris direptionem & uſuram*, *regalium fundationum pro deorum famulatu erectarum deſtructionem*, *pro itinerantibus excipiendis & pertractandis fundatorum hoſpitiorum & domuum madam*, *ambalam*, *vel alias ab Europaeis chauderies dictarum*, *everſionem*, *ſtagnorum & fontium* publicorum, in quibus populus lavari ſolet, *deſtructionem*, *heſychaſtarum* ſeu ſolitariorum philoſophorum, qui ſibi & mundo ſtudent, *perſecutionem ac infeſtationem*, *diſcipuli in ſuum magiſtrum iniuriam*, *conducti operarii mercedis promiſſae defraudationem*. Hae ſunt illae antiquae & ſanctae leges Brahmanum, quos nuper ſua ignorantia, ſimulque ſuperbia totus diſtentus philoſophellus quidam, barbaros eſſe, mihi magna ſuae ſcientiae Europeae iactantia perſuadere volebat. Harum vero legum Brahmanes adeo tenaces ſunt, adeo ab his peccatis abhorrent, ut cum in poſtremo bello anno 1760. in Malabaria geſto Rex Travancoridis gentilis princeps publicas & religioſas domos ſubvertiſſet, confecto bello & pace ſtabilita, Brahmanes hoc regis crimen nec abſolvere, nec regi remittere voluerint, niſi, peractis multis ſacrificiis, per auream vaccam ipſe rex pertranſiret, ac crimina ſua elueret. Quod & fecit, hodieque ſtat aurea illa vacca in Parmanáboram arce regia, in cubiculo gazophylacii regii, luculentum huius regiae expiationis monumentum. Hanc auream vaccam D. Donaud regis architectus ſaepius ſe vidiſſe mihi teſtatus eſt, dum ob miſſionis negotia iterum iterumque ego ad arcem & regem acceſſiſſem, & cum praedicto D. Donaud una domo & horto habitarem. De tranſitu hoc regis per vaccam auream vide Anquetil du Perron *tom.1. in Zendaveſta diſcurſu prael. pag.150. & ſeq.*, Niebuhr *tom.2.*, qui duo tamen viatores multum

allu-

alucinati ſunt, dum hoc ideo a rege illo factum fuiſſe exiſtimarunt, ut ſe nobilem redderet, neſcientes, reges Travancoridis ex nobiliſſima familia principum ex *Ràgiacallamangalam* deſcendere, quod nos alibi demonſtravimus. His itaque perſpectis, nunc iam non miror, etiam antiquos Brahmanes Alexandro magno percontanti, multa dura, ſublimia, & philoſophica reſponſa dediſſe. Vide de his quae Palladius in opere ſupra citato dicit pag. 26: *Tum Dandamis* (ſenior Brahman) *ad Alexandrum. Cur ad nos veniſti? quid vis ex noſtra ſolitudine ferre? Quod quaeris, nos non habemus, eorum, quae poſſidemus, non indiges. Nos deum reveremur, homines amamus, aurum ſpernimus, mortem deſpicimus, voluptates non curamus. Vos mortem timetis, aurum amatis, voluptates concupiſcitis, homines odiſtis, deum contemnitis.* Et Plutarchus in vita Alexandri: *Dandamim quaeſiviſſe: quanam de cauſſa Alexander eo* (ad Indias) *veniſſet tam immenſo itinere?* Arrianus lib. 7: *Dandamis ab Alexandro vocatus ut veniret reſpondit: neque ſe ad Alexandrum venturum, neque aliis ut irent permiſſurum: ſe etiam Iovis filium eſſe perinde atque Alexander: neque ulla re ab Alexandro egere, iis enim, quae haberet, contentum eſſe. Quamdiu enim viveret, Indorum regionem tempeſtivos ſtatis anni partibus fructus ferentem ipſi ſufficere, cum vero mori contingeret, ſe a corpore, ut ſocio non ſatis aequo, diſceſſurum.* Haec & alia multa Alexandro a Brahmanibus dicta referuntur, & ſane quiſvis vere cum Brahmanibus etiam modernis converſatus eſt, haec inſtituto ſuo & magnanimitati modernae apprime conformia eſſe, facile fatebitur, ac proinde ea, quae hi auctores de veteribus Brahmanibus afferunt, vera eſſe facile ſuaderi poterit. Is ergo Brahmanicus philoſophiae & inſtituti eſt vigor, ut neque ipſi facile deflectant, nec ipſos reges a legalibus expiationibus immunes eſſe velint. Debent & hi ſacrificare, ſtatis horis ſe lavare, certis diebus ieiunare, & iuxta regiae dignitatis officia, etiam religionis munera obire. Quod quidem nuperrimo ex greges Epicuri ſycophantae de Paw nimis durum & ridiculum eſſe videtur, dum reges hos philoſophicos, potius monachos appellandos eſſe cenſet, quaſi philoſophiae culmen non ſit ſobrium, temperatum, diis addictum, & in homines benignum eſſe cum prudentia.

Ieiu-

Ieiunia vero expiatoria quae philoſophi hi, reges & plebs ipſa obit ſunt *Màſubavàſam*, ieiunium menſile quod plerique libere ſuſcipiunt, ut a peccatis purgentur. Hoc ieiunium conſiſtit in eo, quod abſtineant ab omnibus eduliis, excepta aqua, oryza, fructibus, herbis, oleribus, & radicibus, quae ſola modico butyro, aut oleo condita ad occaſum ſolis comedunt, dum integram diem in lectione piorum librorum, in ſacrificio peragendo, in lavando corpore, in perſolvenda corona precatoria രുദ്രാക്ഷം rudràksham dicta, inſumpſerunt.

Secundum ieiunium omnibus commune, eſt *Egáshi*, ſeu die undecimo poſt plenilunium, & aliud die undecimo poſt novilunium. In ambobus uſque ad occaſum ſolis ab omni nutrimento abſtinent, & pietate inſignes viri ne folium quidem aromaticum betel dictum manducant, quamvis alias maſticatio huius folii cum nuce areca adeo ſit in uſu, ut apud Europaeos communis eſt uſus Nicotiani pulveris. Inde certe veterum errorem profluxiſſe credo, qui apud S. Ambroſium Indos arborum folia pecudum more manducare putabant. *Edunt arborum folia pecudum more*. S. Ambr. de moribus Brahmanorum.

Tertium celebre ieiunium eſt Brahmanicum menſe decembri, quod toto illo menſe durat in memoriam victoriae, a quinque fratribus Pandava dictis, contra centum alios fratres conſobrinos obtentae; de qua celebris exſtat liber Yudhishtiravigeam dictus, a gentilibus aeſtimatus, ſtilo ſeu carmine ſcriptus nitido, facili, correcto, & elegantiſſimis imaginibus ac phraſibus refertus. Huius verſionem aliquam dediſſe Anglum Wilkinſium annuntiavit Mallet Dupan in diurno Genevenſi ad annum 1786. menſe martio, quam tamen ego hactenus nón vidi. Sed nec correctam me viſurum ſperare poſſum, ex eo quod alias verſiones in *Aſiatick reſearches* ſeu diſquiſitionibus Aſiaticis per Wilkinſium factas, hinc inde claudicare, & nomina Indica per linguam Anglicanam foediſſime corrupta fuiſſe videam. Ieiunium itaque Brahmanicum menſe decembri fit in honorem dei Krshna ſeu Vishnu incarnati, qui pro Pandavis bellavit, & hoſtes eorum

 devi-

devicit (1). Quare ſolent hoc menſe Brahmanes ante auroram ſurgere, ante ortum ſolis corpus lavare, idolo Vishnu oryzam, flores, iuniperi grana, ſaccharum & fructus offerre, & ſacrificare, tum ex oblatis edere, obſervantia diei modo praedicto iam ſancte completa. Shivenitae ſeu Lingami cultores, Pandáragiádi dicti, ſecta a Brahmanibus diverſa & vilior, menſe nov. ſingulis diebus ieiunant, nihilque edunt aut bibunt, uſque dum veſperi ſtellas videant in firmamento, aut ſaltim eas videndi hora adveniat. Samanaei duriſſima ſuſtinent ieiunia peculiaria, nam nefas ipſis, ut Brahmanibus, vinum deguſtare aut ſaltim delibare, carnes tangere, animatum quidpiam occidere, quin & aliquas herbas reſecare. Habent & mulieres ſua propria ieiunia, nempe 27. die menſis ianuarii celebrant ieiunium *Tiruvàdiram* dictum in honorem dei *Kàmadèva* ſeu Cupidinis, cui ipſae condolent, quod ob nimiam cum Shivae uxore familiaritatem Shiva deus oculo ſuo vindice in media fronte exſiſtente, combuſſerit et interfecerit *Kàma* deum, quem tamen poſtea ad preces uxoris iterum reſuſcitavit.

Lotiones corporis in Indiis, ubi tantus calor, ad diminuendam corporis tranſpirationem, et illius corroborationem, quae unctione per oleum perficitur, maxime neceſſariae, apte ad religionis ritum et in expiationem peccatorum fuere inſtitutae. Has Romani quoque et Aegyptii uſurpabant. Unde illud Iuvenalis:

Ter matutino Tiberi mergetur & ipſis
Verticibus timidum caput abluet.

Et illud:

. . . . *ſi candida iuſſerit Io*
Ibit ad Aegypti finem, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas ut ſpargat in aede
Iſidis. Sat.6.

(1) De gente Pandea ſeu Pandavis in India, vide Arrianum in Hiſtoria Indica *pag* 321. *edit. Gronovii*. Plinium hiſt. nat. *lib*.6.*c*.20. & 23. Ptolemaeum Alex. Geograph. *vet. edit. Venet. lib*.7.*tab*.10.

Digitized by Google

Ex quibus dignoſcitur aquis ſemper vim purificandae etiam animae tributam fuiſſe. Unde in Indiis per lotiones ſeu lavacra iſta frequentia homo vilis a nobili, ſordidus ab immundo, ſanctus a polluto ex gentilium ſuperſtitione et opinione ſecernitur, & nullatenus abſque ſuperſtitione cum ipſo habetur conſuetudo. Quamprimum Brahmanes, aliique gentiles in ſtagnum aut flumen deſcendunt, vola manus dexterae aſſumpta aqua, eam tribus vicibus & in tres plagas ſpargunt ſolem reſpicientes, quod ſane tribus vicibus faciunt vel in honorem ſolis, vel ut alii volunt in honorem dei Brahma, Vishnu, et Shiva. Tribus pariter vicibus vola manus dexterae in os aquam immittunt ita ut manu os non tangant, tum ore abluto lavant corpus, et ſe ſe lavando, nomina vel dei Shiva, vel dei Vishnu in amaraſinha deſcripta recitant, prout nempe plus minusve uni vel alteri deo ſunt affecti et devoti. Hoc ipſi vocant *gebam*, ſeu recitationem precum, quae ſemper per hanc formulam നാരായണായനമഃ Naráyana namà, vel ശിവശിവായനമഃ Shiva Shivàya namà incipiunt, id eſt adoretur Naràyena ſeu *Vishnu*, adoretur deus *Shiva*. Dum orant orientem, aut boream reſpiciunt, numquam meridiem aut occaſum, nam oriens ipſis ob ortum ſolis in veneratione eſt, et ſeptentrio, quia ad hunc ſanctiſſima, et myſteriis plena ſita eſſe dicunt loca, quae revereri debeant. Ibi mons Mahàmeru (1), ibi montes ſancti qui deae Párvadi natale dederunt, ibi myſteria cultus lingamici inſtituta, ibi Ramae dei patria, et ſancta dei Shiva habitatio (2). Mons Mahàmeru ad gradum circiter XXX. latitudinis ſeptentrionalis eſſe creditur. Ayodya civitas et regnum ex quo Vishnu in Ràma incarnatus prodiit, ad XXXVI. gradum latitud. exſtare putatur. Kaſi in regno Bengalino eſt. Madura urbs non procul ab Agra ſita eſſe perhibetur, unde Vishnu in Krshna incarnatus prodiiſſe dicitur. Cangipuram in regno Carnatenſi, Iagarnat, et alia loca a deo Vishnu et Shiva ſanctificata fuere, et ſtagna et aquae ad illa ſitae, ex ſe iu-

(1) Hunc montem nos exacte deſcribemus infra. Vide etiam *Bayeri hiſtoriam regni Graecorum Bactriani* pag. 4. 9. 10.

(2) Confer de his montibus & locis *Aſiatick reſearches pag.* 282. & 283. a translation of a Sanſcrit inſcription, & *pag.* 134. an inſcription on a Pillar near Buddal.

ſe iuſtificandi virtutem poſſidere creduntur. Quae non levis horum Indorum ſuperſtitio eſt. Quid vero de aquis fluvii Gangis dicam? beatus, et ter beatus ille creditur, qui animam agens, et iam iam expiraturus, ad huius aquas defertur, animam piſci alicui, corpus crocodilo tradit. Aqua denique ipſius tam potens creditur, et tam ſancta, ut per yogui *gaur* dictos uſque in Malabariam deferatur, et ea reges et principes ſe ſe expiare adlaborent. Quae ſane omnia in libris antiquiſſimis horum gentilium commendata, tot relationibus Europaeorum hominum ſtabilita, cultu veteri et non interrupto huic Indico ſolo unice alligato, probata, tandem perſuadere deberent originem cultus Indici localem eſſe, eamque non in Aegypto, non in Scythia vel Syberia (1), non totam inter Hebraeos quaerendam fuiſſe, quod noſtri Europaei auctores volunt, ſed hiſtoriam, mythologiam, myſteria, & dogmata in ipſa India incepiſſe, vera incunabula ibi eſſe, ac totam fere religionem Indicam templis, locis, & fluminibus Indiae affixam teneri. Nulla itaque eſt ratio, quin res plane abſurda eſſe videtur, longos commentarios exhibere, et rem eo intricatiorem reddere, dum facilius ipſa rerum origo in ipſa et ex ipſa India deduci poteſt. Brahmanes ab Abraham ex Ketura progenitos fuiſſe exiſtimavit S. Epiphanius, et eum ſecutus eſt Stephanus Fourmontius. Poſtellus autem in commentario ad Iezirah haec habet: *Secundo loco fuere Brahmanes Indi, quos doctrinae cauſſa inviſit Pythagoras et Apollonius, deſcripſit Hierocles; illi autem Abrahae filii ſunt ex Ketura, qui cum Iſaaco non voluiſſent obtemperare, ſunt ab ipſo in orientis partes deſtinati, ubi ad hanc uſque diem ſub Brachmanorum nomine ſervant ſacrae doctrinae praecepta, in quibus eadem praeſcripta habent, quae & Moyſes caelitus accepit.* Si haec opinio non facile probari poteſt, ſaltim id nos agemus etiam impoſterum, ut doctrinae capita Brahmanica indigitemus, quae ipſi ab antiquis Patriarchis accepiſſe, nobis

(1) Hoc ſomniat de Paw & Bailly. *Vide pag.* 95. 96. 97. in opere cui titulus: *Histoire de l'astronomie ancienne depuis son origine iusqu'a l'etablissement de l'ecole d'Alexandrie. A Paris chez de Bure*. 1781. Circa chronologiae Indicae opinionem refutatum vide Baillyum ſub finem grammaticae Samſcrdamicae. *Romae* 1790.

nobis probabilius videntur. Nequaquam vero ea praetereunda ſunt, quae localia et vere Indica ſunt, neque ab Abraham accepta, ſed in India ipſa inventa fuiſſe videntur, qualia ſunt veneratio in Indum et Gangem, vaccae, ſolis et lunae cultus, metempſychoſis, lingamica inſtitutio, peregrinatio in Indiae praecipua templa, regimen dieticum, diſtributio tribuum, cultus idolorum nationalium, hiſtoriae et fabulae in India originem habentes.

ജ്ഞാനാദ്യം.

GNANAMADYAM

INITIATIO SEU AD VITAM SAPIENTUM TRADUCTIO

Quatuor in vocabulario Brahmanico *amaraſinba*, aliiſque (1) libris Brahmanica numerantur inſtituta, omnibus Brahmanibus communia. Haec vero non ſunt ſectae, nam in ſectas ipſi dividuntur ſolum quoad theologiae et philoſophiae opiniones, inſtituta vero haec quatuor concernunt totam et integram Brahmanum tribum, et omnibus ſectis et familiis ſunt communia. Ea ſunt. I. ബ്രഹ്മചാരി Brahmaciári. II. ഗൃഹസ്ഥൻ Graᵉhaſta. III. വാനപ്രസ്ഥൻ Vànapraſta. IV. ഭിക്ഷു Bhikshu. De his agemus poſtea, nunc de ſola initiatione ad ſacerdotium et myſteria ſermonem inſtituimus. Primo itaque ſciendum eſt, quod quamvis omnes Brahmanes in tribu ſacerdotali comprehendantur, eamque conſtituant, non tamen omnes ſunt practici ſacerdotes, legis doctores, aut ſacrificuli. Ad ſtatum Brahmanicum ſeu inſtitutum ſuum et tribum, eiuſque iura et dignitatem omnibus communem conſecrantur, ſeu initiantur ipſi per zonam humeralem *punnùl* aut *yagnapavadam* dictam, et per antiam ſeu capronam, quam *cuduml* vocant. Zonam humeralem 108. vicibus ſuper pugnum circumacto filo dimetiuntur in honorem 108. vultuum dei Brahma. Ita IX. fila ſeu zonulae particula-

(1) Amaraſinha. *Sect. Brahmavarggam*. In Sambhavam paſſim de 4. inſtitutis ſit mentio. R. P. Norbertus de religione Indorum in opuſculo ſcripto contra S. I. Miſſionarios. Anteriores relationes Bernier de relig. Ind.

culares, unam integram humeralem conſtituunt, quae uno nodo conectitur; ut novenarii Pythagorici numeri myſteria nunc praeteream, quam doctrinam philoſophus ille ab his accepiſſe videtur, IX. fila in tres partes diviſa quae unum totum conſtituunt, tres leges ഋക്കസാമയജുസ്സൎവ്വേദം irka, sàma, yagiur vedam dictas ſignificant, quas quidem *Karta*, പരബ്രഹ്മം Parabrahma vel Paràbaravaſtu ſeu Ens ſupremum et infinitum ac per ſe exſiſtens, deo Braehmae dedit, Brahmanibus tradendas. Iure ſoli Brahmanes zonam hanc portare poſſunt, et ipſi ſoli per eam leges illas docendi facultatem obtinent. Kshetrier ſeu regalis tribus eam geſtat ex indulto, alii per abuſum. Antia ſeu cudumi complementum eſt ordinis, quod cum zona non ſolum legem docendi, ſed et ſacrificandi confert poteſtatem. Ambo cum multis precibus, et praevio ignis ſacrificio conferuntur. Nimis longum et moleſtum eſſet hos ritus minutim deſcribere. Deſcriptio ſolemnis divini nominis in fronte, de quo ſupra, folia máva plenitudinem fertilitatis et benedictionis ſignificantia, quae deae Leksmi ſacra ſunt, aut eam repraeſentant, pro aſperſione cum aqua luſtrali, abraſio capillorum per guru ſeu ſupremum magiſtrum, conſperſio faciei et antiae cum oryza et croco ſacro deo Brahmae prius oblato, praecipui huius communis initiationis ritus ſunt. Et hos quidem non multum differre quoad modum volunt aliqui a ritibus in Levitico et Exodo ad conſecrationem ſacerdotum veteris teſtamenti praeſcriptis (1). Initiatio prima fit anno ſeptimo, quo primum amplecti ſolent inſtitutum, ***Brahmaciàrituam*** dictum, ſeu ſtatum conſervandae continentiae et caſtitatis uſque ad annum XII., quo initiantur ſecunda vice ad matrimonium, et ex Brahmaciàri, Graehaſtae fiunt. Grahaſta enim nomen Brahmanis uxorem ducentis eſt, et ſecundum Brahmanicum inſtitutum, quod ipſi anno duodecimo amplecti ſolent. Ad duo iſta inſtituta Brahmanes initiati has regulas obſervare tenentur, quae omnibus omnino Brah:nanibus communes ſunt.

(1) Confer Levitic. *cap.*6:10. Exodi. *cap.*29. conſecratio illa durabat 7. dies; iſta durat 3. dies, pro caerimoniis, 4. dies una cum convivio poſt initiationem apparando.

ſunt. I. Debent ſtudere legi, et aſſidue illius explicandae et meditandae ſtudio exerceri. II. Poſſunt quidem communi intereſſe ſacrificio, non tamen praeſidere, nec certa ſacrificia peragere. Dum in primo ſunt inſtituto ex eleemoſyna debent vivere. III. Super ſtoreis aut nuda humo dormire. IV. Nequeunt comedere betel ſeu folium aromaticum Indicum. V. Nequeunt inungi oleo more aliorum Indorum ad tuendam valetudinem poſt lavacra facta. VI. Non radunt barbam. VII. Nullam debent admittere familiaritatem cum feminis. VIII. Singulis diebus lavari debent in ſtagno aut flumine, atque etiam abluere partes pudendas in honorem lingami, eaque cum multis precibus et caerimoniis peragere. Haec omnia primo inſtituto ſunt communia. Secundo autem inſtituto et omnibus Brahmanibus in genere iniunctae ſunt lotiones corporis matutinae. II. Sacrificium quotidianum idolo; nempe ſacrificium florum ſeu arkyam, et recitatio precum. III. Deſcriptio nominis divini cum tiruniru vel bhaſmam, in fronte, pectore, brachiis. IV. Adolere debent thus idolo, ſacrificare oryzam, et per modum eleemoſynae etiam modicum ex ea dare corvis. V. Abſtinere debent ſub graviſſimo praecepto, et ſub poena expulſionis a ſua tribu, et inſtituto, a bibendo vino, et quovis potu alio ebrietatem conciliante. Item a comedendo allio, rapis, cepis, ovis, piſcibus, carne et quidquid animatum dicitur, ac vitam habet. VI. Veſpere repetere debent preces, lotionem et ſacrificium quod *ſandyakarmam* vocant. Hae regulae et initiationes communes non obſtant quin grehaſtae uxori ſuae colendae, filiis educandis, quin et mercaturae faciendae, hortis et agris excolendis aſſiſtere, et operam ſuam navare poſſint. At ii, qui ad ſolemnia ſacrificia ſolis et lunae, ad myſteria, et ſacerdotium maius, et religionis ſecreta addiſcenda, et poſtea docenda deſtinati ſunt, et promoveri debent, I. Ex ſpectatiſſimis familiis ſeligantur oportet. II. Hi numquam matrimonium inire poſſunt. III. Omni defectu corporis careant eſt neceſſe. Caeci, claudi, mutili, maculoſi, mediocris famae, hebetes etc. excluduntur. IV. Hi ſi annis probationis peccent, abſciſſa antia ſeu cudumi ex gradu deponuntur, & expel-

pelluntur. V. Hi per XII. annos in ipſo templo univerſitatis ſeu academiae Brahmanicae, qualis eſt in Triciur, educantur, et extra ambitum murorum non egrediuntur. VI. Hi ad ſecretum et iusiurandum de non evulganda myſteriorum et rituum theologica et myſtica ſignificatione obligantur (1). VII. Hi per quinquennium ad Pythagoricum ſilentium quod മൌനം maunam vocant (Pythagoricorum vero diſcipulorum ſilentium V. annos duraſſe docet *Clem. Alex. Strom. lib.* 5. §. 248.) obſervandum adſtringuntur, et in myſteriis celebrandis loco verborum & rubricarum ſolis manuum ſignis utuntur, per quae ſigna quid agendum ſit ſoli initiati dignoſcunt, et aliae preces ſeu formulae conſecrationum ſubmiſſa voce dicuntur, unde vocantur ***mandram***, ſeu ſacrae et occultae preces, et ***mandrikunnu*** occulte et ſecreto loqui aut orare. VIII. Hi ad idem vitae genus tenentur et eaſdem regulas obſervant quas Brahmaciàri, excepto quod ex reditibus templi academici alantur. IX. Hi in ſacrificulos et legis doctores confectis ſtudiis diſtinguuntur. Sacrificuli vocantur *yagnamàn* et *ſomàdrl*, vel *ſomabadl*, aut vulgo *pùgiàrl*. Doctores vero *guru*, qui ſcientias, aut ſectarum opiniones et dogmata docent, et *asbà-*

(1) Auctor diſquiſitionum philoſophicarum putat nullum inter antiquos philoſophos ſecretum, nulla occulta myſteria obtinuiſſe. En quid de his dicat Clemens Alex. philoſophus olim & ipſe, libro 5. Stromat. §. 245: *Vita me deficiet, eos omnes recensentem, qui symbolice philosophantur. Memoriae ergo caussa & brevitatis, ut se homines ad veritatem intenderent, talia barbaricae philosophiae sunt scripta . . . alioquin omnia quae ostenduntur per aliquod velamentum, maiorem & augustiorem exhibent veritatem . . . Iam ergo nec quibuslibet volunt omnia exponi temere, nec communicari bona sapientiae iis, qui ne somniando quidem sunt anima expurgati . . . neque enim fas est profanis narrare logi mysteria.* Dicit deinde Hipparchum Pythagoreum expulſum e ſchola fuiſſe, quod Pythagorae praecepta aperte ſcripſiſſet. Et paullo infra: *Quin etiam ii qui instituere mysteria, cum essent philosophi, sua dogmata obscuraverunt fabulis, ut non essent manifesta omnibus . . . atque haec certe inveniemus significari per symbola sub velo allegoriae, haec vero non est in singulis vocibus, sed ea solum, quae ad generalem spectat sententiam.* Haec certe Brahmanicae religioni ad amuſſim conveniunt. Duo itaque apoſtatarum genera inter Brahmanes habentur. Nempe ii qui a tribu, & ii qui a lege & philoſophia exciderunt. I. *Giàdibrshta*. II. *Vèdabrbshta* dicuntur. Haec bene ſibi notet de Paw. Obſervandum etiam apud pleroſque Graeciae philoſophos doctrinam & ſectam in interiorem & exteriorem diſtingui, ut apud Brahmanes. Quod docet Cicero *epistol. ad Attic. lib.* 4. *epist.* 16. Origen. contra Celſum *lib.* 1. *pag.* 7. A. Gellius *lib.* 20. *cap.* 5.

Digitized by Google

et *ashàrya* qui preces, et orationes ſeu mandras ac earum explicationem tradunt (1). Soli illi qui myſteria religionis et legis docent et diſcunt ad ſecretum tenentur, et haec ſemper in templorum penetralibus docentur, numquam extra. Scientiae vero in lucis, extra et circa templa, in hortis, ſuburbiis, et diſtrictibus Brahmanicis *grámam* dictis. Ibi grammatica, hiſtoria, aſtronomia, mythologia, et populares res religionis, ac denique philoſophia etiam inferiorum tribuum hominibus a Brahmanibus traduntur, et hae ſcholae *kalari* dictae publicae ſunt, ubi centum, ducentum, aut plures diſcipuli ex variis, non tamen infimis tribubus convenire ſolent. De Brahmaciàris Philoſtrati verba in vita Apollonii *lib.*3. *cap.*4. & 5. intelligenda ſunt: *Damis inquit Brahmanas humi dormire, herbis* (ſtoreis ex herbis confectis) *tantum ſuper humum ſtratis, quas ipſi deligant*. De guru ſeu magiſtris ſcientificis Strabonis verba *lib.*15. intelligenda ſunt quae ita ſe habent: *Philoſophos iſtos ante urbem in luco degere intra mediocrem ambitum quo cingantur: frugaliter vivere ſuper toris ac pellibus* (nempe tigrium aut cervorum) *iacere animalibus ac venere abſtinere, ſeriis ſermonibus intentos, et cum volentibus audire communicantes*. Falſum vero eſt, quod ſive hi ſive alii poſt XXXVII. annorum obſervantiam carnibus dein animalium veſci incipiant. Hi pariter illi ſophiſtae ſunt de quibus Arrianus *lin.*7. *de exped. Alexandri*: *Alii ſophiſtae appellantur numero quidem reliquis* (nempe Samanaeis) *inferiores, ſed honore & gloria praeſtantiſſimi. Vaticinantur autem de temporibus anni &c.* De his etiam Porphyrius ex Bardeſane: *Brahmanes omnes ſunt unius generis, Samanaei ex omni Indorum gente collecti, illi fructus, poma, lac, oryzam comedunt, aliud vero quipplam deguſtare, aut alimentum ex animatis vel omnino tangere, immunditiae extremae, atque impietati non diſſimile apud ipſos habetur &c.* De initiatione Laharum Tibetanorum ad ſectam ſeu inſtitutum lingamicum, quae cum Indica omnino convenit, vide Alphab. Tibet. *pag.*288. & 245. De initiationibus Aegyptiacis confer de Paw *tom.*2. *pag.*42.43.44., verum male hic ibidem impugnat Epiſcopum Warburton. Quamquam dii

G gen-

(1) Haec omnia pervertit, commiſcet, & intricat Sonnerat *tom.* 1. *cap.* 5. & 6.

gentiles nec ad agriculturam referantur, nec homines eſſe aut fuiſſe dicendi ſint, tamen ſecretum ad myſteria, quin et iusiurandum dari et peti potuit. Ignoratne ipſe diſcipulae et uxoris Pythagorae Thèano de fabae myſterio (quod ipſe tam inepte explicat) non revelando reſiſtentiam, ita ut potius linguam perdere voluerit, quam ſecretum illud de non manducanda faba revelare? Centum alia huiuſmodi exempla contra ipſum adduci poſſent. Non aberraret ipſe, atque tot alii, ſi nullum ſecretum et iusiurandum ad myſteria dabatur, et hieroglyphica manifeſta eſſent.

சதுராஶ்ரம.

CIADURASHRAMA

DE QUATUOR PRAECIPUIS BRAHMANICIS INSTITUTIS ET CUMPRIMIS DE SAMANAEIS

TAB. VII.

Ingentem acervum teſtimoniorum ex veteribus ſcriptoribus Graecis et Latinis congeſſeram, quibus dilucide et certo probarem inter veteres philoſophos Graecos, Aegyptios, Perſas, et Brahmanes Indos veram communicationem interceſſiſſe. Verum quia nonnulla in hanc rem teſtimonia in grammatica Samſcrdamica *pag.*23. iam adduxi, et rari hodie illi ſunt ſceptici qui de hoc dubitent, lectorem ipſum ſi necdum convictus eſt, ad hos auctores remitto. Conferat imprimis Plinium (1), Arrianum (2) qui Aſtaceos populos intra Indum amnem Aſſyriis paruiſſe, et Cyro deinde Cambyſis filio tributa pependiſſe ait, Herodotum (3), & Laer-

(1) Hiſt. nat. *lib.*6. *cap.*18. & 19. *Basileae*. 1535.

(2) De expedit. Alexandri M., in Indicis *cap.* 1. *pag.*313. & *seq Arriani expeditionis Alexandri M. lib. septem*, & *historia Indica opera Iacobi Gronovii. Lugduni Batavorum*. 1704. & in periplo maris Erythraei. *Geographiae veteres scriptores Graeci minores. Oxoniae*. 1698. *pag.*30. & *seq.*

(3) Lib.4. *Asiae bona pars a Dario* (Hyttaſpe) *investigata est. Is cupidus cognoscendi ubinam Indus in mare influat, misit navibus scylacem quemdam Caryandem . . . Post horum pernavigationem Darius Indos subegit*, & *eo mari potitus est.*

Digitized by Google

Laertium (1) qui etiam litteras Darii Hyſtaſpidae ad Heraclitum philoſophum ſcriptas et eum in Perſiam invitantis affert. Clemens Alexand. *lib.1. Strom.* expreſſis verbis docet ex Alexandro Polihiſtore: *Pythagoram ſapientes Aegyptios* atque etiam *Brahmanes* audiviſſe. Eadem teſtatur Palladius Gallata de moribus Brahmanorum. Strabo denique et Plinius fatentur inter Indos et Romanos communicationem interceſſiſſe, cum Indi ex Barigaza ſeu ex *Baroche*, quod oppidum eſt in ſinu Cambayae ab Alexandro Magno erectum, ad Auguſtum Imperatorem legatos miſerint. Quin Dodvvell in diſſertatione in Arriani Periplum maris Erythraei oſtendit ex tabula Peutingeriana Auguſto (forte Claudio) Imperatori in Indiis ac quidem probabilius in ora Malabarica templum dedicatum fuiſſe, illo nempe tempore quo Romani ſubacta Aegypto Indiae commercio ſolertius incumbere coeperunt. Unde ait Plinius hiſt. nat. cap.23: *Compendia* (navigationis) *Invenit mercator, lucroque India admota eſt. Qnippe omnibus annis navigatur ſagittariorum cohortibus impoſitis. Etenim piratae maximae infeſtabant. Nec pigebit totum curſum ab Aegypto exponere, nunc primum certa notitia pateſcente. Digna res nullo anno imperii noſtri minus H S quingenties exhauriente India, & merces remittente, quae apud nos centuplicato veneant.* Confer etiam Iuvenalis ſat.6. & Arrianum in Periplo, qui uno veluti filo naves Aegyptias, & Graecanicas per mare rubrum & Indicum in Barygazam ſeu oppidum Baroche intra Indum in ſinu Cambayae exſiſtens, & inde per promontorium Comorinum uſque ad Gangem deducit. Similem communicationem cum Tagara & urbe *Patan* hodiedum exſiſtente inter Perſas et Indos interceſſiſſe manifeſte evincit Franciſcus Wilford *pag.359.* in libro *Aſiatick reſearches*. Ex his ergo omnibus luce clarius patet, Indos antiquitati melius cognitos fuiſſe quam commentus eſt Tillemontius,& quamvis, ut Plinius, Strabo & Arrianus docent, *Indi* (fortaſſis) *numquam finibus ſuis ſint egreſſi*, attamen inde deducitur, alias nationes Indiam adiviſſe, ac proinde omnino verum eſſe, quod etiam ante Alexandri Magni tempora, & a fortiori poſt ipſum vera inter Indos, Perſas, Graecos & Romanos communicatio interceſſerit.

G 2 His

(1) In prooemio de vitis philoſophorum.

His itaque praenotatis, nunc iam in ſectas philoſophicas Indicas inquiramus. Quatuor Brahmanum inſtituta in vocabulario *Amaraſinha* ſectione *Brahmavarggam* referri iam ſupra praemonuimus. *Brahmaclàri* vel gallice pronuntiatum Brahmachàri. II. *Grahaſta*, III. *Vànapraſta*. IV. *Bhikshu*. De duobus primis paragrapho praecedenti egimus, nunc de duobus ultimis. *Vanam*, vel *vanandaram* in lingua Samſcrdamica eſt *eremus*, *deſertum*. Vanavàſam *habitatio in eremo*, *ſilva*, *campo*, *ſolitudine*. Vanyen *homo ſilveſtris*, *campeſtris*. Quae quidem vocabula cum prima vocali *a* vel brevi, vel longa in ſublimi lingua proferri poſſunt. *Praſtà*, ſtantem vel etiam incedentem eadem ſublimiori ac ſacra lingua ſignificat. Quare *Vànapraſtà* homo eſt, qui in eremo, ſilva, campo, ſolitudine ſtat, vel incedit. Quae definitio ex ipſo vocabulario Brahmanico deſumpta, mirifice cum iis quae ſupra de Samanaeis diximus convenit. Nempe duplex Brahmanum ſeu philoſophorum eſt genus, Brahmanes, et Samanaei ſeu Gymnoſophiſtae, hi vero nudi, campeſtres, vel montani ſunt. Hi Vanapraſtae ſeu Samanaei Gymnoſophiſtae, verendis ſolis contectis, & uno cupreo vaſe ac clava inſtructi hodiedum in monte praealto ad Promontorium Comorinum aſceterium habent, & in communi ſine uxoribus vivunt. Licitum tamen his eſt etiam uxores ſuas, ſi antea duxerant, ſecum in ſolitudinem deducere, dummodo eas non cognoſcant, & ſeparatae ab ipſis habitent. Aliud horum, quod ego ſciam, aſceterium eſt in montibus Vaypurenſibus in Malabaria, praeter alia quae ego oculis meis non vidi. Hoc itaque inſtitutum philoſophicum initio primitus Brahmanicum eſt. Secundum hodiernam conſuetudinem XL. aut L. aetatis ſuae anno Brahmanes illud ineunt, & XXII. duos annos in ſolitudine exigere debent, ad hoc ut poſtea perfectius illud quartum inſtitutum quod *Bhikshu* aut *Sanyàſam* vocant LXX. aetatis anno, ſi vita comes eſt, amplecti poſſint. Vanapraſtae nullatenus in urbes regredi poſſunt, nequidem ex quacumque neceſſitate, aut a rege vocati. In extrema neceſſitate radices & arborum folia edunt & puram aquam bibunt, alias poma, fructus, ficus bananas, olera, quae ipſi ferunt, herbas varias, et illa omnia quae ſilva producit, dummodo non ſint animata. Dum infirmi,

mi, fracti, & imbecilles decumbunt, uxores, ſi habent, eis ancillantur, & radices coctas parumque oryzae manducandum praebent. A vino & venere ſemper abſtinent, et letale eſſet, ac peccatum maximum unum alterumve tangere, quod ſi eveniret a communi inſtituto & corpore expellerentur. Super nudâ iacent humo, et humido ſeu hibernali etiam tempore nullatenus cooperti, niſi ſolo tecto, ſub quo habitant. Hi non ſe lavant ut alii Brahmanes, & ſordidi ac impexi incedunt, depingunt tamen divi nominis ſigna hoc modo ≡, in fronte, pectore vel brachiis, aut ſolum Kuri O hoc modo in fronte gerunt. Quo primo ſe deo Shiva, ſecundo deo Vishnu devotos eſſe demonſtrant. Regulam, quam vocabularium Brahmanicum in *Brahma varggam* notat, habent iſtam: യമം Yamam, id eſt (1): regula inſtituti, a qua *Yamanaei* dicuntur, et unde *Samanaei* deductum et corruptum fuit loco y. യ. litteram s. ſupponendo. Haec quinque praecepta continet. I. സത്യം Satyam, ut nempe ſemper veritatem loquantur, conſiderent, & prae oculis habeant. II. അഹിംസ Ahinſa, ut nihil, ne minimum quidem animal occidant, & hoc etiam per accidens & non voluntarie, unde ſumma animalis non occidendi cura. III. അസ്തേയം Aſteyam, iuſtitia commutativa, ut nihil ne in maxima quidem neceſſitate furentur, accipiant, alienent. IV. ബ്രഹ്മചര്യം Brahmaciàryam, continentia ab uxore, perfecta caſtitas. V. അപരിഗ്രഹം Abarigraham, ne emortua una uxore, aliam accipere poſſint, ſeu ne ſuſcepto inſtituto uxorem ducant. Hae regulae ad inſtituti rationem externam pertinent, aliae ad internam. I. ശൌചം Sausham munditics quaedam interior praeſeferenda. II. സന്തോഷം Sandosham, compunctio ſeu pax & gau-

(1) Regula nempe ad contemplan- tionem, ad quietem. dum, ad philoſophandum, ad medita

& gaudium internum quaerendum. III. തപസ്സ Tabaſſa, poenitentia & contemplatio divinitatis continuo facienda. IV. സ്വാദ്ധ്യായം Suadyàyam, ſcientia legis & preces vocales recitandae. V. ഈശ്വരോപാസനം Ishvaròbàſanam, praeſentia dei ſeu continua applicatio ad Ishvara ſeu dominum eſt habenda. Haec regula interior vocatur നിയമം *Niyamam*. Hae igitur ſunt *Tamanaeorum* occupationes, ex quibus fuit Calanus, & hi nec philoſophiae ſeu phyſicae aut aſtronomiae ſtudent, nec ſacrificandi habent poteſtatem, qui huiuſmodi amplectentes inſtitutum his omnibus nuntium remiſiſſe cenſentur. Ad hoc inſtitutum praeter Brahmanes admittuntur etiam alii ex tribu Shùdrer, Vayshyer, & in Malabaria etiam nobiles Nayres ſeu viri militares. Sed hi quamvis ad eaſdem leges & regulas ſupra dictas teneantur, poſtquam inſtitutum hoc ſunt amplexi, Yamanaeis Brahmanicis non convivunt, ne nempe una tribus cum alia confundatur, quod contra primariam gentis Indicae inſtitutionem eſſet, nec admitti poteſt. Quare qui ita ex aliis tribubus inferioribus collecti ſunt vocantur *Pràsbniguer* പ്രാസ്നികർ (1) ſeu ſecta exterior.

Hi pro praeſide ſeu magiſtro vel guru, celebrem aliquem ex eodem inſtituto & tribu ſua virum habere ſolent, & Yamanaeorum ſeu Vanapraſtarum Brahmanum inſtitutum & regulas ex aequo imitantur. Sed raro ita multi congregari ſolent, ut corpus unum idque potens efficiant, ſed VI. X. XX., & vix aliquando plures in eodem conventu aut aſceterio ſeu madam congregati reperiuntur. De Vanapraſtis ſeu Yamanaeis his utriuſque tribus, intelligendae ſunt pulcherrimae illae antiquorum ſilvas incolentium deſcriptiones, quae in libris gentilium hodiedum reperiuntur. En aliquas ex *Sambhavam* ſeu ex geneſi, & puranis ſeu hiſtoriis gentilium.

Màyam condundàm mahà mohanguel nikì nityam,
Nyàya tatvàrtha vignànàdì ſambananmaray.

Quae-

(1) Vide picturas Indoſtanas *num.* 10. & 11. in muſeo Borgiano Velitris.

Quaecumque ſenſibus illudunt mundi phantaſmata (*ut aurum*, *voluptates & honores*) eis omnibus abs ſe longe propulſis & eiectis, verae ſapientiae, & iuſtitiae, ac veritati ſtudentes, divites et beati ſunt. Et in libro *Ràmàyenam*: *Vidit Rex in ſolitudine compoſitiſſimum aſceterium quod omni felicitate circumdatum erat. Ver quaſi perpetuum & mira caeli clementia locum illum ſemper tenebat. Flores rutilantes & ſibi continuo ſuccedentes ſuaveolentia ſua aerem replebant, & bruchi ſcintillantibus alis in aere volitando circum circa quaſi muſici canebant. Intus aderant Vanapraſtae, & Munis ſeu Heſychaſtae in mente & voluntate ſua ab omni inquinamento liberi; et dei idea ſeu dei praeſentia ſemper occupati. Qui modo inter ſe certabant vocis ſuavitate, toni dulcedine, & expreſſionis verbalis claritate quis ex eis melius dominum laudaret canendo, modo in libris omnes taciturni verae ſapientiae ſemina legebant, modo de vera ſapientia & iuſtitia inter ſe conferebant. Nocte in* IV. *yàmam ſeu* IV. *partes & vigilias diſtributa, ex ordine vigilabant meditantes quae vera caeli via, quis modus aeternae felicitatis aſſequendae, & quaenam in terris Deum laudandi melior forma. Hos Rex cum vidiſſet &c.* De his intelligendus eſt Porphyrius lib.4. de abſtinentia: *Samanaei cultum deo religioſe ac pie exhibent, ſaepe ieiunant, non ſe vident ſemper mutuo, nec colloquuntur, extra urbem commorantur, ubi domos & fana a Rege exſtructa habent: in quibus oeconomi conſtituti ſunt, ut ad victum neceſſaria parent, ex oryza & pane* (panis triticeus non datur, ſed ex radicibus & plantis inhame vel kácil dictis placentulae formantur) *& oleribus victus apparatur, ad tintinabuli ſignum preces effundunt, abſque uxore & poſſeſſionibus degunt.* Alia quae ibi de uxorum abdicatione affert, ad IV. inſtitutum pertinent. Huc pertinent pariter illa Strabonis ex Megaſthene verba de Yamanaeis: *Cum uxoribus non philoſophari, ne ſi improbae ſint, aliquid quod efferri nefas ſit in profanos efferant, ſi probae, viros relinquant, plurimas eorum de morte diſputationes eſſe, nam vitam hanc habendam eſſe quaſi recens conceptorum hominum ſtatum, mortem vero partum in veram illam & felicem vitam, iis qui recte philoſophati ſint . . . texere etiam fabulas quaſdam quemadmodum Plato de immortalitate animae & de iudiciis quae apud inferos fiunt . . . hos cum Regibus de cauſſis rerum inter-*

Digitized by Google

interrogantibus per nuncios colloqui, *& per illos deum a Regibus coli & placari*. Quae quidem omnia etiam hodiedum in Malabaria obtinent, ubi Rex Travancoridis & Coccinenſis ſubinde ipſos, & non ipſi Reges inviſere ſolent, adeo ut merito ſuccenſeas Sonnerat, aliiſque frivolis viatoribus, nugatoribus facta infecta blaterantibus, & morologis ineptias aniles proferentibus, qui Brahmanum inſtituta omnia inverſa eſſe nunc aſſerunt, & tamquam a veteri lege & conſuetudine deſciviſſent, ineptiſſime eos traducunt. Satius erat inter Brahmanes vivere, & eos proximius examinare aliquo ſaltem tempore, quam per maritimas civitates inter plebeas feces volutari, & ineptias congerere, ac toti Europae credendas obtrudere, peregrinarum denique rerum cupidis viris fucum facere, & fumum venditare.

Quartum denique & perfectiſſimum inſtitutum eſt eorum qui *Bhikshu* vel *Sanyáſi* dicuntur. *Bhikshu* eleemoſynam petentem ſignificat, & *Sanyáſi* eum, qui omnia reliquit, quod nempe in re idem eſt, & connexum. Poſtquam Vanapraſtae uſque ad LXXII. aetatis annum in poenitentia exegerunt, aliqui ad propria revertuntur, & honoratiores inter ſuos habentur. Illi vero qui coli volunt, & in hominum admiratione eſſe, ut bene obſervavit iam antea Porphyrius, coram magno magiſtro uxorem & filios relinquunt, & bonis omnibus publice cedunt ac ſe abdicant. Ex iis uxor & filii aluntur, ſi adſint, ſi deſint, ex bonis reipublicae, vel oppidi, aut alicuius fani. Facta a *guru* ſeu magno magiſtro novitio *ſanyáſi* exhortatione de poenitentia & excellentia inſtituti, & peracto ſacrificio *homam*, adſtantibus multis Brahmanibus & orantibus, praeſcinditur novitio antia capillaris, ſeu *cuduml*, quo ſignificatur eum omnia dereliquiſſe, & ex officio ſacerdotali ſeu ſacrificuli dignitate excidere. Tum detractis prioribus veſtibus fruſtum telae ſubflavae profeſſo datur, quo ſtatim inter orandum induitur. Hunc veſtitum utpote ſacrum ipſe *ſanyáſi* lavet oportet, nec lavandum alteri tradere poteſt. Tum conſecratur vas cupreum *camadalam* dictum, quod modica aqua refertum guru dat profeſſo ad manum, qui hac aqua verenda ſua lavat, & ſemper modicum aquae in vaſe habere debet, qua edulia ſibi in eleemoſynam oblata ſemper prius lavat, quam

ea co-

ea comedat, ut nempe antea purificentur. Ad manum dexteram Guru tradit diſcipulo ſcipionem vel clavam, quae VII. nodos naturales habere debet, VII. principales *Mahà Irushi* ſeu ſanctos & veteres contemplatores, magiſtros & heſychaſtas, repraeſentantes (1). Hi VII. ſancti vivi in *Satya lògam*, ſive in ultimum & verum caelum translati fuerunt, & ibi ut dei coluntur. Singulis diebus mane aqua in vaſe cupreo contenta, VII. hos nodos, & totam clavam *dandam* dictam, quae velut munus deorum magni habetur, reſpergere & irrigare debet. Scipione hoc ab omnibus malignis ſpiritibus eorumque infeſtatione liber evadit. Ex humeris plerumque philoſophi hi *ſanyàſi* dicti, pellem tigrinam portant, quia hanc etiam portabat deus *Shiva* bellator (2). Hac cooperiuntur aut ſubſtrata dormiunt, id quod antea iam obſervavit Strabo. Numquam excitato igne coquunt, ſed oſtiatim mendicant, aliqui nihil dicentes, ſed ſolam manum porrigentes tranſeuntibus aut domi ſtantibus (3). Alii in fano aliquo quaſi muti, & immobiles vivunt, & his a vicinis Brahmanibus oryza, fructus, radices, poma, ficus, herbae ad edendum afferuntur. Ubicumque intrant, eo loci qui praeſentes ſunt ante ipſos ſe proſternunt, & ſi immobiles vivunt, ad eos adventantes tantumdem faciunt. Hi fana non adeunt, non ſacrificant, nec publicis feſtis & ſolemnibus ſacrificiis aſſiſtunt. Ungues longos gerunt, quos numquam reſecant, vidique ſaepius manui circumplexos, adeo excreverant. Barbam & capillos ſubinde aliqui radunt, alii numquam. Oleo non omnes inunguntur. Betel folium non manducant, in fronte ſignum ſanctum non deſcribunt, & III. vicibus quotidie corpus lavant. Solo vaccae ſtercoreo cinere poſt

H lava-

(1) Hi ſeptem Irushi ſeptem maiores planetae ſunt, quos deſcribit Amaraſinha ſect. 1. Sorggavargam, & Strabo lib. 15. *Ab iis autem qui cum eo* (Hercule vel Shiva vel Sebaſio id eſt ſole) *militaverant, profectos fuisse volunt Sibas* (Shivenitas philoſophos nempe iſtos) *generis signum servantes quod pellibus amiciantur ut Hercules & quod clavas gerant.*

(2) Confer de Hercule ea quae dicit Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 20.

(3) *Brachmanes in civitatibus versari dicit* (Nearchus) *& reges sequi, & eorum consiliarios esse, ceteros vero quae ad naturam pertinent contemplari, & cum eis mulieres philosophari* (aliquas) *& omnium vitas durissimas esse.* Et infra: *Bragmanas physiologiam & astronomiam exercere . . . mulieres cum iis vivere, non tamen permisceri.* Strabo lib. 15.

Digitized by Google

lavacra frontem et pectus perliniunt. Meditatio eorum, ut rumor fert Brahmanum, in res creatas & viſibiles numquam cadere debet, ſed ſolum Deum, ens entium, ſupremum et infinitum dominum per ſe exſiſtentem *Parabrahma* dictum meditari, & conſiderare, muneris ſui eſſe putant; inde eſt, quod nec preces vocales recitent, nec ſacrificiis aliorum deorum aſſiſtant. Eorum regula, obligatio, et conatus omnis in eo conſiſtit, ut quae infra innuuntur paſſiones et vitia ſuperent et vincant, nempe:I.*Kàma* concupiſcentiam ſeu luxuriam II. *Kròdham* ſeu iram. III. *Lòbham*, avaritiam, ſeu habendi deſiderium. IV. *Madam* ſuperbiam et faſtum. V. *Mòham* cupiditates omnes, VI. *Maltſaram*, animi fervorem, ſeu vindictam. Hos *Vishendrianguel* ſeu hoſtes ſuos, et ſenſuum inimicos eſſe aiunt. Dum moriuntur, nemo eis illacrimatur, quia felices et ter beati eſſe exiſtimantur. Recta ad caelum pergunt, & amplius non revertuntur, liberi a traſmigrationibus ſubeundis. Plicatis pedibus & manibus ſedendo ſepeliuntur, & circum circa foſſa ſale repletur. Caput mortui nuce coco perfringitur, & particulae cranii ut reliquiae adſtantibus diſtribuuntur. Qui inſtitutum ſemel aſſumptum deſerit, aut contra regulas peccat, in exſilium agitur, expellitur, a gradu deponitur & publica infamia notatur. Anno 1782. Sanyáſi in *Ambalapusbe* exſiſtens, quod familiarius cum femina quadam devotula egiſſet, a Rege Travancoridis ad preces Brahmanum extra Tovalam & regnum pulſus fuit. De huius inſtituti hominibus Strabo loquitur dum dicit: *abeuntes in urbem per fora diſpergi, & quemcumque offenderint, ficus vel uvas* (quae tamen non dantur in auſtralibus Indiae partibus) *ferentem, ab eo gratis capere, ſi oleum* (nempe ſeſaminum, vel nucis coco) *fuerit, eo perfundi, & inungi.* Et illud Porphyrii: *Samanaei* (Yamanaci dicendum, ex quo illud corruptum) *vero electi, in quorum collegium cum quiſpiam eſt adſciſcendus, ad principem civitatis aut vici accedit, atque ibi bonis ſuis facultatibuſque omnibus repudiatis, atque ſupervacanea omni corporis parte* (nempe capillis & barba) *detonſa, ſtolam* (pannum flavum) *accipit, atque ita nulla neque uxoris, neque liberorum, ſi forte adſint ratione habita, quaſi ad ſe nihil omnino amplius pertineant, ad Samanaeos recedit. Regi liberorum educandorum, co-*

gnatis

gnatis uxoris cura relinquitur. Haec itaque ſunt vera & primigenia Brahmanum philoſophica inſtituta, quae inter Brahmanes mille circiter annis ante Chriſtum natum iam obtinuerunt, & quae Alexander Magnus in ſua Indica expeditione iam dudum ſtabilita invenit in India, ut Strabo, Arrianus, Plutarchus, Clemens Alexandrinus, Q. Curtius, Porphyrius, aliique non ſuſpecti veteres ſcriptores locis iam a nobis ſupra indicatis id evidenter probant. Haec inſtituta & hi philoſophiae vetuſtiſſimi profeſſores hic perquam ſuccincte deſcripti, ſi nunc iam cum Tibetanis Lahis, cum magni Lhamae vitae genere, religione, & philoſophia, cum antiquae Sinenſium ſectae *Laokium* dictae inſtitutionibus, & opinionibus, ac vitae genere, cum Ceylanenſium Budhiſtarum ſacerdotum *Tiruvamsbas*, & *Gonis* dictorum religione, inſtitutionibus, philoſophia, & vitae genere, cum Peguanorum & Siamenſium ſacerdotum & philoſophorum *Talapoy* dictorum, inſtituto, vitae genere, religione ac philoſophicis opinionibus, quin & cum ipſa Iaponenſium doctrina, religione, & vitae genere, ordinatim, attente, & ſerio inter ſe conferantur, ſi ſuperſtitiones populares & gentilitiae cuique climati propriae & peculiares reſcindantur, abuſus & corruptiones aliquae particulares a vera originali doctrina & philoſophia diſtinguantur, plurimum confido, quod inſpectis omnibus haec omnia ab uno fonte & quidem Indico, emanaſſe, ibi primigeniam inſtitutionem fuiſſe, certiſſimis indiciis deprehendi poterit, ut proinde originem omnium errorum, & conſuetudinum ex uno capite detegere & probare liceat. Videantur, ſed maturo iudicio, cautis & acutis oculis inſpiciantur, quae Knox, De la Loubere, Niebuhr, Freyer, Holwel, Gentil, Chambers, auctores Calcuttenſes, P. Georgius, P. Norbertus, Ioannes Britto, P. Horatius Pinnabillenſis aliique Miſſionarii Indici, Tibetani & Sinenſes dicunt, & iacturam quamcumque patiar, niſi haec primigenie & in una origine convenire demonſtrem, dummodo a quocumque ſyſtemate liberos & a praeiudiciis immunes nanciſcar lectores (1). Sed labor longus, & vita brevis, nec facile opere complendum eſt quod promittitur. Reſtat

 itaque

(1) Vide quae infra adducimus ex libro Peguano *Kammuva* de inſtitutione Talapoinorum.

itaque ut veritatem per partes inquiramus, ne ſub nimio onere fatiſcentes ſuccumbamus.

Ceterum non deſunt alia adhuc philoſophica inſtituta & ſectae, & quidem tot, ut eas omnes deſcribere mihi plane impoſſibile videatur. Sed hae ſectae *exteriores* dicuntur, & quamvis Brahmanes pleraeque habuerint inſtitutores, Brahmanes tamen raro aut numquam iis initiantur, popularia enim, & ſuperſtitionibus addictorum hominum propoſita, & vitae genera eſſe ſolent. De ſecta Lingamica iam ſupra egimus.

Secta popularis poenitentium *Tader* dictorum inſtituta fuit a Vishnu, & conſtat ex viris tribus *Shudra* dictae. Hi dum a Guru ſectae initiantur, buccinum *Ciangu* dictum ex ferro rubro ad humerum ſiniſtrum, et coronam ex ligno ſeu planta Tularſi in capite ſuſcipiunt. Uxores & filios deſerunt, in ſilvis, oppidis, ſuburbiis admiranda poenitentiae exercitia peragunt. Alii elevatis brachiis arborem amplectuntur, nec umquam amplius dimittunt. Alii in ferrea cavea vitam agunt. Alii catenis onuſti incedunt. Alii pugnum utriuſque manus occluſum habent, nec aperire amplius poſſunt. Vidi duos qui elevatis & ſiccis iam brachiis ita dirriguere ut amplius ea dimittere nequirent, unum, qui genitali membro ſuo infixam ferream catenam magnam poſt ſe trahebat. Hi ab aliquibus Faquirii et Yogui vocantur. De his confer Strabonem, et Sonnerat *tom.* 1. *cap.* 5. Clement. Alex. *lib.* 4. ſtrom. *cap.* 27. Montacut. orig. Ecleſ. *part.* 1, *pag.* 171.

Poenitentes *Dacambaram* dicti, qui proprie Yogui dici debent, nudi ſemper incedunt, ex ſolis elemoſynis vivunt, et ſemper nudi peregrinantur, unde ſiti et fame ſaepe torquentur, in craſtinum nihil reponunt, nec corpus lavant, nec ungues reſcindunt, quae offeruntur manducant, humi ſubſtratis ſtoreis dormiunt. Hi maximi habentur, et non ſolum Europaeos, ſed et Indos in maximam ſui admirationem rapiunt. Hae ſectae, IV. et III. Brahmanicarum ſectarum, imitationes ſunt.

Me

Digitized by Google

സംഭവം

SAMBHAVAM SEU GENESIS MUNDI. ET RERUM APUD INDOS

Poſtquam Indica ſacrificia & varia inſtituta philoſophica paucis pro ſcopo huius libri attigimus, rerum ordo poſtulat, ut nunc ipſam baſim totius Indicae doctrinae ſuccincte tradamus. Notiſſimum et celeberrimum eſt opus in tota India, quod സംഭവം Sambhavam id eſt *Geneſis omnium rerum* ex ſyſtemate Indico, vel etiam പുരാണം Puránam ſeu *vetus hiſtoria Indica* inſcribitur. De hoc libro varii varia, nec pauca dicunt. Vide Sonnerat (1), diſquiſitiones Aſiaticas Calcuttenſes (2), P. Pons Ieſuitae epiſtolas (3), codicem manuſcriptum P. Ildephonſi Malabariae Miſſionarii *inter codices bibliothecae S. Congreg. de Prop. Fide num.* 20., & catalogum codicum Indicorum manuſcriptorum bibliothecae regiae Pariſienſis (4).

In hoc itaque codice ex ſacra litterali Samſcrdamica in linguam Samſcrdamico-Malabaricam gentilitiam verſo, quae verſio publico et certo teſtimonio ac approbatione totius Malabaricae gentis fulcitur, poſt initium ſeu invocationem deorum et prologum, ſequentia leguntur, quorum verſionem litteralem et textum hic ſumma diligentia reddo.

I. വിസ്തരിച്ചരുളിച്ചെയ്തിടേണമെന്നുർബ്ബൻ
ചിത്തകൌതുകമോടു പിന്നെയും ചോദിച്ചപ്പോൾ
Viſtariciaruli ceydidénam ennu urben
Citta kaudugamodu pineyum ciodiciappol

Dum

(1) *Pouranons* (corruptum a Puránam) *livres sacrès de Indiens qui sont des commentaires des Védams*, tom. 2. pag. 77. edit. in 8.

(2) Tom. 1. *On the literature of the Hindus*, pag. 341.

(3) *Lettres edifiantes* tom. 26. p. 221. edit. de Paris.

(4) Catalogus codicum manuſcriptorum bibliothecae regiae Pariſiis ex typographia regia 1739. pag. 434. n. 83. 83.

Digitized by Google

Dum iterum iterumque rex (vèdavyáſen heſychaſtam legis gentilicae auctorem) *ut rerum geneſim narraret*, *rogaret*.

II. സത്യജ്ഞാനാനന്ദാനന്ദാത്മകപരബ്രഹ്മ
തത്വജ്ഞനായപൈശൻവാകനനരുൾചെയ്തു

Satya gnánánandánandátmaga Parabrahma
Tatvagnanáya peyshen vákananarul ceydu

Payshen (collega heſychaſtae vedavyaſen inſtitutoris) *ex verae & infinitae ſapientiae ſpiritus dei Parabrahma mente genitus ac veritatis peritus filius ita prolocutus eſt*:

III. ധാതാവിനാത്മകനായദക്ഷനുമക്കളായ്
ചേതോഹാരിണികളായഅറുവതുണ്ടായതിൽ

Dhádávinátmaguenáya dekshnu makelay
Cedòhárinniguelàya arvadundàyadil

Dhádae (id eſt Brahmae, quem nos infra terram ſeu materiam eſſe invicte demonſtrabimus) *filio Deksheno ſexaginta filii nati*, *qui mentem eius interioraque egregie torquebant*.

IV. അദിതിപെറ്റുണ്ടാകിസൂര്യനെന്നറിഞ്ഞാലും
അവനുമകൻമനുഅവന്റെമകൻനീലൻ

Adidi pettundáki súryenennarignálum
Avenu maguen Manu avende maguen Nilen.

Ex iis filiis quos Adidi (mater deorum) *peperit eſt Suryen*, (id eſt ſol), *huius filius eſt Manu* (alii ſcribunt Menu), *& huius filius eſt Nilen* (1).

V. അവനൊരുപെണ്ണായ്ചമഞ്ഞുവിധിവശാൽ
മുമ്പിനാൽവിരിഞ്ചൻതൻപുത്രനാമത്രികണ്ണിൽ

Avenu moru pennay ciamagnu vidhi vashál
Mumbinal virincen tan putranámatrikannil

Huic (nempe Nilen) *una femina fato nata eſt* (verti etiam poteſt

(1) *Manu* iſte eſt ſub hoc nomine primus, atque hic diverſus eſſe videtur ab illo quem a diluvio liberavit Vishnu.

Digitized by Google

poteſt : *hic* (nempe Nilen) *fato in feminam mutatus eſt , huic feminae natus eſt Virincen filius trium oculorum .*

VI. സംഭവിച്ചിതു ചന്ദ്രനവന്റെ മകൻ ബുധൻ
ഇളയായ്ച്ചമഞ്ഞുള്ളൊരിളയെക്കണ്ടുമൂല
ഇളകി ബുധന്റെ മാനസമതു കാലം.

Sambhavicidu ciandra navende maguen budhen
Ilayay ciamagnullorilene canda mulam
Ilagui budhenude mánaſſam adu kálam.

Ex illo (Virincen) *natus Ciandra* (id eſt luna generis maſculini)
& huius filius eſt Budhen (Mercurius) *hic cum iunior eſſet iuniorem puellam adamavit & voluntas Budhae in eam tunc ferebatur .*

VII. ഇള പെറ്റുണ്ടായി വന്നു ചൊല്ലെഴും പുരൂരവാ
ഇളയെ വഴിപോലെ രക്ഷിച്ചാനവൻ മുന്നം.

Ila pettundai vannu ciolleſzum púrurava
Ilayé vaſzipóle rekshiciánven munnam .

Haec iunior peperit VII. *filios quorum primus Puru ,*
Hic pariter iuniori cohabitavit cum omni decore .

VIII. അവന്റെ മകനായുസ്സാകിയ നൃപവരൻ
അവനി ഭരണം ചെയ്തിരുന്നാൻ ചില കാലം
നഹുഷനായ നൃപതീശ്വരനവന്മകൻ നഹുഷ്ടൻ
തന്റെ മകനായതു യയാതിയും ദിഗ്വിജയശൌര്യനായ
ശുക്രമാമുനിയുടെ സുതയായിടും ദേവയാനിയെ വെട്ടു

Avenu maguen ayuſſaguia nrba varen
Avani bharenam ceidirunan cila kálam
Nahushenáya nrbadíshvaranaven maguen Nahushden
Tande maguenáyadu yayádiyum didigiásháryenáya
Shùkra ma muniyude ſudayáyidum dévayánie vétta

Huic (nempe Puru) *filius Ayuſſa rex , qui aliquot annis mundum terreſtrem gubernavit , huic filius Nahusha , & huic filius regius*

Nahush-

Nabushden, *ipſius filius Tayádi*, *Shukrae* (venus planeta generis maſculini inſtitutor filiorum Adidi deae, ſeu malorum geniorum, titanum, vel gigantum magiſter) *beſychaſtae filiam nomine Dévayáni ſibi deſpondit*.

IX. *Didigiádhibenáya urshaparvávin maguel adiſunari yáya sharmishda randamavel*, *adurandilumaitta ancia putremmarunday Teduvum*, *druvushyavum devayanika makel*, *sharmishdá maguen druyuhyu randamada Anu dyuhu dharmishdenáya Pururáva Tadu munam maguen Puruvin parambarayà devenmaray vannu pidru shàbat àlillaydum nrba cinham Puruvin varam paragiàden mar Pauravenmar*.

Filiorum Adidi (bonorum geniorum), *bonorum filiorum* inſtitutoris nomine *Brahaſpadi ſeu iovis heſychaſtae planetae formoſiſſima filia Sharmishda ſecundo genita*, *ſecunda ſimultanea uxor* (concubina) *regis Tayàdi fuit*. *Ex his duabus feminis nati ſunt quinque filii*. *Tadu & Druvushya filii Dévayàni*. *Sharmishdae filii Druhyu*, *ſecundus Anadruhyu*, *& tertius virtute inſignis Puru*. *Tadu filii benedictio & poſteritas ſunt Parayàdenmar* (gens, natio, tribus), *paternae autem maledictionis ſigno carentis Puru filii ſucceſſores ſunt Pauravenmar* (alia natio, gens, vel tribus).

Ita proſequendo eo tandem poſt multas generationes deducit haec hiſtoria, ut maximam zelotypiam inter has duas mulieres enatam, filiorum utriuſque feminae aemulationem, odia, inimicitias, ſimultates, & in varia regna peregrinationes deſcribat; quod cumprimis vide in hoc eodem libro in cantu *dévayànibhàgyam* dicto.

Nũnc itaque in hoc fragmentum noſtras iam animadverſiones faciamus. *Primo* ex ſecunda ſtropha patet Indos in libris ſuis unum verum Deum infinitum omni ſapientia repletum, eumque ſpiritum agnoſcere, quem *Parabrahma* vocant. Vide dictionarium R. P. Hanxleden ſub voce Brahma: ബ്രഹ്മം Brahmam *a ſciencia da ley*, *auſteridade*, *penitencia*. Item തത്വം tatvam *o verdadeiro ente ſuperior*, *que chamaõ* പരബ്രഹ്മം *Parabrahmam* (1). Et R. P. Iohannes de Brito (2) cap. 1. circa initium: *Eſtes*

(1) Vide num. 9. inter codices manuſcriptos biblioth. S. Cong. de Prop. Fide.

(2) Breve noticia dos erros que tem os gentios da India. ms.

Eſtes meſmos tem deſinido, que ha hum sò deos, e que ſe chama Parabrahma, que quer dizer excellentiſſima, e ſuperior ſciencia, e eſte dizem ſer a letra O &c. Videatur etiam verſus primus libri *Màgha* pag.66. in grammatica Samſcrdamica. Strabo lib.15. *de multis vero cum Graecis ſentire* (nempe Brahmanes) *ut quod mundus ſit ortus & interiturus, & ſphaericus, & quod adminiſtrator & conditor eius deus univerſum cum pervadat &c.* Vide etiam Porphyrium *de abſtinentia*, quem ſupra adduximus. Superſtitem habeo reiectaneam ſchedulam, in quam ea retuleram, quae mihi de divinis attributis, de deo adorando, ac eius operandi modo *Ciangra Govinda* Brahman anno 1779. dictavit. En illa: Ciandrennenna Bhòdatmagam anubamida Kála Déshává dìbyam, ſamuktyam, nityamuktam, nigama, ciada ſahaſrēna védaſya mánam, ſevaga vishtapradam, Bhagavam, namo ſtudé. Vedánda vedyáyade, vignána rùbané Parabrahmane namo namá. Vishva ſakshena, vishvadhaváya namo namá. Áditya, marul, Brahma, Nárayena, Rudra ororu vidham tòni, mánushya múrti tanné. Nintirurúbam tanne arignídáiga múlam ſangadam bhavikunu, ſamſáram elláverkum.

Intellectus & mens tua, o Deus, eſt inſtar lunae luminis, quae nec fervida eſt nec obſcura, ſed ſemper placida, & tamen clara. Similitudo eſt haec, non eſſentia tuae mentis. Tu vera lux temporum & regionum ſemper felix, aeterna & immutabilis. Tua ſapientia mille & amplius leges cognoſcit, & tamen ſemper libere & ſecundum honorem ſuum operatur. Tu ante omne id quod colitur exſtitiſti, tibi laus & adoratio! Tu ſolus es verus Bhagavàn felix, ſemper beatus. Tu legum omnium vera eſſentia, & omnis ſapientiae forma, tibi Parabrahma laus & adoratio! Tu, qui ante omne id quod eſt, exſtitiſti, teſtis es univerſi, & tu ſuſtines omnia, tibi laus & adoratio! Sol, aether, Brahma, Narayana (Vishnu), *& Rudra dii varia hominum ſunt commenta & corpora, & hi tua ſecreta penetrare nequeunt. Nos ipſi* (homines) *quod formam tuam ſcire & definire, nec te cognoſcere poſſimus, ſemper triſtes ſumus, & ſemper loquimur, ſemper diſputamus.* Cum ego quaeſiviſſem, quonam modo Deus mundum gubernet, Brahman reſpondit: സൎകാ

ത്തായിട്ട ſattáytta, ചിത്തായിട്ട cittaitta, അനുഭമമായിട്ട anubamamaitta, id eſt *ſubſtantia & eſſentia ſua, Intellectu & voluntate ſua, arte & modo qui ſibi ſimilem non habet*. Adde his: quod in libris Brahmanicis ſparſim haec attributa Deo Parabrahmae attribuantur സ്വദാസൽ ſvadaſal vel സ്വദാസത്ത ſvadaſatta, *qui per ſe eſt*, ſeu ens per ſe exſiſtens, അനാദി anádi, *ſine principio*, അശരീരി ashariri, *Incorporeus*, അനന്ത ananda *Infinitus*, അപരിഛെദി abaricédi *Indefinibilis*, സൎവ്വചാരുത്വം ſarvaciárutvam *omnis perfectio*, സൎവ്വകാരണം ſarvakáranam *cauſſa univerſalis*, ശാസ്താവ sháſtáva *vindex*, സൃഷ്ടാവ ſrshdáva *creator*, അദ്വയ advaya *ſibi ſimilem, aequalem aut ſecundum non habens*, പരമ parama *beneficus*, കരുണാനിധി karunnanidhi *theſaurus miſericordiae*. Verum quidem eſt, quod ſubinde aliqua ex his attributis deo Shivae in his ipſis Brahmanicis libris attribuantur. Verum ſi Shiva ignis aut ſol eſt, ut nos infra invicte demonſtraturi ſumus, aliqua ex his attributis ei adſcribuntur ut ſol iſte veri dei ſymbolum eſt, nempe generans & deſtructor. Deinde quamvis haec omnia attributa Shivae deo darentur, quod falſum eſt, attamen inde non aliud ſequeretur, quam quod Indi Shivam, id eſt ſolem aut ignem deum conſtituant, non autem quod unitatem dei negent. Hoc enim nullatenus cohaeret cum hoc quod ſupra ex ipſiſmet eorum libris & ſententia ſupra de deo Parabrahma adduximus, ita ut omnino certum, & evidens ſit Indos unum verum Deum uno lumine naturali agnoſcere & confiteri.

Facile & pronum eſt ſuperos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat. Iuv. Sat: 13.

Addere poterat, ſi omnia ex voto fluant, ſi divitiae non deſint, ſi cor hominis totum corruptum eſt. Verum nec ſexagenariam quidem

Digitized by Google

dem anum ; nec audaciſſimum quempiam , & procaciſſimum philoſophum Indicum invenias, qui deos eſſe non fateatur, quando damnum, periculum, conteſtato iuris, aut mors ingruit. Tunc in omnium ore *udaya tamburane*, id eſt in vulgari Malabaria lingua *o Deus vere & proprie* reſonat, tunc oculi in altum tolluntur, tunc ad iudicium & iuſtitiam illius provocatur, tunc ad fores delubri in nomine Dei omnia videntis & ſcientis iusiurandum petitur, & accipitur, tunc labia & cor Deo humiliari & illum agnoſcere incipiunt, id quod ego saepius inter gentiles fieri mei oculis vidi. Pudeat ergo Paullum Iablonskium, Conringium, alioſque, qui potius nocturnis viſionibus quam veritati indagandae aſſueti, nec linguae Aſiaticarum gentium ediſcendae, nec examinandae religioni addicti tamen mira dicacitate & inſolenti audacia optimas illas Indicas gentes materialiſmi, ſpinoſiſmi, ac atheiſmi accuſare ſatis inverecunde ſunt auſi. Confer Lactantium *de origine erroris ſeg. ſeptimo* cuius ſententiam heic admirabiliter cohaerentem pluſquam viginti veterum viatorum teſtimoniis circaIndicam gentem confirmare poſſem, & hoc quidem in opprobrium viatorum recentium Anglorum & Gallorum, qui veri ſcarabaei ſunt, qui, religionis Indicae, & linguae ſtudio neglecto aut contempto, ſola ſtercora in patriam ſuam vehunt, & iis totam Europam inquinare conantur. Quanam ratione Deus Parabrahma hunc mundum condiderit, hoc narrant ex libro Brahmanico *Manava shaſtram* Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches tom.* 1. *pag.* 244. *& ſeq.* atque illi narrationi ego lubens & ſincere ſubſcribo. *This World was all darkneſs, undiſcernible, undiſtinguishable, altogether was in a profound sleep; till the ſelf exiſtent inviſible God makinging manifeſt with five elements, and other glorious forms perfectly diſpelled the gloom. Its, deſiring to raiſe up various creatures by an emanation from his own Glory, firſt Created the Waters, and impreſſed them with a power of motion by that power was produced a golden Egg, blazing like a thouſand ſuns in which was born Brahma ſelf exiſting, the great parent of all rational beings &c.* Vide etiam ea quae afferuntur ex libro *Bhagavadam pag.* 245., quae ſane admirabiliter conveniunt cum iis quae de creatione mundi & ovo hoc *Andeszamottà*

dicto ex ſyſtemate Brahmanico affert R. P. Ildephonſus *cap. 1. de creatione mundi* in codice manuſcripto a nobis ſupra citato, quod idem ipſe ex Pacunar gentili Malabarico poeta ſatis diffuſe confirmat. Hic ergo Parabrahma, ſeu ut P. Norbertus, Anquetil du Perron, aliique ſcribunt *Karta*, quod dominum ſignificat, ut *Iſhvara* hoc idem, deo Brahmae dedit poteſtatem creandi, deo Vishnu creata conſervandi, deo Shiva poteſtatem omnia deſtruendi. Qui quidem tres dii quia filii & mariti ſunt deae Parashákti ſeu *ſupremae virtutis* quod *Paraſhakti* ſignificat, iam patet religionis Brahmanicae ipſum adeo principium allegoricum eſſe, atque ſerio inquiri debere, quid hi dii fratres & mariti ſimul deae Parashakti ſint. Quare cum ego ex ſupra dicto Brahmane quaeſiviſſem, quaenam verae & genuinae horum III. deorum proprietates ſint, is mihi reſpondit: *Praduvi* ſeu terram eſſe naturam & proprietatem dei *Brahma*, ac proinde quamvis inertem ſole tamen & aqua omnia producentem, *Appu* ſeu aquam eſſe naturam & proprietates dei *Viſhnu*, nempe naturam humidam, ad conſervandum aptam & idoneam, *Aghni* ſeu ignem eſſe naturam & proprietatem *dei Shiva* qui omnia deſtruit, cremat, conſumit,& quod alii duo fratres ipſiusBrahma etVishnu in terra et aqua crearunt et conſervarunt, in nihilum redigit. Ex qua ſane ſententia infra invicte ſtabilienda iam manifeſte patet, religionem Brahmanum allegoricam eſſe, et haec idola dei Brahmae, Vishnu & Shivae mera et vera ſymbola religionis Indicae in ipſa ſua origine exſtitiſſe. Cum igitur ego ultra inquirerem quidnam muneris haberet *Karta* vel *Parabrahma*, eo quod illi tres dii creent, conſervent et deſtruant res humanas, nec aliud in hoc mundo neceſſarium eſſe videatur? Brahman reſpondit: Karta ſeu dominum, Ishvara, ſeu Parabrahma ens nempe illud ſupremum et per ſe exſiſtens, ita eſſe in illis tribus et in eorum omnibus operationibus, quemadmodum in vaſe aqua pleno exſiſtere et conſpici ſolet ab hominibus ſol noſter viſibilis, qui licet in illa aqua ſeu vaſe reipſa non exſiſtat, ab omnibus tamen, qui illam aquam conſpiciunt, videtur, laudatur, et adoratur. Quomodo ex ovo omnia nata ſint et hi tres dii ex illo prodierint, id ex codicibus a nobis ſupra allatis haurire poteris, atque haec de deo et mundo nunc dicta ſufficiant.

Ad

Digitized by Google

Ad ſtropham tertiam notandum eſt : *Dhàda* vocabulum in vocabulario Amaraſinha ſect. 1. *Sorggavargam* deo Brahmae adſcribi, atque parentem ſignificare. Igitur ſi Brahma deus terra eſt quod iam ſupra innuimus, ſane ſequitur Deksha vel Dekshen quod hominem diligentem ſignificat, filium terrae eſſe, atque adeo etiam Brahmanes convenire, primum hominem *e terra formatum fuiſſe* ſeu filium huius viſibilis terrae eſſe.

Ad ſtropham quartam obſervandum eſt, ibidem Adidi feminam deorum omnium matrem ſcribi. Ex ea natus Suryen ſeu ſol, inter Indicos deos primicerius, ut ſupra obſervavimus. Ex hoc natus Manu, ſeu ut aliis placet *Menu* primus Indorum rex, qui ſane cum primo Aegyptio rege *Menes* unus et idem eſt. Ab hoc Indi ſuas ſe inſtitutiones civiles accepiſſe gloriantur, atque ſub nomine ipſius hodiedum exſtat in Indiis liber *Manuſmrdi* inſcriptus, qui memorialia Manu ſeu ſyſtema legum Indicarum continere dicitur. De eo vide librum *Aſiatick reſearches* pag. 352. Hic idem Manu ſeu Satyavrta *vir iuſtus* per Vishnu in ſua prima incarnatione a diluvio univerſali ſervatus fuiſſe in libro *Bhágavadam* ſcribitur, ita ut Angli illi iure merito eum *Noach* eſſe ſuſpicentur pag. 230. quod ibi vide. Sequeretur ergo Indos leges & inſtitutiones ſuas a *Noah* deducere, quod argumentum omnino dilucidari mereretur, niſi libro huic praefixa brevitas obſtaret.

Stropha quinta luna & mercurius nati eſſe ſcribuntur, uti etiam in ſequentibus ſtrophis Iupiter ſeu Brahaſpadi, & Shukra ſeu venus planetae aſtrorum ſeu heſychaſtarum (ſilentiariorum) contemplatorum, aſcetarum, Titanum, Gigantum, geniorum, bonorum & malorum ſpirituum, ſeu ſemideorum magiſtri & inſtitutores eſſe dicuntur. Dii ipſi ſeu genii vel ſemidii inter ſe pugnant, aliqui ob benedictionem, alii ob maledictionem a patre acceptam bella movent, in varias terrae partes proficiſcuntur, variae tribus ex illis formantur &c. Quae quidem omnia quid aliud innuunt niſi Indorum libros ex fabulis & vera hiſtoria contextos eſſe? Alia per traditionem a veteribus Patriarchis, alia ex aſtronomia deſumpſiſſe videntur, inde ingens illud & obſcurum chaos hiſtoriarum & fabularum pene infinitarum profluxit,

Digitized by Google

xit, in quarum originem inquirere uti ſummopere laudabile, ita ſane difficillimum & errandi periculo maxime expoſitum eſt. Verum ut promiſſis ſtemus, id unum heic evincamus eſt neceſſe, nempe Indos ſyſtema terreſtre politicum & civile, religioſum & mythologicum iuxta ſyſtema caeli ordinaſſe.

I. Indi ſolem & lunam adorant eiſque ſacrificant, quod ſupra vidimus. II. A ſole & luna ipſi reges ſuos denominant, quod pariter ſupra obſervavimus. Primus verſus libri *Bhágavadam* qui ſacer Indorum codex eſt, & de quo nos plura in grammatica Samſcrdamica, ita habet:

കഥിതോവംശവിസ്താരോഭവതാസോമസൂര്യയോഃ

രാജ്ഞാംചോഭയവംശ്യാനാംചരിതംപരമാദ്ഭുതം

Digna & admirabilis eſt amplitudo ſtirpis geſtaque utriuſque proſapiae regum ex ſole & luna progenitorum ab ipſo (viro gravi) narrata. Simili modo habet liber *Sambhavam* loco a nobis ſupra citato. Reges ergo Indici a ſole & luna deſcendere dicuntur, & inde deſcendit etiam *Yadu* vel Yedu familia quaedam, ex qua natns eſt deus *Krshna* ſeu Vishnu in Krshna regem incarnatus, ut habet etiam ſecundus verſus libri Bhágavadam. III. Budha Indicum & Thout Aegyptium unum idemque numen, atque *Mercurium* eſſe nos invictis rationibus demonſtravimus in grammatica Samſcrdamica pag. 177. & ſeq. IV. Ibidem etiam contra D. Bailly evicimus Indos chronologiam ſuam a mundo caeleſti, id eſt ab annis caeleſtium ſpirituum ſeu geniorum qui planetas & aſtra regunt, deſumpſiſſe. V. Regum conſiliarios, praeceptores, heſychaſtas ſeu ſilentiarios, contemplatores, monachos ſeu philoſophos terreſtres a planetis & aſtris, quae ſolem & lunam circumſtant, in ſilentio quaſi contemplantur, & lumen virtutemque ſuam ab iis recipiunt, planetas denique caeleſtes, mundi ſatores et vivificatores ac reliquorum aſtrorum illuminatores, philoſophos ſectarum Indicarum auctores, legum et populorum inſtitutores in ſyſtemate Indico terreſtri apud Indos haberi, adeo certum et indubitatum eſt, ut facile cuique etiam monoculo pateat, qui Indicos libros atque eorum legale ſyſtema

ma vel obiter novit. Unde ait Sonnerat tom. I. cap. 2. de aſtronomia Indica pag. 220. *A onze cents mille au deſſuz de ſaturne eſt le ciel de ſept Richys*, *& in* nota adiungit: *Ce ſont dez grands. Patriarches: ils forment la conſtellation que nous appellons la grande ourſe*. Ibidem etiam alia aſtra gigantes eſſe dicuntur ex opinione & doctrina Indorum. Quamvis ergo heic Sonnerat ridicule aſtra illa *Patriarchas* appellet, & ſeptem illi Richys id eſt ഋഷി Irshi ſeu മുനി Muni nempe *ſilentiarii ſeu heſychaſtae*, *monachi*, *aſcetae*, *contemplatores* proprie dici debeant, nec certum ſit illos ad urſam maiorem referendos eſſe, attamen ex toto libro *Sambhavam* ſeu geneſi Indica patet, philoſophos, conſiliarios, ſectarum auctores Indicos, monachos, regum et populorum inſtitutores terreſtres a planetis et aſtris denominari, et planetas illos caeleſtes, in terra doctores, magiſtros, et inſtitutores eſſe. Ita Budha Indicus in vocabulario Amaraſinha ſect. I. *Sorggavarggam* മുനീന്ദ്രഃ Munindra id eſt *heſychaſtarum praeſes*, ഷഡഭിജ്ഞഃ Shadhabigna *ſex ſcientias* (tot enim Indi numerant) *poſſidens*, ശാസ്താമുനി *heſychaſta caſtigator ſeu praeceptor* dicitur, quod fuſius explicatum vide in praedicta grammatica. ശുക്ര Shukra *venus planeta* (apud Brahmanes generis maſculini) *poeta*, *magiſter deorum ſeu malorum geniorum*, *filios & familiam habere dicitur*. ബൃഹസ്പതി Brahaſpadi (1) ſeu Iupiter planeta, *vivificator*, *guru ſeu doctor*, ac denique *eloquens* eſſe in eodem vocabulario ac in libro *Sambhavam* praedicatur. Quin in hoc libro etiam bella quae Titanes hi ſeu boni et mali genii aſtrorum rectores inter ſe habuerant, recenſentur, atque ii qui his planetis maioribus mercurio, iovi, veneri obedire nolebant, ſubinde anathemate percuſſi fuiſſe leguntur. Ita pariter in libro Bhágavadam *ſtropha* VIII. fortis *Ráma* filius ſtellae *Rohini* fuiſſe dicitur. Praetermitto nunc alia plura argumenta, quae omnia ſimul

(1) Bràhaſpadi ſignificat *magnum* vel *vaſtum dominum* quaſi dicere vellent iovem eſſe planetam magnum vel vaſtum.

muſ certiſſime evincunt Indos leges, inſtitutiones ſuas, ordinem rerum, ſcientias, graduum, et officiorum diſtinctionem, ipſum denique civilem cultum, religionem et philoſophiam a caeleſti ſyſtemate deduxiſſe. Caelum ut patrem, terram ut matrem ſolem ut ſatorem, mundi mentem ac aſtrorum regem ab antiquis conſideratum fuiſſe ſupra ex Plutarcho et Macrobio innuimus. Quidni igitur luna, aliique planetae ſua quoque officia, et dignitates allegoricas haberent, atque ipſis actio quaedam peculiaris unicuique in ſublunaria attribueretur? Ex quo ſane arguitur hoc ſuperſtitionis et idololatriae genus ſimul antiquiſſimum eſſe, atque non mediocrem aſtronomiae ſcientiam, ob quam Brahmanes etiam apud antiquos ſemper celebres habebantur, manifeſte ſupponere. Iobi liber de nulla alia idololatria plus conqueritur, quam de hac a planetis et aſtris deducta; et ex Arriano, Clement. Alex. ac Strabone patet, veteres Brahmanes huic uni addictos fuiſſe. Herculem ſeu ſolem ab ipſis adoratum fuiſſe tradit Plinius hiſt.nat. c.22., Strabo vero ait: *Herculem* ſolem *quidam tradunt in adverſa parte* (Indiae) *tantum fuiſſe uſque ad occidentis fines, quidam in utraque*. Et infra hanc opinionem refutat ex eo, quod Hercules tranſeundo per Indiam nullum ſignum reliquerit, quod Alexandri Magni commilitones e bello reduces adſtruere volebant. Tam conſtans nempe, tam antiqua, et tam extenſa fuit veterum Indorum traditio de adventu Herculis in Indiam, et tanta in eum illorum fides, ut Herculis ſimulacrum in bello contra Alexandrum praeferrent, quod accuratiſſimus Q. Curtius lib.8. cap.25. prodidit: *Herculis ſimulachrum agmini peditum praeferebatur. Id maximum erat bellantibus incitamentum, & deſeruiſſe geſtantes militare flagitium fuit*. Et lib.9. cap.8. *Perventum erat in regionem, in qua Hydaſpes amnis Aceſimi committitur. Hic decurrit in fines Sobiorum* (Strabo habet *Sibarum*, ideſt Shivenitarum, quorum antiquam manſionem vide in mappa geographica D. De l'Ile ſub nomine *Siba* inter Indum et Gangem). *Hi de exercitu Herculis maiores ſuos eſſe commemorant. Pelles ferarum pro veſte, clavae pro telo erant*. Denique Clemens Alexand. lib.3. Stromatum §.194. ait: *Ex Brahmanibus aliqui colunt Herculem & Panem*. Ex quibus omnibus nullus profecto reſtat dubi-

tandi

tandi locus, Herculem ſeu Shivam vel ut veteres ſcribunt Graeci Sibam, Sebam, Sebaſion &c. ſolem nempe vel ignem antiquiſſimum Indicum numen eſſe, a quo Indi inſtitutiones ſuas deducunt, ita ut omnino verum ſit, Indos reges ſuos, quin & philoſophos ſeu ſapientes ac magiſtros a ſole & planetis deducere. His itaque poſitis & certis, omnino inquirendum eſſet, quiſnam in geneſi Brahmanica ſit primus homo hiſtoricus & verus, & an omnis illa generationum ſeries mere ad aſtra & planetas ſit referenda, an vero etiam verae hiſtoriae initium ſit illud, & quomodo explicandum? Multi in hanc rem multa afferunt, quae cuique pro libitu examinanda relinquo. Mihi non diſplicet ſententia Iohannis Petri Erici Thuringi (1) qui de his rebus agens haec habet: *Utriuſque hiſtoriae ſacrae videlicet ac profanae illius aevi* (primi) *patres filum exorſi ſunt, cum ad memoriam ſui conſervandam ſua nomina & facta* (aliqua) *aſtris adſcripſere, donec inventa fuit graphica, cuius beneficio haec omnia vel columnis, vel alio modo inſcriberentur. Probabile maxime eſt profecto primaevos homines idem caeli ſyſtema quod Ariſtoteli, & Ptolemaeo adſcribitur, agnoviſſe, ſeptemque planetis digniſſimorum ſeptem hominum nomina impoſuiſſe; quod apud alios quoque auctores & noviſſime apud Cl. Hornium memini me legiſſe*. Si haec vera ſunt, ſequeretur omnino Indicam geneſim & veram ſeu hiſtoricam & allegoricam eſſe poſſe, atque hoc poſito Brahma ſeu terra primus omnium rerum eſt parens, primus vero terrae homo rationalis eſt Dekshen, quem ordine vero & hiſtorico excipiunt alii quos adduximus, illaque nomina & ad ſolem ac planetas, & ad veros viros qui reapſe exſtiterint, & gentes excoluerint, referri poſſent. Sed haec aliis diſputanda relinquimus.

(1) Renatum e myſterio principium philologicum. *Patavii anno* 1686. *pag*.3.4. *& seq*.

De creatione mundi Brahmano Tibetana confer etiam Alphabetum Tibet. *pag*.84. *& seqq*., & cod. manuſcr. P. Ildephonſi *cap*.1.2.3.4., tum de creatione eiuſdem ex ſententia Nepalenſium *Vide pag*.156. codicis manuſcripti: *Notizie laconiche di alcuni usi, sacrifizi, ed idoli nel regno di Nepal, raccolte nell' anno* 1747., qui exſtat in bibliotheca S. Congreg. de Propaganda Fide.

MYTHOLOGIA

ബ്രഹ്മാ

DEUS BRAHMA

TAB. VIII.

Ex cultu ſolis, lunae, planetarum, ceterorum denique corporum caeleſtium, gens Indica ad cultum terreſtrium rerum deſcendit. Primus inter ſublunares divinitates occurrit ipſe Deus Brahma. Hic in vocabulario Amaraſinham (1) his inſignitur epithetis: ആത്മഭൂഃ atmabhu *animae terrae*, id eſt probabilius elementa, aut prima materia terrae (2). സുരജ്യേഷ്ഠഃ ſurageshda *frater ſolis*, terra nempe & ſol fratres ſunt ad res ſublunares procreandas & hi duo concurrant eſt neceſſe ut aliquid producatur. പിതാമഹഃ, pidámaha *avus*, ſeu inter deos terreſtres ſenior. ഹിരണ്യഗർഭഃ hiranyagaerbha *auri matrix ſeu auri fetum producens*, quia terra aurum fert. ലോകേശഃ loguésha *terrae dominus*, സ്വയംഭൂഃ ſuayambhu *per ſe ſtans*, id eſt locum ſibi proprium habens(3). ചതുരാനനഃ ciaduránana *quatuor facies*

(1) Duo exemplaria manuſcripta correcta huius vocabularii ad manus habeo. Hoc etiam extat in bibliotheca regia Pariſienſi inter codices Indicos manuſcritos. *num*, 244. 94. & 42. De eo Anquetil du Perron *in Zend Aveſta tom*. 1. *edit. Paris*. 1771. in appendice *num*. 110. ſub corrupto nomine *Amarkosh*. Angli in libro *Asiatick researches tom* 1. *p*. 354., & hoc libro caret bibliotheca S. Congreg. de Prop. Fide.

(2) *Atmabhu* vocabulum etiam animam exſiſtentem ſeu exſiſtentiam dantem ſignificare poteſt. Quare hoc vocabulum cum epitheto ſecundo, aliiſque infra recenſendis aliam etiam profundae metaphyſicae ideam in ſe continere videtur, ita ut Brahma virtutem ſolis procreatricem, Vishnu deus virtutem ſolis, qua omnia conſervat, Shiva deus virtutem ſolis omnia deſtructricem ſignificare videatur. Vide diſſertatiunculam infra de Trinitate Indica. Verum mihi Brahma terram cum aethere coniunctam, Vishnu aquam, Shiva ſolem vel ignem ex multis validiſque rationibus ſignificare videtur.

(3) Hoc vocabulum in ſublimi lingua Samſcrdamica etiam aerem ſignificat.

eles habens ſeu quatuor capitum, fortaſſis ob IV. plagas terrae, അബ്ജയോനിഃ abgiayóni *matrix nubium*, quia nempe hac ex terra oriuntur, vel *matrix lunae*, quia terra actionem lunae tamquam matrix recipit, unde bene docuit Plutarchus caelum patrem, terram autem matrem, ſeu matricem eſſe. വിരിഞ്ചഃ virincia *extenſus*, *rimas agens*. കമലാസനഃ camaláſana *in loto ſedens*, quia lotus flos aquae, terrae, & ſolis productio eſt & matrix rerum ex calore & humore generantium. സ്രഷ്ടാഃ ſrshda, *creator*, *productor*. പ്രജാപതിഃ pragiábadi *dominus foetuum*, *partuum*, *productionum*. വേധാഃ vedha, *legem dictans*, quia terreſtria certa naturae lege reguntur. വിശ്വസൃൾ vishvasrl *rerum omnium corona*, *vel ſertum omnia circumdans*. വിധി vidhi *fatum*, *ſeu naturae lex*. Ex his quiſque vel me tacente colligit: I. Brahma deum nihil niſi materiam ſeu terram eſſe, Brehi nempe Aegyptium. II. Per haec epitheta ſeu attributa ſtatua Brahmae iam facile ex omnibus diis Indicis dignoſcitur & diſtinguitur, nempe in loto ſedet, quatuor facies quae quatuor Indicas leges dictarunt, habet, & cycno ſeu potius anſere vehitur, cui inſidens pingitur. Brahmae dei ſimulacrum coloribus expreſſum ab Indo quodam Nepalenſi more Indico vero & originali delineatum exhibet codex manuſcriptus R. P. Conſtantini ab Aſculo Capuccini Miſſionarii Nepalenſis. Hunc codicem totius Indicae ſuperſtitionis ſynopſim adiectis figuris ac brevibus deſcriptionibus exhibentem, Eminentiſſimus Cardinalis Borgia, quem promovendarum bonarum artium & ſcientiarum optima cura ſemper ſollicitum tenebat, dum S. Congregationi a ſecretis erat, in bibliothecam S. Congregationis intulit anno 1771., & hunc codicem inſpicere poſſunt Romae illi omnes, qui ſimulacra Indica non iam adulterina, ſed vera, naturalia, ac prout in ipſa India depicta aut caelata viſuntur, conſpicere, examina-

 re,

te, atque erudiri volunt. Gratias deinde habeo maximas clariſſimo viro Iohanni Chriſtophoro Amadutio, qui mihi hunc codicem indicavit, & quem cum iis figuris & ſimulacris quae in muſeo Borgiano exſtant collatum, ad amuſſim convenire reperi. In hoc originali codice Brahma depictus *fig.*1. habet IV. capita, & uno quoque mento gerit barbam ſatis promiſſam, qua non omnes aliae Brahmae dei inſigniuntur figurae, nam imberbis eſt, ſi bene memini, ille, quem exhibet Sonnerat *tom.*1. *edit. in* 4. Ex quo colligendum eſt Indis aliquibus olim geſtationem barbae communem fuiſſe, aliis non item. Praeterea ſimulacrum illud Nepalenſe Dei Brahmae, una manu gerit librum Grantham ex foliis palmarum aut rudi charta contextum & funiculo colligatum, qui itidem deum Brahma doctorem ſeu legislatorem eſſe demonſtrat, qui nempe IV. Indicas leges ſeu IV. védam dictaverit. Secunda manu tenet coronam precatoriam *Rudràkshàm* dictam, qua nomina dei Shiva *ſolis* recitando, preces peragit, munus Brahmanibus ipſius filiis commune. Tertia manu gerit vas cupreum ad conſervandam & bibendam aquam, inſigne eorum Brahmanum poenitentium, qui mendicando vitam agunt, & praeter vas illud nihil aliud ſecum portare poſſunt, id quod nos ſupra iam innuimus. Vectura Brahmae dei communiter cycnus vel anſer eſſe dicitur; *hamſa* nempe avis in poematibus ſacris Samſcrdamicis celeberrima. Et certe Brahmae ſimulacrum quod in antiquiſſimo templo inſulae Elephantae exſtat, & quod Niebuhr deſcriptum exhibet *tom.*2. *tab.*VI., pariter IV. cycnos ſub ſe habet cum tribus faciebus proſtantibus & patentibus, cum facies quarta ex adverſo deliteſcere ſupponatur, nec viſibilis eſſe poſſit ex antica parte. Hamſa vehiculum Brahmae eſſe etiam ſcribitur in vocabulario Amaraſinha, unde valde miror quod in codice R. P. Conſtantini ab Aſculo Brahma deus avi quidem hamſa vehatur, haec tamen avis verſicolor & maculis diſtincta repraeſentetur. Verum hoc ex varietate anſerum oriri poteſt, cum non omnes anſeres ſint ubique terrarum albi. Brahmae dei figuram quadrifrontem corona redimitam, in padma, tamara ſeu loto ſedentem, una manu librum & ex collo multas coronas precatorias atque

Digitized by Google

atque circa circum IV. alios libros quaſi diſperſos ſedenti Brahmae adiacentes exhibet etiam Pivatius *tom.*8. *tab.*20. *fig.*1. ad latus ſuperius primae transformationis Vishnu dei. Eamdem & eodem fere modo exhibent Calcuttenſes Angli *pag.*242. in diſſertatione inſcripta: *on the Gods of Greece*, *Italy*, *and India* in libro: *Aſiatick reſearches*, quae omnia locis citatis vide.

Brahma deus uxorem habet deam *Saraſvadi* ſeu deam eloquentiae, harmoniae, concinnitatis, quia nempe terra omnia certo, conſtanti, & venuſto ordine, regula, proportione, ac menſura producit. Ex Brahma natae quatuor Indicae tribus. Ex capite *Brahmanes*, quia tribus haec ſacerdotalis & capitalis alias tribus ſapientia ſua gubernare debet, ut caput humanum reliqua membra. Ex humeris nata tribus regalis ſeu *Kshetrier*, quia reges veluti ſuis humeris pondus regiminis, regnorum & populorum ſuſtinere debent. Ex ventre nati *Vayshycr* ſeu tertia tribus agriculturae & mercaturae addicta, quia haec duabus illis ſcientiis & functionibus ventri ſuccurrit. Ex femore ſeu pedibus nati *shudras* ſeu mecchanici, quia labore ſuo ſtatum regni ſuſtentare, capiti, ac humeris ſubeſſe debent. Haec omnia hoc quo diximus modo ex libris Brahmanum, ex immemorabili traditione, ex communi & conſtanti opinione populi Indici confirmantur, vera, ſacra, & certa eſſe univerſim ab omnibus propugnantur. Ex quibus ſane iam uſque ad evidentiam patet religionem Brahmanicam allegoricam eſſe, atque ſub involucris, ſymbolis et fabulis omnia tradere, quod certe, ſi Clementi Alexandrino, Plutarcho, aliiſque antiquis aliqua fides eſt adhibenda, iam demonſtrat, Indicam hanc religionem vetuſtiſſimam eſſe.

Ex his ergo omnibus iam facile diſperguntur ſomnia pene infinita variorum ſcriptorum Europaeorum, qui cum primum linguae exterarum nationum ſtudere, et exoticos libros legere debuiſſent, & ex iis poſtea aliquid effari, ſuis viſionibus et opinionibus praecocibus ſine peritia linguarum, ſine libris, ſine ullo prorſus proferendae veritatis adminiculo in mores illarum gentium inquirentes Indicum Brahma deum Patriarcham Abraham (1), alii

(1) Poſtellus commentario in Iezirah, Vide Sonnerat *pag.*274. *edit. in* 8. Stephanus Fourmont, S. Epiphanius.

alii repraeſentationem tantum unius divini attributi ſeu potentiae creationis veri dei (1), alii ſolem (2), alii verum quempiam hominem legislatorem (3), alii denique aliud eſſe falſo ſtatuerunt. Auctores hi uno hoc refelluntur Brahmanico libro Amaraſinha, et epithetis illis quae ſupra attulimus, et quae gens Indica tota Brahmae deo ſuo ſemper adſtruxit, atque hodiedum vere attribuit, credit, docet, & publico cultu profitetur (4). Hanc theodotiam & philoſophiam Brahmanicam, & hoc quod diximus, mirifice confirmat ſtatua dei Brahmae ex Bardeſane a Porphyrio lib. de ſtyge deſcripta. *In illo antro* (forte olim in inſula Elephanta aut Salſette) *ſtatua eſt decem ut videtur aut duodecim cubitorum, habitu erecto manibus in formam crucis extenſis, cuius dextera faciei pars virilis eſt, ſiniſtra muliebris. Atque eadem ratione brachium ac pes, totumque dextrum latus virile: ſiniſtrum vero muliebre ..... dexterae mammae illius ſtatuae ſolem inſculptum eſſe aiunt, ſiniſtrae lunam, ceteraque quae in mundo continentur, videlicet caelum, montes, mare, fluvium, oceanum, plantas, & animalia & quidquid tandem in rerum natura exſiſtit. Hanc ſtatuam aiunt deum filio ſuo dediſſe cum mundum conderet, ut exemplum ſibi propoſitum haberet*. Statuam Shivae dei dimidia parte feminae & altera parte viri exhibet ex eodem templo Elephantae Niebuhr *tab.6. tom.2.* Elementa nempe ignis, aquae, & terrae, ut ait Plutarchus, & Lactantius aliique, uxores & filios habere dicuntur, quin mares & feminae ſimul fuiſſe narrantur, ſubinde ut mares tantum, alias ut feminae tantum exhibentur, tum inter ſe pugnaſſe, ſimul concubuiſſe, filios genuiſſe ſaepenumero inducuntur in veteri philoſophia, id quod nos ſolertius enucleavimus in diſſertatione in linguam Samſcrdamicam. Quare Brahma, quin & Vishnu & Shiva, nempe *terra*, *aqua & ignis*, ut mares & feminae ſubinde ſimul repraeſentantur, & in ſtatua illa Bardeſanis ſol, luna, aſtra, maria, aliaque caeleſtia & terreſtria appinguntur, ut ſole, luna, & aſtris, terram, aquas, plantas, omnia denique ſublunaria germinare doceatur. VISH-

(1) Vide *pag.*243. in *Asiatick researches*. De Paw. *tom.*2.

(2) Alphab. Tibet.

(3) L'Avocat *dictionaire des hommes illustres &c.*

(4) Vide ſatyram 15. Iuvenal. *cum notis Farnabii*. Patavii anno 1705. Vocabularium Amaraſinha ſect.1. *Sorggavarggam*.

വിഷ്ണു

VISHNU

TAB. IX.

Viſhnu deus, quaſi Giſhnu ſeu *Victor* haec epitheta in Amaraſinha gerit: I. Nárayena. *Nirà* നീര ſignificat plenitudinem ſeu aquas collectas, quae dictio alludere videtur ad vocabulum maria, de quo in geneſi ita dicitur: Et vocavit deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellavit maria. *Ayena*, vel Malabarice prolatum *àyenam* അയനം ſignificat *incrementum*, commotionem plurium rerum in unum cumulum vel corpus, extenſionem in longum & latum unius rei, collectionem & augmentum. Haec etymologia a qua non multum diſcrepant Angli Calcuttenſes manifeſte probat, deum Vishnu primigenie ſignificare aquas. Giſhnu vero vel Viſhnu ſeu Victor per aquas fuit, ſeu aqua mundi victrix evaſit tempore diluvii univerſalis, quo tempore primum Viſhnu inter homines et in hoc mundo apparuiſſe dicitur in ſua prima incarnatione in piſcem. Haec apparitio prima cum evidenter ad diluvii univerſalis tempus in omnibus Brahmanicis libris referatur, quatuor etiam epochae temporum apud Brahmanes evidenter ſtatui poſſe videntur. Nempe I. quae eſt creationis, ſeu epocha Brahmae, qui primus deaſter eſt. II. et III. epocha eſt dei Viſhnu, quae ad hunc uſque annum 1791. quo haec ſcribo, perdurat, & necdum finivit, quia gentiles adhuc alias incarnationes dei Viſhnu exſpectant. IV. epocha ignis ſeu dei Shiva, quae eſt conſummatio mundi per ignem. In prima epocha, qua aetas aurea ſeu *krdayugam* continetur, numerandi ſunt illi omnes, qui a Brahma & Da^e^kshen uſque ad *Manu* Regem huius nominis ſeptimum, ſeu uſque ad Satyavrta pientiſſimum virum, quem Viſhnu ab univerſali diluvio liberavit, procedunt. In ſecunda epocha locum tenet aetas argentea *tredáyugam*, quae principium ſummit a diluvio uſque ad nativita-

vitatem Krshna, & bellum Pandavarum, quo tempore Vishnu ſub nomine Krshna apparuit. Tertia denique *dvàbarayugam* ſeu aetas argentea incoepit triginta annis poſt mortem Krshna, & perdurabit uſque ad conſummationem mundi, quae fiet per ventum validum, igneum, & urentem. Tunc incipiet epocha IV. dei Shiva, qua corruptis, deſtructis, & conſummatis rebus omnibus, ex ſeminibus reliquis, quae in lotum, vel in triangulum, aut matricem deae Bhavani recipienda ſunt, novus iterum orietur mundus, & novi caeli. De prima incarnatione dei Vishnu, qua hic transformatus in piſcem primo ad quaerendum védam, ſeu librum trium legum Brahmanicarum, quem *Hayagriven* daemon furto abſtulerat a deo Brahma dormiente, & in mare deiecerat, proceſſit, ac deinde ad pientiſſimum *Manu*, *Satyavrta* ſeu boni operatorem, celebrem Regem ab univerſali diluvio liberandum Vishnu piſcis venerat, vide *Aſiatick reſearches p.*230. *& ſeq.* & Sonnerat *tom.*1. *de Vishnu dei incarnatione in piſcem lib.*3. *cap.*3. R. P. Brito ex traditione Brahmanum Madurèenſium regem illum, quem Vishnu a diluvio liberavit, dicit fuiſſe *Tiruvaluven*, qui unacum ſua filia periculum evaſit. Verum magis in hac re credendum libro *Bhàgavadam*, ex quo eam afferunt Angli, quam R.P. Brito peculiari traditioni, aut certe nomina plura habuit, ita ut unum in uno, alterum in alio loco obtineat.

II. Nomen Vishnu eſt *Krshna* ſeu niger. Sub hoc nomine fuit incarnatus Vishnu incarnatione nona, & de hac nos agemus infra. III. nomen eius eſt *Vaygunda*, quod deſumptum eſt a loco, ſeu caelo *Vaygundam*, in quo reſidet. IV. *Dàmodara*, quia ſignum ſeu veſtigium pedis impreſſi gerit in ventre, quod ei impreſſit Tambura Má Irushi. V. vocatur *Késhava* ſeu Crinitus. VI. *Mádhava*, quia eſt maritus deae Má ſeu Leksmi. VII. dicitur *Punnarikàksha*, ſeu oculos habens rubicundos et pulchros ut eſt flos lotos. VIII. *Gòvinda*, quia pavit *govàm* ſeu vaccas, & adamavit 1608. mulieres paſtorales, *Govaſtriguel* dictas. IX. vocatur *Garudhadhvagia*, quia dum e caelo ſuo egreditur, vehitur aquila vel ave *gaerudha* dicta. X. *Pìdámbara*, quia veſtes gerit coloris flavi. XI. *Ciakravànnì*, quia manu gerit ciacram ſeu rotulam, in qua duo trianguli. XII. *Cíadurbhugla*,

Digitized by Google

gla, ſeu IV. manus habens. XIII. *Patmanàbba*, umbilicum ad inſtar loti habens. XIV. *Madhuribu*, hoſtis Madhu, quia pugnavit contra Madhu gigantem. XV. *Viſhvambhara*, omnia ſuſtentans, omnia protegens, et conſervans. XVI. *Vanamàli*, quia in campis ſeu ſolitudine paſtorali floreo ſerto fuit coronatus, & aliud ſertum ex collo geſtabat. XVII. *Gauri* Bengalinus, Gangeticus. XVIII. *Devaganana* filius deae Devagui &c. Quae epitheta omnia ad eius diverſas formas & transformationes referuntur.

Ex opinione Vishnuvitarum IV. manus dei Vishnu ſignificant, potentiam, iuſtitiam, liberalitatem, ſapientiam. Forte rectius dicerent potentiam, & magnum conatum, quem ut aqua ſemper exerit ad conſervandas res creatas. Secundum eamdem opinionem concha ſeu buccinum, quod una manu gerit, ſignificat, *quod buccino illo evocet & ad generationem ex abyſſo perducat, creet ex viſceribus terrae & aquae ea, quae vult*. Buccinum ſeu concha etiam Neptuni inſigne eſt, et Venerem ex concha natam ſcimus. Neque ideo Vishnu Venus eſt, quod arbitratur R. P. Georgius; nam ſi ratione ſolius huius conchae Venerem eſſe dicas, quod eam manu geſtat, ratione clavae, quam alia manu tenet Herculem eſſe dicere debebis; et ſic iterum alium, ratione rotulae ſeu ciacra, quae tertiae manui ineſt (1). Melius ergo dicunt Indi, concham eſſe procreationis vas et ſymbolum, in qua germinant, et naſcuntur res terreſtres. Talis etiam eſt lotos, quam Vishnu in IV. manu tenet, prima nempe aquae productio, quae ſecundum ſcholam Ionicam Thaletis, primum (2) generationis

(1) Simulacrum illius ex aere fuſum exſtat in muſeo Borgiano Velitris. Arcum etiam ut ſtrenuus bellator una manu portat.

(2) De Thalete vide Ciceron. *lib.*1. *de nat. Deor.* Lactant. *lib.*1. *cap.*5. Diogen. Laertium ſeg.35. inter Thaletis ἀποφθέγματα ubi haec refert: *Antiquissimum eorum omnium, quae sunt, Deus: ingenitum enim est, pulcherrimum mundus; a deo enim factus est*. Minut. in Octavio: *Milesius Thales, rerum initium aquam dixit; Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta formaverit*. Plutarchus de placitis philoſoph: *Thales principium rerum esse dixit aquam. Videtur autem princeps philosophiae hic fuisse, & ab eo secta Ionica nomen duxit*. Eadem erat philoſophia Phoenicum ut videri poteſt apud Euſeb. *Praeparat Evang. lib.*10. Eadem etiã de aqua philoſophia Aegyptiorum eſt, ut aſſerit Herodotus *in Euterpe*. Eadem quoque Indorum ut eſt ex Megeſthane apud Strab. *lib.*15. Heſiodi Scholiaſtes inquit: *Pindarus etiam praestantissimam rerum esse aquam, dixit*. Ex his coniice religionis & philoſophiae Brahmani-

tionis principium eſt, et cui etiam ſchola Brahmanica accinit, dum aquam ſecundum rerum principium ſtatuit. Clava Vishnu, quam *ghedà* vocant, malos caſtigat, et capita perverſorum frangit; ex hac enim cauſſa toties incarnatus fuit, ut gigantes exſtirparet, qui deos et devotos poenitentes infeſtabant, et ut malos, ac ſuperbos reges proſterneret, quibus Brahmanorum libri, cantilenae, et fabulae refertiſſimae ſunt. Rota *ciacram* dicta, quam ipſe manu in gyrum agit, ea eſt, per quam mundus in gyrum volvitur, qui motu, generatione et corruptione conſervatur, quod conſervationis munus huic deo incumbit. Concham & lotum venerantur Tibetani, et Iaponenſes. Non abſurde etiam Mani Tibetanum ciacram ſeu rotulam Vishnuviticam dixeris, hoc enim ipſi ſemper in gyrum agunt; & quoniam lotum adeo venerantur, cur dici nequeat quod Mani rotula Brahmanica ſit? Verum nos ſupra Mani *lingam* eſſe oſtendimus. At quidquid ſit ſive lingam ſive ciacram, ſemper ad generationis et corruptionis principium refertur; ad hoc enim illud referunt etiam epiſtolae magni Lhamae, quae in Alphabeto Tibetano adducuntur, et quas attente perlegendo facile quiſque in noſtram ibit ſententiam. Vishnu habet uxorem La^ekshmi, quae ſine dubio terra eſt, nempe dea aquae amica, et quae per aquam fruges fert. Eam Indi magnam matrem eſſe dicunt, quia haec ſemper producit, et nihilo imminuitur. De hac nos agemus infra. Vishnu dei corona triplex denotat dominium triplex, nempe, *maris*, *terrae* ut aqua irrigandae, et *firmamenti*, quod aqua replet. Ex collo appenſum geſtat diamantem *cauſthubbha mani* dictum, ad renes panno flavi ſeu ſubaurei coloris induitur, qui *Pidàmbaram* dicitur. Hic igitur color gratus eſt omnibus Indis, ſectis, et poenitentibus, qui telis hoc colore tinctis induuntur. Inaures dei Vishnu carbunculi ſunt, et hac forma quam deſcripſimus,

cae antiquitatem. Cum enim ſol, luna, aſtra, elementa adorata fuerint ante nativitatem Moyſis (nemini dubium, & liber Iob id manifeſte aſſerit) & cum religio ac philoſophia Brahmanica tota circa has res verſetur, facile coniici poteſt, quam antiqua haec Brahmanum ſit religio & philoſophia. Quare primi conatus Moyſis erant, Iſraelitas, qui ad eam deflexerant, ab hac repurgare, unde etiam ita inchoavit geneſim: *In principio creavit Deus &c.* ut nempe omnia haec frangeret, & una voce reſcinderet.

Digitized by Google

etiam Karta , ſeu ſupremum numen aliquibus poenitentibus et heſychaſtis apparuiſſe , Indi fabulantur . Avem garudha dictam , qua Vishnu vehitur , aquilam eſſe putat Sonnerat , verum ſaltem in Malabarica non aquila , ſed accipiter in veneratione habetur , et dei Vishnu vectura , ſeu *vahenam* dicitur (1) . Ex accipitris , luſitanice *minhoto* dicti , volatu auguria ſumuntur , et ſaepius vidi illos beatos exiſtimari , qui manu piſciculos portantes , ab accipitre volatu celeri inviſuntur , et ex quorum manibus avis illa piſciculos rapit . Adeo animal iſtud in Indiis nequam eſt . Vishnu ſubinde una manu nolam geſtans pingitur . Haec nola poenitentium inſigne eſt , cuius ſonitu ipſi praeceduntur, ut ii qui polluti et contaminati ſunt , recedant , ſe abſcondant , et liberam poenitenti gradienti relinquant viam . Hac nola magni nominis *Sanyàſi* ab aliquo praecedi ſolent , dum ex uno ad alium locum tranſeunt , aut in ſtagno aliquo lavantur . Vishnu dei incarnationes ſunt IX. (2) . I. In piſcem . II. In teſtudinem , in qua forma ille labentem ſuſtentavit , et ab interitu liberavit mundum , qui periclitabatur ob acre certamen inter deos *Dévaguel* dictos , et hoſtes eorum *Aſurer* , qui magna vi ambroſiam caeleſtem diis eripere volebant . III. In porcum , ut in terra defoſſos dei Rudra inveniret pedes . IV. In naraſinham , ſeu in ſemileonem et ſemihominem , ut occideret gigantem Irania , qui ſuperbus deos , devotos haeſychaſtas , et praeſertim deo Vishnu devotum perſequebatur Pragaladen. Huius gigantis ſanguinem potaſſe dicitur Vishnu . V. In Brahmanem *Vàmana* dictum , ſub qua forma punivit regem *Mahaveli Shacravàti* , quem ad infernum detruſit,et qui inde non niſi ſingulis annis menſe auguſto egreditur, quo in honorem dei Vishnu Malabarenſes octiduum obſervant ieiunium , et ſolemne feſtum *onam* , quo novis induuntur veſtibus , & umbratiles celebrant pugnas ludorum inſtar ſolemnium. Arcu , ſagittis , ac vario armorum genere inſtructi pugnando reciproce aliqui occiduntur , plurimi vulnerantur . Haec omnia in

(1) Avis haec vectura dei Vishnu , *avium dominus & coloris aurei vel subrubri* eſſe dicitur in Amaraſinha .

(2) Omnes iſtae incarnationes coloribus expreſſae exſtant in muſeo Borgiano . Eaſdem exhibet etiam Pivatius & Sonnerat locis ſupra citatis .

Digitized by Google

in honorem Vishnu dei referuntur, qui hoc menſe in terram deſcendere dicitur & mundum cominus inſpicere, an recte, & cum abundantia frugum adminiſtretur, an vero aliqua ad victum neceſſaria deſint. Alibi feſtum hoc menſe novembri celebrari auctores dicunt. VI. VII. & VIII. incarnatio fuit in Rámen. I. Ut perverſos Indiae reges Rágiaputrer dictos puniret. II. Ut gigantem Cartavirtargunen occideret, quem aratro confecit, & cum mille brachia haberet, eis excisis cumulos & ſtrues ex oſſibus exſtruxit. III. Ut *Rávana* gigantem, regem inſulae Ceylan vinceret, & regno privaret, in quo bello etiam cecidere *Kumbhacarnen* & *Vibhishmen* fratres Rávanae, inſignes bellatores. Hoc bello finito & Sida uxore ſua recuperata, victor per mundum peregrinari coepit. IX. incarnatio fuit in *Krshna*. De hac nos agemus infra.

Ex his omnibus elucet, Vishnu deum primigenie elementum aquae, cuius vis in diluvio univerſali primum cognoſci coepit, fictionibus allegoricis ſive ad promovendum bonum, ſive ad conſervandum mundum, ſive ad exſtirpandum malum, quod pariter ad eius conſervationem conducit, uti in primo diluvii eventu, ita ſaepius ſub dei forma in mundum induci; adeoque hic non ſolum allegoriam, non ſolum philoſophiam, ſed etiam fortaſſis eventus hiſtoricos mundi, ac praeſertim Indici, inquirendos eſſe, ut hi proinde attentiſſime examinari mereantur. De actionibus aut incarnationibus dei Brahmae relative ad mundum, & eius habitatores, nihil aut omnino parum proferunt Brahmanici libri, quin Brahma dormiiſſe dicitur, dum daemon abſtulit legis libros, quod certe per duo mille priores annos ante diluvium, & genus humanum corruptum fuiſſe, & mundum quaſi conſenuiſſe denotat. At ubi diluvium coepit, omnia velut a ſomno expergiſcuntur, omnia ſurgunt, omnia agitantur, boni & mali, poenae & proemii ratio habetur, Vishnu uſque ad aetatem mundi ferream IX. aut X. vicibus incarnatus in mundum veniſſe dicitur. Res itaque ſummi momenti eſſet incarnationes eius attentius examinare, perſonas, tempora, loca, & facta inſpicere, ac ſublatis allegoricis fictionibus, ex quibus tamen male tectis ſemper hiſtoricae lucis ubique

que aliquid promicat ; certam epocham & facta hi ſt orica ſtab i re. India, antiqua et decrepita tellus, omnis generis traditiones antiquas, ſyſtemata, ſectas, opiniones philoſophorum vetuſtas, cultus & religiones varias, veſtigia antiquitatis certa, conſuetudines denique & antiquos libros poſſidet, quidni dicendum antiqua facta hiſtorica poſſidere? Adde, quod Brahmanum pertinacia, & populi obſtinatio Indici pro antiquo culto, antiquis artibus, & antiquis conſuetudinibus ac traditionibus conſervandis admirabilis plane ſit, & nulli populo, nulli genti, aut regioni communis. Moriuntur ipſi potius, quam vel unguem recedant. Eſt ergo cur apud ipſos multa inquirantur, quia apud ipſos plurima antiquitatis monumenta tuto conſervata fuerunt. De Vishnu vide multa in *Aſiatick reſearches*, tum apud R.P. Giorgium in Alphabeto Tibet., P. Norbertum, P. Britto, Sonnerat & alios. Vishnu dei ſimulacrum ſub nomine *Náráyena* exhibet codex P. Conſtantini ab Aſculo *fig.* 5. Quod nos heic exhibemus ſimulacrum eſt aereum muſei Borgiani.

ശിവഃ

S H I V A

TAB. X.

Quemadmodum deo Brahma rerum creatio ſeu productio, & deo Vishnu eorum conſervatio, ita tertio Indicae Trinitatis deo Shiva rerum deſtructio a Brahmanibus adſcribitur. Hoc ipſi uno quaſi vocabulo exprimunt: സൃഷ്ടിസ്ഥിതിസംഹാരം ſrshdiſtidiſamháram, *productio*, *conſervatio*, *deſtructio ſeu corruptio*. Haec attributa *Karta* ſeu ſupremi entis ſunt ex opinione multorum Brahmanum, & horum ſymbola ſunt terra, aqua, ignis vel etiam ſol tertius, maximus, & potentiſſimus Indorum deus. Hic in vocabulario Amaraſinha ſequentia epitheta habet: ഈശഃ isha *dominus*, പശുപതി pashubadi *bovis dominus vel maritus*, in-

de

re (1). ഗിരിശഃ guirisha *dominus montium vel montis*, de qua re obſerva ea quae P. Conſtantinus Capuccinus olim Nepalenſis Miſſionarius ait *ad fig.* 7. *&* 8. in ſuo codice manuſcripto: *Una giornata di cammino diſtante della città di Batagao vi è un grande monte detto Hemaloe* (Himala mons frigoris) *abitazione, e luogo di contemplazione di Mahádéva e de Párvadi ſua moglie. Il ſagro fiume detto Bagmadi che ſcorre tra Batagao e Catmandu è di acque ſante, che levano ogni macchia di peccato.* Vide mappam geographicam D. De l'Ile *inter gradum latitud.* 25., *&* 30. *prope civitatem Pattan*, & librum *Aſiatick reſearches pag.* 248. Montes iſti Tibeto proximi an non conveniunt cum monte Thraciae de quo Herodotus & Macrobius agunt? *In Thracia eumdem haberi ſolem*, ait iſte Satur. lib. 1. cap. 18., *atque Liberum accipimus, quem Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant ut Alexander ſcribit, eique deo in colle Zilmiſſo aedes dicata eſt, ſpecie rotunda, cuius medium iter patet tectum.* Haec ſi vera ſunt, profecto argumentum quod nos in grammatica de Sebaſio, Sebeſio, Sebadio, Siba ſeu Shiva deo pertractavimus, certae & plenae convictionis eſt. Hoc ibi videat cui placet. Porro Shiva deus etiam vocatur ഭൂതേശഃ bhudésha *dominus daemonum, larvarum, malorum ſpirituum*, മൃത്യുഞ്ജയഃ mrdhyugeya *victor mortis*, മൃഡഃ mrdha *pertinax, obſtinatus, pugnax, bellator*, വിരൂപാക്ഷ virubaksha *deformes, terribiles oculos habens*, കപാലഭൃത് kabálabri *horridis & erectis capillis*, വാമദേവ vámadéva *craſſi, obtuſi, inſtar pigmei corporis*, ത്രിലോചനഃ trilòcena *tres oculos habens*,

ശാന്ത

(1) Plura nos de Shiva deo ſeu de hoc Baccho ſive ſole infra adducemus in quaeſtione *an religio Brahmanica a Scythis deſcendat*. Ibi quis hic deaſter ſit ad trutinam revocabimus & ad amuſſim ſtatuemus, quae tamen nunc heic legenda ſunt ut diſtincta notio huius dei aquiratur. Urus ſeu taurus quo Shiva deus vehitur probabiliter terra eſt, aſt dum taurus ſolus in aliquibus monumentis exhibetur, loco Shivae dei ſeu ſolis generatoris ſumi poteſt & debet, ſignum nempe pro re, ubi res eſt Shiva vel ſol, taurus vero Shivae ſignum & attributum.

Digitized by Google

ശാസ്താവ ſháſtáva *vindex*, സൎവ്വജ്ഞഃ sarvagna *omniſcius*, quia ſcientia & ſapientia ſua omnia cognoſcit & oculo illo tertio quem in fronte gerit, omnia videt, omnia bona & mala diſcernit ut illa aut praemio aut poena afficere poſſit. Inde evenit quod aliqui Shivenitae huius dei cultores unum oculum in fronte in honorem huius dei depictum gerant, id quod ego admonere & explicare in grammatica Samſcrdamica plane oblitus fui. നീലലോഹിതഃ nilohida *rubro caerulei viſus*, ഹരഃ hará *deſtructor*, ത്രിപുരാന്തകഃ triburándaga *tres urbes ſeu regiones inhabitans*, caelum ſeu firmamentum, terram, & infernum. ഗംഗാധരഃ Gaengadhara *Gangem fluvium in capite portans*: വ്യോമകേശഃ vyomaguésha *firmamenti dominus*, വൃഷധ്വജഃ urshadvagia *pluviam, tempeſtatem fulmen & tonitru producens*. ഭീമഃ bhíma *terribilis, horridus*, ഭവഃ Bhava *exſiſtere faciens*, *generans*, *&c.* Haec omnia nomina gentiles ex corona precatoria *rudráksham* dicta devotiſſime recitant, & hae ſunt eorum quotidianae preces. Unde coronae hae in Tibetanorum & Indorum manibus paſſim videntur (1). Sûb omnibus his epithetis ſeu qualitatibus vel attributis hic Deus repraeſentari ſolet. Quorum plura ſi in hac una eademque figura dei Shivae coniungas, exſurgit inde monſtrum ingens, terribile & horrendum quod vide *pag.*48. *tab.*2. *in Alphab. Tibet. in cyclo tranſmigrationum* a clariſſ. P. Georgio explicato. Ex his iiſdem attributis iam tu ipſe facile ſimulacrum huius (2) dei cognoſces & ab omni alio, dum tibi occurrit, diſtingues, videbiſque Shivam modo bovi inſidentem (3), modo ex capite illius Gan-

(1) Numquid ergo ſomnia ſunt omnia ea, quae de Tibetanorum Manichaeiſmo aut corrupto Chriſtianiſmo adſtruuntur? *Vid. tab.*IV. *in Alphab. Tibetano*.

(2) Daemonem exiſtimat eſſe Ludovicus Rom. Patritius *lib.* 5. *suae navig. pag.*237. in opere inſcripto: *Novus orbis regionum & insularum*. Baſileae. an. 1532.

(3) Simulacrum hoc depictum bovi inſidens vide in muſeo Borgiano Velitris.

Digitized by Google

Gangem fluvium profluentem, modò furca, tridente, & ſerpentibus inſtructum, modo fulmen intorquentem, modo mortuorum calvariis ſeu craniis undequaque amictum, modo ſecuri aut gladio infantes diſſecantem, modo varia armorum genera, ut gladium, clavam, ſecurim, coronam precatoriam geſtantem, modo cum uno tantum lingam in yoni ſeu matrice poſito & in conum aſcendente repraeſentari, modo denique cum multis manibus & pleriſque his attributis ſimul exhiberi. Vide tabulas Franciſci Pivatii, Sonnerat *tom.* 1., Niebuhr *tom.* 2., P. Conſtantini icones *fig.* 6. 7. *&* 8., *item fig.* 18., *&* 20., quam ultimam male exponit dum numen illud praeſidem carminis, comoediae, chorearum, et gaudii eſſe contendit. Ita pariter minus recte comparat R.P. Georgius hoc numen cum Budha, qui abſque omni dubio Mercurius eſt, et a Xaca, Sciaca, ſeu Siba, Seba, vel Shiva omnino diſtinctus. Vide epitheta Budhae in grammatica Samſcrdamica circa finem. Ex his iiſdem epithetis, quae ſane ad amuſſim conveniunt cum omnibus Shivae dei ſtatuis, figuris & imaginibus, ut auctores ſupra citatos inſpicienti patebit, iam facile dignoſcitur, quiſnam ſit hic deus Shiva. Eſt nempe ſol terrae ſeu bovi inſidens, eſt generator & deſtructor, gignens & exurendo deſtruens aut corrumpens, eſt vindex criminum, corporum & animarum, eſt mortuorum iudex, eſt Hercules, eſt Iupiter tonans & fulminans, eſt ignis calore procreans, dum Vishnu & Brahma ſeu terra & aqua concurrit. Quare etiam cum fratre ſuo Vishnu ſimul concubuiſſe in fabulis Brahmanicis traditur, & ex hoc concubitu enatum eſt portentum illud Indicum Phallus ſeu Lingam, naturae ſeu *Shakti* deae ex calore et humore generantis ſymbolum, unde etiam *lingam* hoc in *yòni* ſeu matrice conſtitutum paſſim in Indiis in lucis cernitur, & ex conſtanti ac univerſali Indorum traditione Shivae Dei & Bhavani uxoris eius, aut Vishnu dei fratris illius in feminam mutati, pudenda repraeſentat. Hanc vero communem omnium Indorum, id eſt Malabarenſium, Tamulenſium, Madurenſium, Bengalinorum, Indoſtanorum opinionem eſſe, non tantum elucet ex eo quod de primis ego, de Tamulenſibus R. P. Norbertus, de Mayſſurenſibus & Madurenſibus R. P. Brito, de Bengalinis & Indoſtanis Angli Calcut-

 ten-

tenſes, vades dare poſſimus, & praedicta confirmare, ſed etiam de populis Nebalenſibus Tibeto proximis idem affirmet R. P. Conſtantinus ab Aſculo *pag.* 156. ubi ita habet: *dicono alcuni loro libri, che l'eterno Trameſuara, cioè dio creò con la ſua volontà ſei vaghe coſe, cioè il cielo, la terra, l' aria, l' acqua, il ſole, e la luna, e ſtando in atto di voler crear il reſtante, comparve nel mondo la ſua medema volontà* (alii dicunt virtus, potentia, natura id eſt Shakti dea, quod proprie virtutem aliquam ſingularem ſignificat) *in figura di donna, e queſta battendo tre volte la palma di lei mano, in virtù di alcune parole ne uſcirono tre palle, e da queſte Brahma, Vishnu, e Mahádéva trinità viſibile.* Haec omnia nos accuratius enucleamus in grammatica, quae omnino legenda eſt illi, qui de his rebus diſtinctam notionem habere cupit. Ex imperitia linguae litteralis ſacrae Samſcrdamicae, non ſolum haec, ſed etiam omnia quae ſupra de Shiva diximus, miro ariolantium, morologorum, & ſemiperitorum ſcriptorum ſtudio & ſcriptionibus corrupta, confuſa, intricata, perverſa, & depravata fuerunt, ex quo etiam emanavit, ut nullus quod ſciam hactenus veram, diſtinctam, & dilucidam notionem de Shiva deo dederit. Quare vocabularium hoc Amaraſinha ſemper prae oculis habendum eſt, & iuxta illud ſcriptores illi caſtigandi, legendi & ad trutinam revocandi. In hoc eodem vocabulario Shivae deo haec attributa adſcribuntur: ജട Gedá *crines ſeu capillitium horridum & totum intextum*, വില്ല Villa *arcus & ſagitta*, കാള Kála *bos*, ഗദ Ghedá *clava &c.* Qui plura de deo Shiva ex mythologia Indica noſſe cupit, adeat opus manuſcriptum R. P. Ildephonſi inter codices S. Congregationis *num.* 20., codices Indicos manuſcriptos bibliothecae regiae Pariſienſis *num.* 34.56., & alios, ac praeſertim codicem manuſcriptum, qui exſtat in bibliotheca S. Genovefae ſub titulo: *De la religion de Malabares*, quem mihi Pariſiis eruditus vir Bartholomaeus Mercier Abbas S Leger pro ſua in me humanitate indicavit, & quem ego in praedicta bibliotheca vidi menſe decembri anno 1789. Rerum principia, terram, aquam & ignem, quae Strabone teſte antiqui ſtatuere Brahmanes, pariter aliqui adſtruxere philoſophi Graeci. *Heraclitus & Hippaſus*, ait

Digitized by Google

ait Plutarchus de placit. philoſoph: *Ignem omnium eſſe rerum principium perhibuerunt. Omnia enim dicunt ex igne naſci, & in ignem reſolvi, & ignis extinctione univerſum hoc creatum eſſe . . . ita ignem principium eſſe ex quo omnia, & finem in quem omnia recidant*, Confer etiam Clement. Alex. *lib.* 1. *Stromat.*, & Lactant. *de orig. erroris ſeg.* 18. Hanc ſententiam etiam Parmenidi adſcribit Laertius lib. 9. dicens: *Primus hic terram globoſam dixit, & in medio ſitam, duoque eſſe elementa ignem & terram; illum opificis, hanc materiae tenere ordinem*. Et Ovidius:

Quippe, ubi temperiem ſumpſere humorque calorque,
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.

Chaldaei, inquit Farnabius, *ignem venerabantur inter ſumma numina ut & aquam, tamquam rerum principia*. Et forte Brahmanes ea ab ipſis acceperunt. Sibas ſeu Shivenitas Shivae ſeu Herculis huius Indici diſcipulos, ſectatores, & ex illo deſcendentes iam deſcripſit Plinius, Arrianus, Curtius & Strabo lib. 15., quos vide, & hii ſectarii hodiedum in Indiis exſiſtunt, *Gòsámi*, *Togui*, & falſo nomine *Faquiril* dicti, praeter alios Shivenitas infinitos, quorum ſupra iam meminimus.

സ ര സ്വ തി

S A R A S V A D I

T A B. XI.

Saraſvadi Brahma dei uxor in vocabulario Amaraſinha ſect. ശബ്ദാദിവർഗ്ഗം shabdádivarggam haec gerit epitheta: ബ്രാഹ്മീ Brahmí id eſt *ſcientia, & uxor Brahmae*. Ex quo argues ad productionem rerum deo Brahma uxorem ſcientiam feminam confictam ab antiquis Brahmanibus datam fuiſſe. Unde iam merito ſucccenſeas Newtonio, Abbati Pluche, Bryantio, La Croze, Court de Gebelin, & centenis aliis ariolis, quorum ali-

 qui

Digitized by Google

qui totum orientalium mythologicum ſyſtema & divinitates ad agriculturam tantum, alii ad defunctos illarum gentium reges, alii ad aſtronomiam, alii ad Patriarchas a Moyſe in ſacris paginis allatos, alii ad mera abſtracta veri dei attributa, alii ad ſola rerum principia retulerunt. Profecto ex hoc ſolo vocabulo ex libro Brahmanico non ſuſpecto hic adducto iam elucet, antiquis virtutes & vitia in perſonas fingere moris fuiſſe. Sed epithetorum explicationem proſequamur. ഭാരതി bháradi *hiſtoria*, *ſeu dea hiſtoriae*, ഭാഷാ bháshá *lingua*, *idioma ſeu dea grammaticae*, ഗീ ghi *vox*, *verbum*, *dictio* ſeu dea eloquentiae, വാക്ക്വാണി vákervàni *linguam ſeu verba regens*, സരസ്വതി ſaraſuadí *harmoniae domina*, *proportionis*, *&* *concinnitatis praeſes*. Huius deae ſimulacrum quod ex muſeo Borgiano exhibemus, in capite mitram oblongam gerit, in fronte ſignum ſanctum deſcriptum habet. In quatuor manibus ſtylum ferreum ad ſcribendum in foliis palmarum, folium palmae, cervum ſeu formam cervi, in qua Brahma deus eam deperiit & conſtupravit, & cultrum vel ſecurim habet, qua folia palmarum reſecat & temperat. In aliis ſimulacris ſolo ſtylo inſignitur, & aliam manum pendentem ac cruri applicatam tenet. Nudo & mammoſo ſemper exhibetur pectore quaſi eam adeuntibus & colentibus lac abundans praebitura. Zonam gerit ex humeris, ut pater & maritus eius Brahma, quae zona ſcientias tradendi, & homines inſtruendi facultatem & auctoritatem denotat. Haec dea apud Nebalenſes una manu lotum, altera librum, alia coronam precatoriam, altera ſtylum ſeu celte tenens pingitur. Huic olim ſervus nomine Kálidáſa addictiſſimus fuiſſe dicitur, cui haec dea donum eloquentiae devoti famulitii praemium dedit. Eruditi omnes eam colant, eique ſacrificent eſt neceſſe. Quin etiam reges eidem ſacrificia publica offerunt, vocaturque hoc holocauſtum *ſaraſvadipùgia*.

Brahma deum Patriarcham Abraham, Saraſvadi vero Saram eius uxorem eſſe exiſtimavit P. Bouchet, & ex hac opinione plenum procacitatis riſum movere conatur in religionem Chriſtia-

nam

nam anonymus auctor Gallus opuſculi *hiſtoria philoſophica monachiſmi* inſcripti (1), quaſi Chriſtiani religionis ſuae dogmata & inſtituta a Brahmanibus accepiſſent, unde etiam monachos Chriſtianos Indicis Samanaeis comparat, & religioſa inſtituta Chriſtiana ab illis tamquam a fonte deducit.

En animam & mentem cum qua dii nocte loquuntur

An non potiori iure philoſophaſtri noſtri a Samanaeis oriuntur? Profecto hi philoſophi ſunt ut Strabo, Arrianus, Cicero, & Porphyrius id manifeſte docent. Se ipſum itaque ſuamque philoſophiam auctor a Samanaeis deducat. Viſionarios & impoſtores ſocios ſuos Voltairum, Rouſſeaum, Bolingbrokium, Hervatium, Conringium, Shawium, Poſtellum, La Crozium, de Paw, alioſque huius furfuris philoſophaſtros, ac denique ſe ipſum rideat auctor, atque imbecillitatis & inſaniae ſuae miſereatur. Quod ſi hoc diſplicet, inſtar villoſi, murmurantis & uncantis urſi eximium ingenii ſui fetum circumlambat eſt neceſſe, ſi partui ſuo tollerabilem humani fetus formam figuramque dare velit. An Saraſvadi Sara ſit, auctor ipſe ex allatis epithetis diiudicet & taceat. Simulacrum huius deae ex aere fuſum exſtat in muſeo Borgiano Velitris.

ലക്ഷ്മി

LAEKSHMI

TAB. XII.

Dea Laekshmi Vishnu dei uxor, & ſecunda ex ſeptem deabus eſt, quas gentiles *ſapta mádara*, ſeu ſeptem matres vocant. Ea ita in vocabulario Brahmanico deſcribitur: I. ശ്രീ shri II. ലക്ഷ്മി lakshmi III. പദ്മാലയാ padmaleyá loti habitatrix, lotus enim orien-

(1) La neceſſité de ſupprimer les ordres religieux en France, ou l'hiſtoire philoſophique du monachiſme. Londres 1790.

oriente ſole ſe ſe aperit & explicat, occidente vero claudit, & quia lotus naturae ſymbolum eſt ex calore & humore generantis, lotus haec apud omnes pene Aſiaticas gentes tamquam matrix conſideratur atque ſolis ceterorumque planetarum ſemina in ſe ſuſcipit, ut ea dum iam matureſcunt iterum producat, germinet, & ſuae primae exſiſtentiae ac formae reſtituat. Quare Aegyptii ipſum adeo ſolem iuvenem in loto conſtituebant, ut in ea matureſcens creſcere videretur & fortior fieri. Unde Plutarchus in *Iſide*: *neque putant* (Aegyptii) *ſolem infantem recens natum e loto exſtitiſſe*: *ſed ſic ortum ſolis pingunt*, *innuentes quomodo is ex humidis accendatur*. Brahmanes etiam lingam in loto ſeu matrice conſtituunt & per illud generatorem, per hanc lotum, triangulum, ſeu yoni & receptaculum ſemiuis intelligunt. IV. പത്മാ padmá V. ഹരിപ്രിയാ haripriyà VI. ഇന്ദ്രാ indrá VII. ലൊകജനനി lògagenani & ലൊകമാതാ logamàdà mundi genitrix, & mundi mater. VIII. മാ mà IX. രമാ ramá X. മംഗലദെവത mangaladévadá XI. ക്ഷീരസാ kshirasá. I. *Sbrí*, beata, felix, fortunata, opulenta. II. *Laᶜkshmi*, formoſa, pulchra, nam *Laᶜkshlmyam* venuſtatem ſignificat. III. *Patmáleya*. IV. *Patmá* vel *Padmá*, lotos, nymphaea. V. *Haripriá* dei Vishnu amatrix. VI. *Indrá*, Indraet deo affinis, proprie ſenſus afficiens. VII. mater telluris VIII. *Mà*, magna. IX. *Ramá*, luxurians, iucunda. X. *Mangaladévada* felicitatis dea. XI. *Kshirasà* dulcis, lactea. Haec dea ſedens exhibetur, & ambabus manibus lotum geſtat. Mitram in conum vergentem in aliquibus ſtatuis, in aliis vero decuſſam, aut incomptos & ſimplices capillos in verticem religatos habet. In fronte ſacris lingami inſignibus exornata eſt. Nudo pectore exhibetur. Haec itaque huius deae eſt forma communis quae in templis gentiliciis videtur & in parietibus pingitur. Sed adeſt alia etiam illius ſpecies in muſeo Veliterno, quam ego antea numquam videram. Hoc ſimulacrum Laᶜkshmi deam ſtantem exhibet, mitra in conum aſſurgente, & pectore, ac toto corpore uſque ad renes nudo. Ex humeris ſaccum penſilem geſtat, quem ante pectus

Digitized by Google

pectus hiantem & apertum duabus manibus tenet tamquam ex eo naturae aut terrae dona profundens. Alias infantem manibus geſtat eique mammam ſugendam porrigit. Subinde haec eadem dea formoſae virginis inſtar in loto ipſa ſedens exhibetur, & tunc induta, & pulcherrimis inauribus exornata lucet. Ipſi arbor *màva*, ſeu mangueira Indica pomorum manga dictorum feraciſſima, foliumque huius arboris eſt ſacrum, unde ramuſculo eiuſdem Brahmanes utuntur in luſtrali aqua reſpergenda. Lotos etiam eidem ſacra eſt, utpote eius domus vel ſedes, cui inſidet. Deam hanc etiam in ore vaccarum habitare fabulantur. Ignis item nocturni tutelaris dea eſſe videtur, nam in honorem Lackshmi veſperi ſemper ignis ſeponitur & cuſtoditur, atque beata illa domus eſſe exiſtimatur, in qua ſemper aut lampas, aut alterius formae ignis in honorem huius deae exſiſtit, & ardet. Dum oryza coquitur, paucis granis in ignem iniectis feminae Indicae huic deae ſacrificant, & hoc numen invocant. Pulchritudinis & filiorum cupidae puellae huic deae ſe ſe commendant. Ea vero ab omnibus & in tota India colitur. Magna mater a Vishnuvitis vocatur.

Quicumque Graecanicas inter & Brahmanicas divinitates ſimilitudinem intercedere negat, & Graecos Romanoſque a Brahmanibus nihil accepiſſe autumat, hanc deam ſerio inſpiciat & examinet, tum monumenta Indica & Graecanica inter ſe conferat, atque ſi certis indiciis compererit Indicam gentem Graecis vetuſtiorem eſſe, Graecis Latiniſque prius religione & litteris excultam fuiſſe, is iure merito, certiſſime, & bene concludet, Graecos Latinoſque non tantum pleraque philoſophiae capita a barbaris, hoc eſt ab eruditis Brahmanibus & Perſis accepiſſe, ſed & pleraque religionis dogmata ex Indiis in Graeciam & Latium allata, & propagata fuiſſe. Id quod multis oſtendit Clemens Alex., Euſebius, Laertius, aliique.

Ops vel Ceres dea frugum, alma Ceres, tellus magna mater, cunctarum frugum creatrix, an alia a Brahmanica Shri, vel Lackshmi eſſe poteſt? Ceres dicitur, ut obſervant auctores, quia nos alit, & inde eam Brahmanes beatam, felicem, ac divitem eſſe dicunt. Luxurians & iucunda dicitur, quia, ut Fulgen-

gentius ſcribit, Graece χάρα, id eſt *gaudium* dicitur, ex eo quod oryzam, frumentum,fructus & naturae dona plenis manibus donat, hominesque gaudio replet. Luxurians vero dicitur, quia ſemper & abundanter protrudit, quod ipſi committitur, & ad generandum eſt prompta ac potens. Vishnu dei, hoc eſt *aquae* uxor eſt, quia aquae amica, aquae ſponſa eſſe debet, ut abundanter producat; tum ab ea irrigari, & fecundari amat. Ea apud Graecos Saturni filia eſt, quia Saturnus, quid quid dicat Court de Gebelin non terra, ſed aqua apud veteres ſcribitur, nec obſtaret aliquid, quin ea aquae coniux apud Indos eſſe poſſit, quamvis apud Graecos Saturni ſeu terrae filia diceretur. Formoſa dicitur, quia pulchri ſunt campi oryza pleni, formoſa etiam, quia Laᵉkshmi & Indica Venus eſt, ex concha nata, ut aliqui, ex loto progenita, ut alii volunt, inde eſt quod virgines puellae eidem ſacrificent, et eam venerentur. Ceterum & pulchritudinis ac venuſtatis ſimilitudinem non a corporis elegantia, ſed a frugum colore, a frumenti aut oryzae venuſtate in campo rutilantis, denique a natura rei agreſtis apud veteres deſumptam fuiſſe, facile ea ſvadent, quae ſive Iacob, ſive alii Patriarchae filiis ſuis benedicentes, protulere, dum filios ſuos agris fertilibus, ſegeti aureae, & fluctuanti comparabant. Laᵉkshmi in loto ſedet, quia *lotos* omnis generationis origo & fons eſſe apud Brahmanes ſcribitur. Dea ipſa *lotos* dicitur, quia phyſice ſpectata ſolis, terrae & aquae productio eſt, & quia terra alma mater, matrix & receptaculum omnium ſeminum eſt, quae poſtea ipſa parit & pariendo alit. Magna mater, mundi genitrix dicitur, quia per terrae & naturae fruges omnia vivunt, & quaſi per ipſam omnia generantur; ubi enim Ceres deficit, qualis generatio eſſe poteſt? Dulcis vero & lactea eſt, quia fruges dulces & quaſi lactei ſucci plenos fert, vel lactea, quia oryza primo lacteſcit, antequam flaveſcat. Felicitatis dea dicitur, quia prima felicitas non ab auro, non ab argento, non ex metallis, ſed ex terrae frugibus eſſe veteribus omnibus videbatur. Unde ad Alexandrum Magnum dicebat *Dandamls Brahman* apud Arrianum de expedit. Alexandri lib.7. *Neque ulla re ab Alexandro egere, iis enim, quae haberet contentum eſſe, quamdiu enim viveret*

Indo-

Indorum regionem tempeſtivos ſtatis anni partibus fructus ferentem ipſi ſufficere. En quanta in hoc ſolo Laekshmi nomine veterum Indorum philoſophia, & hanc, illoſque barbaros eſſe dicebant Romani et Graeci, hodieque appellare audent, viceverſa iure & ipſi barbari appellati. Quod vero Indi Laekshmi deae noctu ignem ſeponant, die vero vel in ore vaccae, vel in uberibus, vel ad caudam eius habitare dicant, quin & vaccam ratione huius deae venerentur, nonne hoc in memoriam revocat fabulam illam antiquiſſimam, quae Cererem dum in aula Cere regis eſſet, & filium ſuum Triptolemum educaret, die quidem ut immortalem redderet divino lacte nutriviſſe, noctu vero in foco, igne, & cineribus abſcondiſſe, narrat? Eſſe poteſt & alia ratio, cur Indi deae Laekshmi noctu ignem ſeponant, ut nempe dea agreſtes productiones, fruges, oryzam ſeu nelli in campis albeſcens & nondum meſſi maturum ab igne urente & ardenti ſole defendat, & integrum ac incolume in horrea deducat. Ideo pauca in eius honorem ad ignem coniiciuntur oryzae grana. Quam quidem conſuetudinem non ſolum Indicae obſervant mulieres, ſed ut animadvertit Paulus Medici in libello de ritibus & conſuetudinibus Hebraeorum, & mulieres Hebraeae eidem hodiedum ſunt addictiſſimae. Quod vero Laekshmi dea et in lacte et in vacca reſideat, quid aliud eſt, niſi quia vacca fecunditatis, & terrae ſymbolum, hanc fecundiſſimam deam optime repraeſentat? Lacte delectatur ipſa, lacte delectantur et Brahmanes & Indici dii. Unde ſerpentibus ſacris lac bibendum apponitur, aliiſque diis oryzae permixtum offertur, aut denique placentulae ex oryza confectae & melle inunctae idolis, et defunctorum animabus in anniverſario convivio offeruntur.

Liba deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt. Ovid. lib. 3. Faſt.

Sed et arbor máva (mangueira Luſitanice) eiuſque folia et fructus huic deae ſacri ſunt, et hanc deam bene repraeſentant, quia arbor haec fertiliſſima eſt, et cui aliam in Indiis vix ſimilem quoad fertilitatem reperias. Illius itaque foliis in luſtra-

lem aquam *tirtam* dictam (2) intinctis , omnia aſperguntur, et luſtrantur . Quae quidem omnia ad ſuperſtitionem referunt plerique , quando ea iure merito ad ſanam philoſophiam referre deberent . Ea enim eſt in his omnibus Brahmanum cura et conatus, ut populo per haec naturalia, et ſimplicia ſobrietatem, temperantiam, & in fruges, lac, et ſimplices productiones terrae, valetudini convenientes, et in Indiis neceſſarias, propenſionem perſuadeant, adeoque in ſimplici,naturali, parco, ſobrio, ac incolumitati corporis vere apto vivendi genere philoſophi hi populum conſervent.

Ceterum ex deſcriptione deae La[e]kshmi a nobis data, iam facile colligitur, cur Indi in eius honorem lampadem VII. luminum ſeu VII. lychnorum accendant; cur nummi Indici deae La[e]kshmi imaginem gerant, quam Indi ante aliquem contractum vel permutationem monetae, oculis et ori applicando ſemper prius adorant; cur veſperi lampadis lumen elevatis manibus ſalutent; cur hoc etiam in ſolemnitate matrimoniali; cur viduas nempe ut ſteriles, aut ut inutiles quod non pariant, contemnant; cur etiam meretrices deteſtentur; cur vaccam venerentur, et cauda eius in caelum vehi exoptent; cur vaccae ſtercore domos perliniant &c.

പാൎവ്വതി ſeu ഭവാനി

PARVADI SEU BHAVANI

TAB. XIII. XIV.

Haec dea ita deſcribitur in Amaraſinha. I. ഉമാ umá *domina*. II. പാൎവ്വതി pàrvadí *montium domina*. III. കാത്ത്യായനി kartyayaní *factrix*, *creatrix*, *operatrix*. IV. ഗൌരി gauri *Gangetica*, *Bengalina*. V. രുദ്രാണി rudràni *flere faciens*. VI. ശിവാ shivá *bona*. VII. ഭവാനി bhavàni exſiſtentiam dans, procreatrix, geni-

genitrix, generatrix. VIII. സൎവ്വമംഗല ſarvamangala *univerſalis voluptas, univerſalis felicitas*. IX. ഈശ്വരി ishvari *domina*. X. മഹേശ്വരി maheshvari *magna domina*. XI. ഹൈമവതി hàymavadí *montis Himala ſeu Meru domina vel habitatrix*. XII. ശക്തി shakti *energetica virtus, vis, potentia*. XIII. കാളി kàli *nigra, obſcura, fuſca*. XIV. ഭഗവതി bhagavadí *ſancta, felix*. Ex his *primo* inferendum eſt, deam hanc polyonymam lunam ſeu Iſidem, et naturam, ſeu potentiam quamdam ad generandum energeticam, & efficacem eſſe. Luna eſt, quia Shivae ſeu ſolis uxor eſſe fingitur et cum eo res ſublunares procreat, natura eſt, quia omnium rerum genitrix dicitur, & per eam virtute ſolis terreſtria procreantur. Unde hoc generationis et productionis opus ex parte ſolis per lingam ſeu dei Shivae phallum, ex parte lunae per yoni ſeu matricem deae Bhaváni ſymbolice repraeſentatur. Quomodo vero haec dea Párvadi pùlchra et iucunda, ac ſimul nigra et lugens, qualis in hoc libro deſcribitur, eſſe, & Proſerpina vocari poſſit ac debeat, ex Aſſyriorum religione docet Macrob. *lib.*1. *Satur. cap.*21., quod ſi admittas, Brahmanica haec philoſophia tibi non ſolum facilis & pervia, ſed etiam grata & iucunda erit. *Secundo*. Ex his nominibus manifeſte liquet, quod quemadmodum *Shiven* vel *Rudren* deſtructor & regenerator, vel vice verſa progenitor et deſtructor eſt, ita pariter *Pàrvadi* vel *Bhavàni* ipſius uxor, genitrix, regeneratrix, et ſimul deſtructrix ſit. Sub duabus proinde qualitatibus et formis omnino eſt ſpectanda, et quicumque eam ſub una tantum forma conſideraverit, omnino a veritatis tramite aberrabit. Ut deſtructrix eſt, Rudrànni ſeu flere faciens, kàli ſeu nigra et vindex, Bhagavadi ſeu ſancta & virtutem praecipiens, Ishvari ſeu domina, quin & Gauri ſeu Gangetica, prout nempe animas eorum iudicat, qui in fluvio Gange loti & expiati exſpirant, dici debet. Sub hac forma ipſa in plurimis templis colitur. Oculos habet hiantes et terribiles, faciem nigram ut carbo, dentes longos & proſtantes, pro inauribus duos elephantes, capillos inſtar caudae pavonis horridos, arrectos, et ſerpentibus mul-

tis amictos . Subinde XVI., alias VIII. habet brachia & manus. In his gladium, tridentem, catinos duos ad excipiendum & bibendum ſanguinem, frameam obliquam ſeu retortam, aliam illi priori parum abſimilem, rotam ferream acutiſſimam, cultrum pergrandem, et clavam ſeu ciacram gerit. Equo diabolico *pishàsha* dicto vehitur. Quae omnia inſtrumenta allegorica ſunt, quae hanc deam mali vindicem, perverſorum deſtructricem, ira, furore, odio in malos abreptam, et inexorabilem iudicem ſignificant. Pro hisce rationibus nata eſt ex ignito oculo dei Shiva, quem in medio frontis habet et ſub hac forma vocatur *Kàli*, *Bhadrakàli*, *Gangadèvi*, *Komari*, *Bhagavadi*, ſubinde a populo *Amà*, *Mariatala*, *Durga*, *Pagòdi*, *Rudràni* dicta, quae omnia vocabula unum idemque ſubiectum ſignificant (1). Ipſa ad caſtigandum populum variolas immittere, variis morbis, daemonis in corpora immiſſione homines caſtigare creditur, ſed cumprimis in hoc mundo et ante mortem; nam mortis cura, et poſt eam poenarum genera ac praemia Shivae deo patri et marito ipſius attribuuntur. Haec dea humanum, aut alium quemcumque ſanguinem exquirit et poſtulat, unde homines, boves, et gallos ipſi antiquitus ſacrificatos fuiſſe iam ſupra meminimus, et galli aut boves, ſed hi rarius, hodiedum eidem ſacrificantur (2). Feſtum eius in Nebal, in Bengàla, in ora Coromandelica, et Malabarica maximo populi concurſu et celebritate colitur, de quo conſule varios auctores. Impoſſibile videtur omnes & varias fabulas heic afferre, quae a populo circa hanc deam confictae fuerunt, hodiedum narrantur, et a multis etiam Europaeis deſcriptae referuntur, quae tamen omnes in illud principium, quod nos ſupra adduximus, recidunt; nempe quod haec dea in vita hominum caſtigatrix et deſtructrix ſit, ut Shiva in hac, ſed cumprimis in futura vita vindex et deſtructor eſt. Hoc tamen principium a nullo fere Europaeo homine pro religione Indica allatum fuiſſe video, adeo ipſi externo rerum cortice occupan-

(1) Minus recte eam P. Conſtantinus armorum praeſidem eſſe putat. Vindex eſt, non bellatrix.

(2) Vide P. Conſtantini ab Aſculo: notizie laconiche pag. 51. Spilbergi navigationum tab. XIV. Sonnerat tom. 2. p. 93. & ſeq. edit. in 8.

cupantur, fabulis referendis inſudant, et obiter res Indicas perſcribunt. Quanam ratione Indi ſe et filios ſuos ſubinde ſub rota currus triumphalis, quo immane hoc monſtrum modo ſub una, modo ſub altera forma in ſolemni pompa vehitur, ſacrificare ſoleant, et mori, deſcriptum habes in Sonnerat, qui ubique popularem Indicae gentis cultum et exorbitantes aliquas ſuperſtitiones pro vero Indico et Brahmanico cultu et religione ſine ullo prorſus examine, ſine criterio, quin potius cum multis impoſturis obtrudit. Charpentier de Coſſigny autem ipſum corrigere volens, epiſtola ad eum data, et anno 1784. in Inſula Franciae publici iuris facta, deae Parvadi et Shivae reciprocas actiones, et fabulas pleraſque ad aſtronomiam refert, et ab hoc ego non diſſentio (1).

Ceterum Indici climatis extremus calor, aeris rarefactio, atmoſphaera peſtiferis exhalationibus ex paludibus, & putridorum ſtagnorum torpentibus aquis, provenientibus repleta, corporum humanorum oleo nucis inungi ſolitorum praepedita tranſpiratio, ſanguinis efferveſcentia, et venae ſectionis nullus omnino uſus inter Indos, refrigerantium herbarum, fructuumque in aeſtate defectus, virus denique corporibus inſitum, et variolarum cauſſa naturalis et certa, ſed populo incognita, utpote qui plus ſuperſtitione quam philoſophia ducitur, ratio manifeſta eſt, cur Indi variolarum morbum deae Bhadrakáli adſcribant, eius vindictam eſſe dicant, et in hac et aliis infirmitatibus ad ipſam confugiant.

Quod ad ſecundam partem aſſumptae noſtrae propoſitionis attinet, nempe Párvadi ſeu Bhaváni deam uti deſtructricem, ita quoque regeneratricem ſeu Venerem uraniam eſſe, obſervandum eſt, quod Pythagoras primus fuerit ſecundum Plutarchum *de placitis philoſophorum*, ſecundum Laertium *lib.*7. et Clement. Alex. *lib.*3. *Stromat.*, qui in motibus corporum ſub caelo exſiſtentium generationem et corruptionem principatum obtinere docuerat. Hanc vero opinionem ipſe probabilius a Brahmanibus hau-

(1) *Cum ergo ſint huiusce ſideris, id est ſolis* (ita & lunae) *duo maximi effectus: alter, quo calore temperato vitam mortalium iuvat: alter quo iactu radiorum nonnumquam peſtiferum imittit virus*. Macrob. Satur. lib. 1. c. 17.

hauſit. Nam Strabo ſupracitatus vadem agit, Brahmanum philoſophiam de ortu et interitu corporum, de ſemine, de mundo, de animabus cum philoſophia Graecanica, ac praeſertim cum dogmate Pythagorico et Platonico convenire, quod certum omnino exploratumque eſſe ille perſpiciet, qui utriuſque philoſophiae capita ad trutinam revocaverit. Iam vero cum non Brahmanes Pythagoram, ſed vice verſa illos Pythagoram, certe non docendi ſed diſcendi gratia, inviſiſſe veteres prodiderint, ſuapte natura ſequitur, Pythagoram antea hominem rudem, doctrinam illam a Brahmanibus accepiſſe, ac proinde eam iam antea inter Brahmanes exſtitiſſe. Ex hac igitur doctrina Brahmanica ſequebatur deum Shiva et deam Bhaváni uxorem ſuam ut deſtructores, ita quoque generatores eſſe. Mehercle hoc, nec alio modo id, quod in Amaraſinha de Shiva dicitur, explicari poteſt (1). Nam fluvius Ganges fecunditatis et regenerationis ſymbolum ibidem ex capite Shivae ortus fuiſſe dicitur, et hodiedum philoſophi Indi Shivam *Ga^cngadharam* appellant, nempe fluvii Gangis baiulum, quem etiam cum Gange ex capite ipſius profluente pingunt (2). Denique ut multos praeteream, Pacunar gentilis Indicus poeta opiniones antiquas Brahmanicas exacte deſcribens, ex ſemine dei Shiva, quod ubique profundebat, et ſpargebat, ſtellas, arbores, flores, naturam denique viſibilem enatam et procreatam fuiſſe aſſerit, de qua re confer codicem manuſcriptum P. Ildephonſi, et P. Iohannis a Brito. Hinc etiam deducitur potentia et virtus Shivenitici lingami; quod, ut triangulum ſeu yoni vel matricem femineam, veros eſſe deos, nempe deos naturae ad procreandum, ſupra dictus Pacunar docet. En ipſius verba: Inda la tirutámara tan naduvil, iel érum triconna ſaira adin naduvil Tandhanam bisza vātam adamaguidam tanne āgna ſadā Shiva piram madyè, Taram othu elum rebna ſinha áſenamel . . .

Tanne

(1) *Hoc pacto vim Osiridis in luna collocantes* (Aegyptii) *Isidem ei uxorem, ex qua prolem procreet, adscribunt. Ideo & lunam mundi matrem appellant & naturam ex utroque mixtam sexu adsignant ei, quod impleta, & gravida facta a sole, rursum a se in aerem emittat ac disseminet genitabilia principia*. Plutarchus *in Iside*. Videſis etiam alia quae de Api, de phallo, de triangulo ac de generatione rerum ex opinione Aegyptiorum aſſert, quae cum doctrina Brahmanica perfectiſſime conveniunt.

(2) Vide in Aſiatick reſearches ad pag. 249. effigiem Shivae ſeu Mahadéva.

Tanne angna ſadà Shivalingam adum ſagalà dienna tiru nillam ade. *In monte Caylàſam ſeu Mahameru vel Sumeru aureo, habitatione dei Ishvara ſeu Shiva, planities adeſt, & in ea quadrata menſa novem pretioſis lapidibus exornata, & in medio menſae ſtat Lotos, Padma vel Tàmara dicta. In medio Loti triangulum, fons & origo omnium rerum, atque in triangulo* Shiva *Lingam. Triangulum domus & habitaculum Lingami dei aeterni eſt, ut triangulum domus & receptaculum aeternum eſt* (1). Porro haec inſtrumenta tamquam in throno unum leonem ex pretioſo lapide fabrefactum collocata ſunt, et myſterium hoc tantum eſt, ut nemo hominum nec ipſorum adeo ſpirituum caeleſtium illud ſatis intelligere et explicare poſſit. Hoc itaque Bhaváni deae Lotos et Shivae Lingam eſt, arcanum nempe naturae generantis ac producentis, quod hactenus nemo umquam mortalium comprehendit (2). Triangulum hoc deae Bhaváni in Alphabeto Tibetano deſcriptum exhibet R.P. Georgius, et P.Conſtantinus ab Aſculo, atque ex hoc generationis myſterio dea haec Indica *Bhavàni*, id eſt *exſiſtentiam dans* dicitur, et Veneri Graecae comparari debet, quamquam minus vivaciter apud Graecos deſcriptae. Ex hac eadem ratione, *Kartyayani* factrix, operatrix, *Mahèshvarì* magna domina, nempe naturae domina, *Haymavadì* roris et humoris domina (*venus nempe*) tamquam ex humido procreatrix, *Sarvamangalam*, univerſalis felicitas et voluptas, quae ex natura et generatione procedit, ac denique *Shakti* ſeu potentia, virtus, energia, et vis quaedam ad exſiſtendum et procreandum impellens dicitur. Quod ſane iterum Brahmanum philoſophiam, quamvis velo allegorico contectam mirifice commendat. Inde *Shakti* dea ſeu potentia, et natura in primo creationis momento Ishvarae deo praeexſiſtenti praeſto adfuiſſe fingitur, ut ſupra iam retulimus, quae cum deo collo-

(1) Vide de hoc triangulo Philonem & Plutarchum.

(2) Tale fuit Iſidis peplum quod nemo umquam mortalium detexit. Vide Plutarchum *in Iside*. Dea Bhavàni alio vocabulo *Isáni* vel *Isháni* id eſt *Isis* ſeu domina dicitur quae quidem dictio ab *Isani* corrupta in vocabulum *Isis* tranſivit, quemadmodum *Budha* in *Thout*, *Dherma* in *Herma*; *Menda* hircus ſubruber in *Mendes*, *Mitra* in *Misra*, *Manu* in *Menes* &c. quae omnia in ſacra lingua Samſcrdamica inter Brahmanes incorrupta permanſere.

colloquens inducitur, quod duobus modis intelligi poteſt: nempe quaſi Ishvara ſeu dominus ad potentiam ſuam vel virtutem loqueretur, & eidem imperaret, & haec interroganti vel imperanti obſequens reſponderet; aut quaſi Ishvara ſeu creator ad naturam rerum procreatricem loqueretur, & haec eidem reſponderet obſequendo: *Om*, *fiat*, *ſit*, *amen* (1). Qui melius & ad opinionem Brahmanum philoſophicam accommodatius eam deſcripſit, Lucretius fuit in ſuo poemate de natura, in quo & multa tribuit laudis encomia Veneri Uraniae, quae inter alias Veneres omnes a Graecis ad normam huius excogitatas deae Bhaváni unice & optime conveniunt. Unde etiam colliges ſyſtema illud non eſſe originalem Graecorum partum, ſed probabilius a Brahmanibus deſumptum fuiſſe. Ex hac naturae continuo progenerantis notione, tot in India & Graecia ſpuriae & pueriles fictae fuere fabulae, ut quod Párvadi ſeu Bhaváni mille & amplius annos in continua fuerit cum deo Ishvara copula; quod deus Shiva eam ſemper ſecum in capite portet, quod haec dea ſit fluvius ille celebris Ganges, cuius aquis immori & ſuffocari nihil aliud eſt, quam a peccatis expiatum in prima naturae ſemina reſolvi, ut deinde eo immaculatior & purior anima & corpus iterum ex natura regeneretur. Haec ſunt illa tam ſecreta Brahmanum myſteria, quae auctores tam diverſimode & tam abſurde ſubinde explicant. Detractis allegoriis & populi ſuperſtitionibus, quae tamen phyloſophiam ipſam contegendo conſervant, eique vigorem perpetuum tribuunt, quamque ſoli capiunt philoſophi, & illi qui Brahmanicos libros intelligunt, pleraque vera philoſophiae capita eſſe inveniuntur. Párvadi regis montium filia eſſe fingitur, & montes inter Tiberum et Indiam, ſiti, eius progeniei patria domus dicitur, quod iterum allegorice intelligi debet ita ut Párvadi, Shakti, vel Bhàvani altiſſimi naturae auctoris vel ſolis uxor ſeu luna eſſe cenſenda ſit. Hoc modo et *cayláſam*, & *lotos*, & *triangulum*, et *lingam* nil niſi allegoriae & ſim-

(1) Haec ita nos in grammatica Samſcrdamica explicavimus; verum confabulatio illa etiam ad ſolem ſeu Shivam, & ad uxorem eius lunam ſeu Pàrvadi referri poteſt, uti eam referunt Iudaicae fabulae. Haec itaque explicatio quoad modum differt, re ipſa autem convenit, nam Pàrvadi citra omne dubium virtus, natura, & luna procreatrix eſt.

Digitized by Google

et ſymbola ſunt naturae, et auctoris naturae omnium rerum veriſſimi productoris (1). Confer de Bhavàni etiam *Aſiatick reſearches*, et Alphabetum Tibetanum. Haec dea quotannis ſolemni ritu in mari aut flumine magno populi concurſu a Brahmanibus lavatur, quod iam olim obſervavit Arrianus in periplo maris rubri, et quod hodiedum in tota India obtinet. *Poſt Colchos* (hodie Coleci vel Coleche) *alius ſequitur locus Comar nomine* (promontorium Comorinum ſeu Comari) *ad quem locum aquis ſe abluendi, & luſtrandi gratia comeare ſolent illi, qui omni reliquo vitae ſuae tempore religioſam* (philoſophicam) *vitam agere cogitant. Idem faciunt mulieres quoque. Litteris enim memoriaeque proditum eſt, deam* (nempe Komari a qua promontorio illi nomen eſt Kanya Komari ſeu virginis ex oculo dei Shiva natae promontorium) *ibi lavari fuiſſe ſolitam*. Hic ritus ibidem hodiedum obſervatur. Quod vero de hoc praeciſe nec alio loco Arriani verba ſint intelligenda, patet ex contextu, tum quia ibi regnum *Pandionis* ſeu Pándi, nempe Madure et Maravà, quod hodiedum *Pándi* dicitur, conſtituit, et *margaritas piſcari* dicit, quod itidem hodiedum ibi obtinet. Haec eadem caerimonia fit in Gange fluvio in Bengàla, atque in ora Coromandelica, quod teſtantur Calcuttenſes Angli, et R. P. Norbertus.



TRIMURTI TRINITAS INDICA

TAB. XV.

Ut Indicae trinitatis ideam claram & diſtinctam lector naniſcatur, primum heic opiniones & ſententias Europaeorum hominum paucis referamus, deinde quid haec trinitas ex ſententia & fide ipſorum Indorum ſit, demonſtremus. Niebuhr *tom. 2. pag. 22.*

23. de

(1) Sol itaque heic veri dei ſymbolum eſt, ſolis autem & lunae ſymbola ſunt phallus, ignis, bos ſeu Apis, triangulus, concha, yoni ſeu matrix.

Digitized by Google

23. de trinitate Indica ex ſententia Indorum ait: Ihre drey vornehmſten Gottheiten nennen ſich Brama / Wiſtnu/und Madeo/ und man lehrt das Volk / das Brama der groſſe Schöpfer ſey / der es dem Wiſtnu aufgetragen habe/ für alle lebendige geſchöpfe / und dem Madeo für die Seelen der verſtorbenen zu ſorgen. Itaque ex relatione Niebuhr & ſententia Indorum Brahma eſt *creator*, Vishnu *conſervator*, Shiva ſive Mahadéva vel Rudra eſt *deſtructor*, *vindex*, & *iudex*, cui animarum poſt mortem cura obtigit. R. P. Iohannes a Brito in codice manuſcripto quem ad manus habeo, ſupra iam ſaepius citato §. *unico* de trinitate hac ex ſententia Maiſſurenſium & Madurenſium ita ait: *Houve dizem* (os gentios) *huma molher chamada Parashacti, que quer dizer excellentiſſima potencia, aqual teve tres filhos, e ao primeiro que tinha ſinco cabeças pos por nome Bruma, que ſignifica ſciencia, e lhe deu poder para só elle poder criar todas as couzas. Ao ſegundo pos por nome Vishnu, e lhe deu poder para conſervar tudo o que ſeu Irmaõ criaſſe. Ao terceiro pos por nome Rutren, eſte tambem tem cinco cabeças, e lhe deu poder para deſtruir e aniquilar tudo o que os ſeus Irmaõs criaſſem e conſervaſſem, e com eſtes tres filhos ſe cazou a meſma may que os parlo.* Itaque auſtrales Indi conveniunt cum ſeptentrionalibus Indis, quos vidit Niebuhr, in hac una re & opinione, quod nempe Brahma ſit creator, Vishnu conſervator, Shiva vero vel Rudra deſtructor. Videamus nunc quid dicant de hac trinitate Indi Nepalenſes, id eſt ii, qui Tibeto ſunt proximi atque cum ipſis Tibetanis communicant. R. P. Conſtantinus ab Aſculo Miſſionarius Nepalenſis in codice manuſcripto qui inſcribitur *notizie laconiche*, atque in bibliotheca S. Congregationis de Propag. Fide exſtat, haec habet: *Dicono alcuni loro libri* (Indiani) *che l' eterno Parameshvara ciò Dio ... ſtando in atto di voler creare, comparve nel mondo la ſua medema volontà in figura di donna, queſta battendo tre volte la palma della di lei mano, in virtù di alcune parole ne uſcirono tre palle, e da queſte Brahma, Vishnu e Mahadéva trinità viſibile &c.* R. P. Ildephonſus in codice manuſcripto *num.* 20. inter codices Indicos S. Congregationis *cap.* 3. haec habet: *Diximus quod Shivalingam ſit una res rotunda & oblonga, fingunt itaque Brahmanes, quod tribus conſtet corticibus, ſicuti planta*

planta ficus Indicae; ſomniant ergo hi fatui quod tres cortices ſe ſeparaverint a trunco & converterint ſe ſe in tres deos Brahma, Vishnu, & Shiva. Et infra lib. 2. cap. 1. ait: *Iſte deus Ishvara* (dicunt Brahmanes) *eſt deſtructor omnium rerum creatarum iuxta illud poetae Malabarici receptum ab omnibus Idololatris* സൃഷ്ടിസ്ഥിതിസംഹാരം *Srshti ſtidi Sambaram. Srshti ſignificat creare, & hoc attribuunt Brahmae, ſtidi ſignificat gubernare, & iſtud attribuunt Deo Vishnu, Sambáram ſignificat evertere* (deſtruere) *quod attribuunt deo Ishvara. Fingunt etiam quod deus Ishvara participare fecerit ſeu communicaverit corpus ſuum uxori ſuae deae Parameshvari* (Bhavani) *& illa ipſi viciſſim corpus ſuum, exinde itaque remanſit medius homo, & media femina & hoc modo illum pingunt ſeu ſculpunt in quibuſdam figuris ſeu ſtatuis.* Haec itaque teſtimonia virorum ſunt, qui diu in India verſati ſunt, & linguas Indicas optime callebant, & quia in diſtinctis ac inter ſe quam longiſſime diſſitis eiuſdem Indiae plagis haec omnia ab ipſis Indis acceperant, inſanus ille ſit oportet, qui dubitet de una, conſtanti, ac univerſali hac Indorum fide & traditione, qua deum Brahma creatorem, Vishnu conſervatorem, deum vero Shiva deſtructorem eſſe credunt & profitentur. Quid igitur ad haec aiunt critici, philoſophi, & expoſitores noſtri Europaei? rem ex ſe iam ſatis obſcuram confundunt, intricant, pervertunt, ſyſtemata varia cudunt, & viſiones ſuas citra omnem Indorum ſententiam & opinionem venditant, mille commentariis & opinionibus inter ſe pugnantibus, quin & ſanae rationi contrariis, falſas religiones, res denique plane ridiculas, & a vera ſeu Aegyptiorum ſeu Indorum, ſeu Tibetanorum, ſeu Sinenſium ſententia, theologia, philoſophia, ac mythologia alieniſſimas magna garrulitate & turgido verborum pondere his Aſiaticis gentibus pro ſuo quiſque ſtudio adſcribunt, quamvis ipſi numquam illas gentes viderint, nec terras hominesque examinaverint, nec libros eorum legerint, nec linguam vel minime didicerint.

. . . . . . verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas

Pulſari; iam nemo tubas, nemo aera fatiget
Certe laboranti poterunt ſuccurrere lunae. Iuv.

En igitur quid auctor libri inſcripti: *Recherches ſur l' origine & les progres des arts de la Grèce*, qui numquam Brahmanes inviſit, & nec verbum ex eorum lingua intelligit, de hac trinitate Indica dicat (1). *Primo* myſterium hoc Brahmanicum, quod mille & amplius annis ante aeram vulgarem ſchola Brahmanica excogitavit, & verum phantaſma mythologicum hoc Indicum ex epiſtola S. Paulli ad Rom. *cap.* 1. *v.* 16. *& ex lib. Iud. cap.* 22. *v.* 22. explicat. Inde ad Saxones & Scythas deſcendit, atque Indicum *Trimourti* ſecundum ipſum eſt *Trimighty, ou trois fois puiſſant, qui repond aux memes idées & s'articule a peu pres dans les memes ſons, que le Trimourti des Indiens. C'eſt le Trimégas des Grecs, le Ter magnus ou Altiſſimus des Latins. Brouma ou Berimba, Vichenou ou Bisben, Chiven ou Mahadys, ſont a la fois les noms de chacune des puiſſances reunies dans le Trimourti, & ceux de trois legislateurs de l'Inde... Ruder* (Shiva) *ou le Regiſſeur, de tout. Ces peuples* (Graeci & Indi) *donnerent, l'un & l'autre, a des hommes, les attributs de la puiſſance generatrice. De là l'origine de toutès leurs divinités*. Et poſtquam in ſpatiis imaginariis iam ſatis vagatus eſt, tandem pag. 102. & 103. concludit: *Brouma gouverna l'Inde, dont il fut le premier legislateur, & les plus ancien roi. Bacchus etant auſſi regardè come tel .... ils le confondirent avec lui; & ſon regne devint la premiere epoque de leurs biſtoires*. Atque ut colorem det falſo ſuo ſyſtemati ex Plinio affert textum cap. 31.: *Colliguntur a Libero patre ad Alexandrum magnum reges eorum* (Indorum) *centum quinquaginta quatuor*. Deinde proſequitur: *Suivant le calcul de Mr. Bailly* (magnus ſectae viſionariorum magiſter) *le premier de ces rois vecut 3553. ans avant I. C. en ajoutant a ce tems la durée du regne de Bacchus, fixee par les biſtoriens Indiens a 52. ans, le commencement de ce regne ſera de l'année 3605. avant notre ere: c'eſt la cinquieme, apres celle ou Juſtin met l'etabliſſement de l'empire de Scythes ſur toute l'Aſie, 3160. ans avant I. C. cette etonante coincidence de tems, ſur une datte eloignèe de nous de 5388. ans, demon-*

(1) Tom. 1. pag. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97.

Digitized by Google

demontre & la veritè du calcul ingenieux (ingenioſi utique ſed falſi) *de Mr. Bailly* , *& la certitude de l'importante epoche conſervèe dans Iuſtin* . En itaque non parvum inſpirati auctoris pro ſuo ſyſtemate Scythico Indico enthuſiaſmum,ſed candidus lector etiam inſignes ſimul impoſturas animadvertat . Quas ut facilius cognoſcat & convincatur, auctorem primò cum D. Bailly eorumque ſectariis noſtris philoſophis viſionariis ad ſcholam Brahmanicam traducamus (1) .

Samſcrdamicum ത്രി tri in lingua Samſcrdamica ſignificat *tres* vel *tria* , മൂൎത്തി mùrti vero *perſonam* vel *corpus* . Vide noſtram grammaticam Samſcrdamicam *p.98*. quoad vocem *tri* ത്രി , quoad vero vocabulum *murti* മൂൎത്തി vide dictionarium R. P. Iohannis Hanxleden , qui ad hanc vocem ita habet : മൂൎത്തി *mùrti peſſoa* , *que explicaõ por* ശരീരം *shariram* (corpus) , *aſſim chamaõ a ſua falſa trindade* ത്രിമൂൎത്തി *trimurti*. In oratione quadam gentilica , quam Brahmanes ad deum Shiva, Ishvara , Mahadèva , ſeu Rudra dirigunt , ita eum compellant : സെവകാഭീഷ്ടപ്രദ ഭഗവാൻ നമൊസ്തുതെ ആദിമൂൎത്തായ നമഃ ഗംഗാധരായ നമഃ Sévagaayshda prada Bhagaván namoſtudé , aadi múrtáya namá , Gaengadharáya namá . *Deus Bhagaván* (Shiva) *qui petentibus poſtulata concedis* , *tibi ſit adoratio* ! *tu prima perſona* , *primum corpus* , *tibi adoratio* ! *tibi Gangis fluvii bajulo adoratio* ! nempe quia hic Shiva ſeu Rudra fluvium Gangem caeleſtem omnis humoris ,

(2) Illi , qui de triade Indica ex opinione & fabulis Indorum popularium , prout nunc in Malabaria obtinent , plura noſſe deſiderant , inſpiciant epiſtolas meas quas Auguſtae Vindelicorum imprimendas dedi cum hac epigraphe : P. Paulins Von H. Bartholomäus Malabariſchen Miſſionärs briefe über die neueſte Verfaſſung Malabars mit Kritiſchen Anmerkungen . Augſpurg . Confer etiam Sonnerat tom. 1. pag. 266. & 267. edit. in 4.

moris, per quem generationes fiunt, principium, in capite ſuo portat, quod vide in libro *Aſiatick reſearches in tab. ad pag.* 248. Sol nempe qui eſt Shiva, una cum luna ſeu Párvadi ſua uxore rorem caeleſtem ſeu Gangem caeleſtem ex opinione Brahmanum exſtillant, quo rore omnia madefacta procreantur. Unde R.P. Conſtantinus ab Aſculo Miſſionarius Nepalenſis in ſupra citato libro *una tab. fig.* 7. & 8. exhibet deum Shiva & uxorem eius Párvadi in monte *Himala* ſeu Meru, Graecis *Imau*, *Imeia*, & *Meros* (1), & ex illo monte ſolis ſeu Shivae dei & Parvadi deae ſede fluvius caeleſtis Ganges defluit, atque ex opinione Brahmanum totam Indiam fecundando omnes Indiae fructus procreat, atque corpus & animam luſtrat & ſalvat. In hac ergo oratione deus Shiva una Indicae triadis perſona, murti id eſt *corpus vel perſona* dicitur, atque evidenter probat unacum vocabuli huius explicatione a P. Iohanne Hanxleden allata, Trimùrti nihil aliud ſignificare niſi tres perſonas, ſeu tria corpora in unum compacta, quae heic ex muſeo Borgiano Velitris exhibemus. Trimùrti proinde ſeu trinitas Indica ſunt tres perſonae ſeu tria corpora, quorum unum eſt Brahma, ſecundum Vishnu, tertium Shiva. Brahma terram, Vishnu aquam, Shiva ſolem vel ignem eſſe nos ſupra ex vocabulario Brahmanico Amaraſinha defendimus. Tres iſtos deaſtros ex planta ficus bananae fecunditatis ſymbolo, vel ex triangulo omnium rerum principio, vel ex yoni ſeu matrice Bhaváni deae ſeu naturae, quam triangulus repraeſentat, vel viciſſim repraeſentatur; vel ex lingam alio generationis principio & ſymbolo, vel ex loto flore caloris & humoris prole & alio fecunditatis, vel generationis ſymbolo ob analogiam, quam cum matrice habet, enatos fuiſſe, Brahmanes philoſophi fabulantur, unde etiam hi tres dii in loto ſedentes pinguntur. Shiva ſeu Ishvara vel Mahadéva, id eſt *magnus deus* ignis nempe & ſol veri & aeterni dei ſymbolum generans & deſtructor, duobus attributis ſoli & igni inhaerentibus inſtructus, uxorem habet ശക്തി Shakti potentiam, vim, virtutem, energiam, quae etiam

eſt

(1) Vide noſtram diſſertationem infra *an Brahmanica religio a Scythis deſcendat* & Bayeri *hiſtoriam regni Graecorum Bactriani pag.* 2. 3. 4. 9. 10.

eſt ഭവാനി Bhaváni ſeu virtus exſiſtere faciens, vel generatrix, ad quam deus in creationis momento loquebatur, ut fuſius in grammatica tradidimus. Haec potentia ſeu virtus Shakti dea, eſt mater ſimul & uxor trium horum fratrum, filiorum ſimul ac maritorum ſuorum, ſed uxor ſpecialis eſt dei Shiva ſolis ſeu ignis, quia ignis vel ſol magnus deus *Mahàdèva*, inter cetera elementa potentior eſt, unde etiam aeternus & verus deus Ishvara ſeu dominus, cuius ſol vel ignis ſymbolum eſt, in creatione primus loquebatur, & Shiva eius prima potentia & ſymbolum omnia diſpoſuit, creavit, ſectas & cultum Indicum inſtituit. Shiva proinde ſeu ignis & Brahma ſeu terra, & Vishnu ſive aqua potentiae ſeu virtuti ſunt coniuncti, atque ipſi potentiae ſunt, & terra quidem ſeu Brahma ad creandum, Vishnu ſeu aqua ad conſervandum, Shiva ſeu ſol vel ignis ad generandum & deſtruendum. Inde Indicum axioma: സൃഷ്ടിസ്ഥിതിസംഹാരം Srshdiſtidi Samháram, *creatio ſeu productio*, *conſervatio ſeu gubernatio*, & *generatio ac ſimul deſtructio*. Tres proinde iſti Indici dei ſymbolici, allegorici, & phantaſtici ſunt, qui reapſe & a parte rei numquam exſtiterunt, ſed mente in ſchola Brahmanica efformati & ficti ſunt, qualis etiam eſt *Saraſvadi* Brahmae dei uxor, ſcientia nempe & dea harmoniae, quae evidenter numen eſt allegoricum ſeu ſymbolicum, ut ex vocabulario Amaraſinha clare elucet, cui utpote claſſico Brahmanum libro plus fidei praeſtandum, quam mille expoſitoribus & viſionariis philoſophis Europaeis, qui illud numquam legerunt, ſed Indis ſuas arbitrarias et falſas opiniones affinxerunt. Hi iidem deaſtri in feminas mutati fuiſſe, ſimul concubuiſſe, filios genuiſſe, denique ex parte viri, ex parte feminae ſeu hermaphroditi eſſe dicuntur, ut ſupra Shiva deum ſeu അൎദ്ധനാരി ardhanári ſeu ex parte virum ex parte feminam eſſe iam oſtendimus. *Subſtantia ignis calor eſt,* ait Lactantius (1), *aquae humor: alterum quaſi maſculinum eſt, alterum quaſi femininum: alterum activum, alterum patibile &c.* Plutarchus vero (2) inquit: *Quod autem*

(1) De origine erroris *seg.* 18. 19. 20. 21.

(2) Plutarchi de Homero liber *p.* 41. *edit. Paris.*

tem Iuno Iovis uxor dicitur, cuius eſt ſoror, videtur, eo ſenſu dictum; quod Iuno intelligatur eſſe aer (apud Indos Párvadi ſeu Bhavani luna, matrix, natura, virtus Shivae dei uxor) *quae eſt humida ſubſtantia, Iupiter autem aether* (Shiva ſol vel ignis) *quae eſt ſubſtantia ignea & calida. Germani itaque videbantur propter contiguitatem ac quamdam ſimilitudinem: utrumque enim elementum leve & quod in motu ſit, coniuges dicuntur, quod eorum coitu omnia naſcantur.* Nemini itaque mirum videri debet hoc quod ſupra diximus, quandoquidem haec etiam Homeri theodotia fuit. Unde ſtatua dei Brahmae apud Porphyrium *libro de Styge* ex Bardeſane deſcripta, ex uno latere marem, ex altero feminam repraeſentabat, & *tom.2. tab.6.* in Niebuhr ſtatua ſeu figura Shivae dei marem ſimul & feminam in inſula Elephanta exhibet, quod & auctor noſter fatetur pag.77. atque ex Orph. hym.41. v.3. confirmat. Eadem de Aegyptiis docet Seneca *Aegyptii quatuor elementa fecere: deinde ex ſingulis bina marem & feminam.* Iam ergo patet, cur apud Indos Brahma,Vishnu, et Shiva in unum corpus compacti pingantur, cur ſubinde ſub maris et feminae forma exhibeantur, cur ſimul concubuiſſe, filios genuiſſe, unus in alterum tranſiiſſe aut mutati fuiſſe, cur denique inter ſe pugnaſſe, tum iterum ad concordiam rediiſſe, mundum hunc ſimul formaſſe, quin & tres legislatores eſſe dicantur. Patet etiam cur Brahma nulla habeat templa, et tota vis philoſophiae et ſectarum circa Vishnu et Shiva, circa aquam et ignem verſetur, nam Brahma ſeu terra et ſubinde etiam aether terram informans, cum ubique ſit diffuſus, templo nequaquam egere dicitur; Vishnu vero et Shiva aqua et ignis, potentes generis humani amici et hoſtes, ſuos innumeros habuere cultores, et in philoſophia duas ſectas potentes, quae hodiedum Indicam gentem quaſi totam in duas religionis claſſes, id eſt in Vishnuvitas et Shivenitas diſpeſcunt. Hoc nec alio modo Indicae trinitatis myſterium explicandum eſſe, ac proinde ea omnia quae ſupra fabulatur D. d'Hancarville, mera ſomnia eſſe, evincitur *primo*: quia epitheta in vocabulario Amaraſinha his tribus diis attributa, Brahmam terram aetheri coniunctam, Vishnu aquam, Shivam ſolem et ignem eſſe

(1) Seneca *nat. quaest. lib.3.cap.14.*

Digitized by Google

eſſe demonſtrant. *Secundo* quia Perſae et Chaldaei ignem venerabantur inter ſumma numina ut et aquam tamquam rerum principia. Vide annotationem Farnabii in illud Iuven. Sat. 15. *elemento gratulor & te exſultare reor* (1). Quis autem neget Indos Perſis et Chaldaeis proximos eſſe, ac proinde huic elementorum cultui pariter addictos fuiſſe? Id certe nos ex ipſa eorum liturgia ſtabilivimus, dum holocauſtum ignis deſcripſimus. *Tertio* quaeritur in quonam ergo omnis illa in antiquitate tam celebris et tam decantata Brahmanum philoſophia conſiſtebat, ſi merae ſunt et omnes in religione Indorum fabulae, et nulla ſub his naturalis cultus in deum, in planetas, aſtra et elementa ratio et religio ſubeſt, quae tamen, ut ex ſacris paginis novimus, ante promulgatam a Moyſe ſcriptam legem paſſim in toto oriente obtinebat? Profecto vana haec omnia et ſtolida ſunt eruntque, ſi nulla antiquae Brahmanum aſtronomicae ſcientiae et philoſophiae ratio in religione Indica ſtatuatur. Unicus et ſolus liber Amaraſinha ingentem et pene infinitum veteris Indorum philoſophiae, aſtronomiae et mythologiae acervum detegit, et hic liber, qui certe ab omnibus maximi habetur, et antiquam Indorum religionem praeclare deſcribit atque explicat, hoc quod dicimus, ſatis manifeſte docet, et per epitheta his deaſtris adſcripta probat, Brahmanes primo planetas, ſecundo elementa divinitatis honore donaſſe. Huius profecto philoſophiae ratio hic habenda eſt. *Cum leges apud Indos variae habeantur*, ait Diodorus (2), *admiratione tamen dignae hae fuerunt a priſcis eorum philoſophis editae: lege enim ſanxerunt, neminem omnino ſervum eſſe*. Et infra: *Prima* (tribus apud Indos) *eſt philoſophorum, qui ceteris numero pauciores ſupereminent dignitate*. Et Strabo (3): *Dicunt totam Indorum multitudinem in ſeptem genera diſpertiri, quorum philoſophi honore antecedunt*. Denique Porphyrius & eorum philoſophandi modum & regulas philoſophici inſtituti deſcribit, & iterum Strabo dilucide docet, Brahmanum philoſophiam *circa elementa*, *circa mundum & animam humanam* verſari. Vide etiam philoſophorum Tibetanorum inſtituta & philoſo-

(1) Vide Lactantii divinas inſtitutiones, in quibus clare docet a veteribus elementa adorata fuiſſe.

(2) Diodor. Sic. *bibliothecae historicae lib. 2. pag. 62.*

(3) Strab. *Geograph. lib. 15.*

loſophiae rationem apud R. P. Conſtantinum ab Aſculo (1) & idem Brahmanicum inſtitutum in regno Ava & Pegu propagatum, ac hodiedum inter Talapoinos Peguanos obtinens (2) in alio codice manuſcripto bibliothecae S. Cong. de Prop. Fide, in quo Gaudamae monachi ſeu philoſophi Indici inſtitutum, quod illi profitentur, exacte deſcribitur, & omnia ad Samanaeos pertinentia ex ipſo Peguano codice *Kammuva*, ſumma fide & probitate afferuntur. En heic huius codicis textum in linguam vulgarem translatum: *Dai uomini, dai Nat, e dai viventi tutti oſſequio ed offerta d'ogni maniera più eccellente come ricevere merita, che il tutto ſa, e vede, a quel Signore Iddio*. Ad hunc textum ſubiungit eruditus interpres: *Queſto dio che preſentemente invocano è Godama, il quale dopo 999. transſmigrazioni venne ad inſegnare l'oneſto vivere agli uomini . . . . Il paſſato mondo fu diſtrutto dalle acque, ed il preſente ſarà dal fuoco. Ad ogni mondo hanno dato un dio particolare, così Godama è il quinto dio*. Ad quae verba tu iterum obſerva, ഗൌതമഃ Gaudama vel Godama in vocabulario Amaraſinha *ſect.* 1. *Sorggavargam* ſeu *cap. de caelo* tractante monachum, heſychaſtam ſeu contemplatorem ſcribi, talem nempe qualis eſt Budha ſeu planeta Mercurius. Ambo hi monachi ſeu genii planetarum dicuntur മായാദേവിസുതഃ Máyá déviſuda, id eſt *deae Máyae filii*, quae ut notat etiam Macrobius, Mercurii mater eſſe creditur: *Contendunt alii Maiam Mercurii matrem menſi nomen dediſſe: hinc maxime probantes, quod hoc menſe* (maio) *mercatores omnes Maiae pariter Mercurioque ſacrificant*. Lib. 1. Saturn. *cap.* 12. Porro Máyá apud Brahmanes eſt dea immaginationis, phantaſmatis, ſeu ipſa ſenſuum illuſio, de quo vide hoc idem vocabularium & dictionarium R.P. Hanxleden ſub voce *Máyà* (3). Budha ergo

(1) Notizie laconiche *ad figur.* 73. *& seq.* item *ad fig.* 198. *in bibliotheca S. Congreg. de Prop. Fide*.

(2) *Kammuva, o sia trattato della ordinazione dei Talapoini in carattere Pali o Bali sopra ole dorate*. Traduzione fatta per commiſſione di Monſignor Stefano Borgia ſegret. di Propag. nel 1776.

(3) Illi qui Samſcrdamica vocabula in Graeciam & Latium perlata fuiſſe negant, vocabulum *Máya* ex lingua Graeca aut Latina, ſi poſſunt, derivent. In ſacra lingua Samſcrdamica *máyam* eſt falſitas, dolus, illuſio ſenſuum, *mayagam* res falſa, doloſa, ſenſibus illudens, *máyen* deceptor, illuſor, *máyadevi* illu-

ergo & Gaudama vel Godama , qui etiam uxorem Ahalyam, quam Devendren ſeu Iupiter conſtupravit, habere dicitur, Máyae filii, ſeu immaginationis deae partus & proles ſunt, & hi genii planetarum, quemadmodum in ipſa India, ita quoque in Tibeto, in regno Ava & Pegu adorantur, contemplatores, magiſtri, ac inſtitutores gentis, dii denique Indorum, Tibetanorum, & Peguenſium ſunt. Unde iterum elucet hoc quod ſupra iam diximus, religionem illarum gentium cumprimis ad veterem aſtronomiam referri, & certum ac evidens veſtigium, reliquiaſque eſſe antiquiſſimi *caeleſtis militiae* cultus. Proſequitur libri Kammuva textus:

Innanzi a tutto un precettore prendere conviene,
Il precettore preſo che ſia del vaſo o della pentola
Per accattare il cibo, e dell' abito trattare conviene.

Ad hunc locum addit interpres: *I padri* (philoſophi) *di queſti paeſi, detti Talapoini e ſeguaci di Godoma, vivono di limoſine. La pentola in cui ricevono il riſo deve eſſere di terra, o di ferro. Non poſſono ricevere nè argento, nè oro, nè coſe prezioſe in queſto tempo, ma ſoltanto cibarie, vivono in una iſteſſa caſa con loro ſuperiori, ma non hanno comunità di vitto, cibandoſi ogn'uno di quello, che ha raccolto. L'abito di Pinzen* (ſecta philoſophica) *e doppio, e quello di Samane* (nempe Samanaeorum) *e ſemplice, deve eſſere giallo* (ut in India & in inſula Ceylan eſt). *Lo poſſono portar di cottone, di panno, ed ancora di ſeta. Preſentemente in queſti paeſi non v' è che una ſpecie di padri diſtinti in due ordini. Gl' infimi ſi chiamano Scien, o Samane, che vuol dire ſtato di quiete* (nempe യമം yamam regula ad contemplandum, ad quietem, & yámam vigilia, vide vocabularium Amaraſinha in Brahmavarggam (*ed oltre a cinque precetti comuni ai ſecolari anco-*

illuſionis ſenſuum, faſcinationis, imaginationis dea, *mâyunu* diſparere, exſtingui, *may* color. Apud Graecos & Latinos nec radix, nec derivata iſta reperiuntur. Anne itaque dubium ſubeſſe poteſt aliquod de cultu & vocabulis Brahmanicis ad Graecos & Latinos perlatis Ita argumentare de vocabulo *namà* ? *gana*, *bromios*, *sanga*, *bedy* &c., quae omnia Samſcrdamica ſunt.

ancora, *cioè* I. *di non ammazzare*, II. *di non fornicare*, III. *di non rubare*, IV. *di non mentire*, V. *di non ber vino*, *anno altri precetti &c*. Quid dicit ad haec D. de Bailly, d'Hancarville & de Paw? an religio Brahmanica, Ceylanenſis, Tibetana, & Peguana ex Scythia per Bacchum in Indiam allata fuit? An non potius veteris Brahmanicae aſtronomicae ſcientiae et philoſophiae partus eſt, an non Indiae propria, & ipſi adſcribenda? Legat de his Porphyrium, Strabonem, Arrianum, Plutarchum, Palladium quos ſupra attulimus, & Samanaeorum philoſophorum inſtitutum quod ſupra ex libris Indicis deſcripſimus, cum hoc Peguano examine philoſophi candidati, qui ad ſectam philoſophicam Pinzen admitti poſtulat, conferat, & ſi poteſt, neget, eaſdem qualitates in candidato requiri, quae requiruntur a Brahmanibus in ſua initiatione, quaeque ad ſacrificium ſolis yágam, & ignis hòmam peragendum neceſſariae ſunt.

ESAME DI PINZEN

Maeſtro. *Voi a malattie ſoggetto ſiete? Di lepra il male non avete?*
Candidato. *Signor divino, io non le ho.*
M. *Di piaghe grandi il male non avete?*
C. *Signor dio non le ho.*
M. *Ulceri, rogna, o ſcabia non avete?*
C. *Signore tali malatie non le ho.*
M. *Di invaſione di Pilu* (probabilius Pishasha daemon) *il male, e di apopleſſia l'incomodo che avete non è vero?*
C. *Queſte tali infermità, ſignore divino, non patiſco.*

. . . .

M. *Di vaſo per chiedere la limoſina, e di veſte fornito ſiete.*
C. *Signor iddio ſono fornito.*
M. *Voi che nome avete?*
C. *Illuſtriſſimo Signore Naga* (vox Samſcrdamica) *mi chiamo.*

Addit deinde interpres: *l'ultimo giorno della luna ed il primo di luna piena ſi adunano, e confeſſano con una formola generale*, nempe ut Samanaei Indici, et Brahmanes ſacrificuli in ſacrificio yágam ſeu ſolis, lunae & planetarum confiteri ſolent. Vide huius opu-

Digitized by Google

opuſculi *diſſertationem primam*. Adde his ea omnia, quae affert D. Chambers in libro *Aſiatick reſearches tom.1. pag.160. & ſeq.*, ubi defendit linguam Balicam ſeu Pali vel Bali, qua liber *Kammuva* ſcriptus eſt, a Samſcrdamica deſcendere, aut ſaltem unam cum altera intimam affinitatem habere, allatis etiam multis exemplis, quae ibi vide. Pag. vero 162. ait: *it is ſingular that according to M. De la loubere, the mother of Sommonacodum is called in Balic Maha Mania* (corruptio eſt a Maha Máyá) *or the great Mania, Whieh reſembles much the name of Maia, the mother of Mercury*. Denique ex eodem De la Loubere, et Knox, Budhiſtas Indicos & Talapoinos Peguanos et Siamenſes inter ſe confert, & quamvis ex ignorantia quatuor Brahmanicorum inſtitutorum ſaepe alucinetur, hos tamen ab illis deſcendiſſe exiſtimat, de quo certe habita tanta rerum luce nullatenus iam dubitari poteſt. Haec itaque omnia manifeſte ſuadent etiam trinitatis Indicae myſterium Brahmanicae ſcholae partum eſſe, atque is quidem meo iudicio rem acu tanget, et veram religionis Indicae epocham ſeu principium illius ſtatuet, qui initia Brahmanicae ſcholae, aſtronomiae, linguae Samſcrdamicae, philoſophiae, cultus denique Indici principium et primam epocham, quae certe Pythagorae aetatem excedit, ex monumentis & hiſtoria ſtabilierit. Verum hic opus, hic labor eſt, nam Indorum libri omnes fabulis ſunt reſperſi, et Graeci auctores circa antiquitatem cultus Indici non conveniunt, cum ex iis aliqui, ut Arrianus, Indis vitam errabundam et paſtoralem ſat longo tempore adſcribant, alii vero, ut Diodorus, Indicae philoſophiae remotiſſimam attribuant antiquitatem. Nos de his fuſius agemus infra. Bayer (1) canonem chronologiae regum Graecorum in Bactriana, Indo fluvio proxima, exhibet, et Theodotum regni Bactriani conditorem conſtituit ad annum 254. ante Chriſtum natum, qui calculus quantum ad reges Graecos Alexandri magni in Bactriana et India ſucceſſores remotis omnibus fabulis verae hiſtoriae omnino convenire videtur. Aſt ſi de regibus Indiae veris ante Alexandri M. in Indias adventum et Pori tempora inquiras, undique fabulas offendes, ex quibus nihil certi deducere

(1) In hiſtoria regni Bactriani.

cere poteris. Cum enim Bacchus ille, cui initia regum Indicorum adſcribit Plinius, Strabo, et Arrianus, nil niſi ſol ſit, vel Hercules, qui ambo Indias peragraſſe dicuntur a Graecis et Indis, quod nos infra evidenter demonſtrabimus, et liber Ràmayenam Indicus, qui de Ráma Indiae domitore agit, fabulis ſit refertus, ſane abſque ariolandi periculo definiri nequit, an Bacchus alter Indicus ſit *Nemrod*, an *Chus*, an *Meſraim*, an *Darius*, an *Cyrus*, an *Arabs* aliquis, an Peguanus quidam rex; quod vult Sonnerat. Minus vero recte dici poteſt, quod Bacchus ſit Brahma; quod ſomniat auctor D. d' Hancarville. Quiſquis vero ille ſit, qui Indos ex errabunda et paſtorali vita quam eis olim adſcribit Arrianus, ad civilem cultum traduxit, ille certe Indis aliqua ſaltem civilia inſtituta tradidit, non autem philoſophica et religioſa, quae revera localia, ab aſtronomia deducta, ipſis Indiae locis ita alligata ſunt, ut evidenter demonſtrari poſſit magnam Brahmanicae religionis partem, et inſtituta haec philoſophica Indica eſſe, & inde in Tibetum, Ava, Pegu, Siam, Sinas et Iaponiam penetraſſe. De quo tu ipſe accuratius confer La Loubere *relation de Siam*, duos codices manuſcriptos bibliothecae S.Cong. ſupra citatos, D. Chambers *diſſertationem in ruinas templi Mávalipuram*, & noſtram diſſertationem *in linguam Samſcrdamicam*. Unde iure merito ridere debeas Bayerum, qui *pag.* 123. & alibi in *hiſtoria regni Graecorum Bactriani* Indos nullam ſcientiam poſſediſſe, et Apollonium Tyanaeum pueriles tantum fabulas apud Brahmanes inveniſſe aſſerit, quaſi in Brahmanes ex eo culpa conferri debeat, quod auctor itinerum Apollonii Philoſtratus futiles ubique inſerat ineptias, quas non ſolumBrahmanes reprobarent, ſed ne ipſae edentulae anus crederent.

Ex his ergo omnibus ſimul ſumptis profecto recte inferes, ſyſtema Scythicum, et Brahmae Indici ſub manu D. de Hancarville in Bacchum transformati ac Indiae legislatoris geſta et regnum, vere huius viri commentum eſſe; Brahma enim allegoricum numen eſt, et perſona a Baccho diſtincta, atque Bacchus ſeu Shiva vel Rudra, et ipſe ſol vel ignis eſt, quod nos ſupra in articulo Shiva oſtendimus, et infra uſque ad evidentiam demonſtraturi ſumus.

AN

AN BRAHMANICA RELIGIO A SCYTHIS DESCENDAT

TAB. XVI.

Dum mythicis Indiae monumentis inluſtrandis indulgentius navarem operam & primae libelli pagellae Romanam iam aſpicere caepiſſent lucem, iterum ſiſtere gradum iubet eruditus vir Abbas Carolus Fea. Quaenam igitur morae cauſſa eſſe poteſt? Diſquiſitiones D. d' Hancarville (1) in monumenta Indica quae illuſtrat, & ex quibus D. Bailly & de Paw ducibus ſuis evincere nititur, religionem Brahmanicam a Scythis deſcendiſſe. Gratias cumprimis habeo ſuaviſſimo viro Abbati Fea, quod pro ſua erga me humanitate me de libro D. Hancarville certiorem reddiderit, deinde mihi gratulor, quod librum ipſum diligentius inſpicere licuit, ex quo ſinceram D. d' Hancarville ſententiam perſpectam exploratamque habere poſſem. Is itaque fronti ſui libri illud Lucretii inſcripſit: *peragro loca nullius ante trita ſolo*. Deinde ex monumentis Indicis & Perſicis originem & progreſſum bonarum artium in Graecia inquirit, quaſi Graeci omnes artes ſuas a finitimis gentibus acceperint, nullaque neceſſitas, aut natura artium & ſcientiarum magiſtra, Graecos ad eas excolendas compuliſſet. Addit auctor Scythiam omnis fere Graeci civilis cultus matrem eſſe, denique Brahmanicam religionem ex Scythia dimanaſſe, incunabula humani generis in Scythia perquirenda eſſe. Hoc iam ante ipſum docuerat D. Bailly (2) & de Paw (3), duo aevi noſtri philoſophi, quorum ſententiam opinionemque ex Indicis & Perſicis monumentis confirmare auctori ſummopere placet. Miſſa faciamus reliqua, ſolam monumentorum Indicorum lucubrationem D. d' Hancarville attentius perſcrutemur, ac pondus diſquiſitionum illarum expendamus.

Pag. 6.

(1) Recherches ſur l' origine, l'eſprit & les progres des arts de la Grèce, ſur les monumens antiques de l' Inde, de la Perſe &c. tom. prem. A Londres. 1785.

(2) Hiſtoire de l' aſtronomie ancienne depuis ſon origine, iuſqu' a l' etabliſſement de l'ecole d'Alexandrie par Mr. Bailly. Seconde edition. A Paris. 1781. pag. 78. 79. 84. 95. & ſeq.

(3) Recherches philoſophiques. Tom. 2. ſect. 7. pag. 123.

Pag.6. ait auctor: *les Egyptiens repraeſenterent auſſi leur Iſis & leurs autres divinités ſur la fleur du lotus, qui eſt encore du genre de nymphaea, ſous lequel eſt compris tamara, dont le lotus eſt une eſpece* (4). En hic lotum belle deſcriptam, en aequam in monumenta Indica diſquiſitionem! Me Hercle operae pretium eſt genuinam vocabuli *tamara* ſignificationem inquirere & quid per dictionem illam Indi intelligant accuratius enucleare. Tamara, lotus ſeu nymphaea ita deſcribitur in vocabulario Amaraſinha: താമരഃ támara, പത്മഃ padma, നളിനം nalinam, മഹോല്പലം maholpalam, കമലഃ kamala, സാരസഃ sáraſa, ശതപത്രം shadapatram, സഹസ്രപത്രം ſahaſrapatram &c.

Ex his ergo elucet támara, padma, ſáraſa, aliaque vocabula unam eamdemque rem ſignificare, nempe lotum ſive nymphaeam. Auctor linguae Samſcrdamicae imperitus lotum ſpeciem conſtituit, támaram vero loti genus eſſe arbitratur. Scilicet dum abſque linguarum peritia muta monumenta deſcribuntur, tantumdem probat auctor quantum ipſum monumentum, aut ad vanas ariolationes confugiendum eſt, ut quoquo modo lectori imponatur.

Pag.73. ait auctor: *dans le nom de Darmadéve donnè au Baſwa par les Brames, l'on peut obſerver la finale des mots* eve, evoè, evan *ſouvènt repetès par les habitans de l'Inde, come par ceux des îles Hebrides & de la Thrace dans les fetes qu'ils celebroient au bord du Gange a l'honneur de Bacchus*. Et infra ad annotationem num.109. proſequitur: *le nom de Darmadevè exprimant une qualité, tandis que celui de Baſwa n'exprime que la forme de l'animal; ce dernier, par cette raiſon, doit avoir precedè l'autre*. En D. d'Hancarville magiſtrum linguae Samſcrdamicae & Scythicae! In utraque ſecundum ipſum *evoe* acclamatio eſt a vete-

(1) Inſigne, rarum, & fortaſſis unicum, quod Romae exſtitit monumentum loti floris in marmore caelatum poſſidet Eminentiſſimus Cardinalis Borgia in Muſeo Veliterno. Hoc monumentum inſpiciat qui loti notionem aſſequi cupit. Eius ſimulacrum in hac noſtra tabula exhibetur.

a veteribus ac modernis Indis fieri ſolita. Horatius *ode* 19. lib. II. ait: *Evoe parce Liber &c.* Ad hanc igitur reſpexit auctor, dum ex vocabulo Darmadévé voculam *evoe* extrudere voluit, & ab Indis Scythiſque evoe derivare. Samſcrdamicum ധർമ്മ dharma *virtutem*, *beneficium*, *liberalitatem* ſignificat, ദേവം dévam vero & ദേവ déva *deum*. Vide dictionarium R.P. Hanxleden, & vocabularium Amaraſinha *ſect. Sanguirnavarggam*. Igitur Dharmadéva (non Darmadévé) vocabulum ſignificat virtutis, beneficii, praemii deum, & hic apud Indos eſt deus Yama vel Yamen, qui prout criminum vindex eſt, യമ Yama vel യമുനാഭ്രാതാ Yamunabhráda id eſt Stygis frater, vel ſubinde etiam shâſtáva ſeu vindex vocatur, prout vero virtutibus mercedem, ac beneficii pretium hominibus tribuit, Dharmadéva, vel Dharmarágia, id eſt virtutis deus, vel virtutis & boni operis rex dicitur. Dum hoc munere fungitur, bovi inſidens exhibetur, quia Shivae dei aſſecla & miniſter eſt, cuius imperio paret. Dum vindicis formam induit, horrida facie, capillis arrectis, furca vel tridente inſtructus exhibetur, & ſubinde vel animas bilance examinans, vel tridente in infernum detrudens fingitur. Videſis in Alphab. Tibet. *tab. 2. ad pag. 487. ſub littera L* figuram huius dei, Sonnerat *tom. 1. edit. in 4., & fig. 18.*, in libello inſcripto: *notizie laconiche*, ubi eum *Biero* a Nepallenſibus vocari dicit R.P. Conſtantinus ab Aſculo, quod vocabulum corruptum *Vairl* eſt ſcribendum, ac deum iracundum ſeu mali vindicem denotat. Hic igitur eſt Domini d' Hancarville Bacchus Scythicus, atque haec eſt illa acclamatio *evoe* a Scythis, Thracibus & Indis ad littus Gangis fieri ſolita. Nec minor eſt alucinatio auctoris in explicando vocabulo Baſwa quod corruptum affert, nam ſcribendum eſt പശു pashu vel pashua, *bos*, *vacca*, *animal*, & quia Dharmadéva non eſt bos, ut comminiſcitur auctor, neque pashua ipſi comparari aut contraponi poteſt, ita ut profecto vaniſſimum ſit auctoris commentum quo Dharmadéva Scythicum, pashua Indicum bovem eſſe, hunc denique ab illo emanaſſe, ac Scythi-

Q co po-

Digitized by Google

co poſteriorem eſſe, perquam liberaliter fingit. Sexcentas alias alucinationes, etymologias falſas, deductiones ridiculas, vocum analyſes commentitias, argumenta ne hilum quidem proficientia, quae auctor ad novum ſuum ſyſtema ſtabiliendum affert, ex opere illius adducere poſſem, ſi heic cenſurae locus daretur.

Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus & Iſaeo torrentior, ede quid illum
Eſſe putes? quemvis hominem ſecum attulit ad nos
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, ſchoenobates, medicus, magus: omnia novit
Garrulus *eſuriens, in caelum iuſſeris, ibit*. Iuv. Sat. 3.

Sed ipſa argumenta ab hiſce viris pro ſua ipſorum ſententia allata diligentius expendamus. Aiunt itaque: *Primo* antiquiſſimos Graeciae numos obeliſcis inſignitos eſſe, atque hoc ex Plutarcho adſtruunt. Auctor *pag.* 1. Verum aequo ſit animo, dum ex auctore quaero an numi hi aliquas inſcriptiones gerant, an epocham qua excuſi ſunt praeſeferant, an certum exploratumque ſit obeliſcos ſolis numini conſecratos eſſe? *Secundo* antiquos iſtos numos primo in Scythia a Lydo Scytha cuſos fuiſſe, ac inde ab Erichtonio in Graeciam allatos eſſe, ex Hygino, Plinio, & Ariſtotele nonnullis obſcuris monumentis docent. Auctor *pag.* 23. 25. De Erichtonio hoc Euripides in Ione, aliique poetae non pauca afferunt, atque ex iis auctor certior fieri poterit, quanta fides ſit adhibenda iis, quae de illo Athenienſi rege in vulgus fuere ſparſa.

Servans avorum legem, & e terra ſati
Erichtonii. Iovis puella namque ei
Duos dracones corporis mox addidit
Cuſtodias, deinde ſervandum dedit
Athenienſibus puellis, manſit hinc
Mos ille Erechtidis, ut ornent filios
Serpentibus aureis. Euripides in Ione.

Home-

Homerus in catalogo Erichtonium etiam Erchteum dictum fuiſſe affirmat, ſed non ſine commentis deſcribit:

> *Urbem praeclaram coluerunt iſti at Athenas*
> *Fortis Erechtei populum, quem nutriit olim*
> *Nata Iovis Pallas, peperit quem Daedala tellus.*

Indi pleraque ſua inſtituta, quin & reges ipſos a Shiva ſeu ſole deducunt, an D. d'Hancarville primos Indiae numos a ſole, luna & ſtellis cuſos, an urbes ab illis exſtructas fuiſſe dicet? Profecto Erichtonium a Minerva ſuſceptum ac ciſtae incluſum, ſerpentibus amictum, Phraſitheae nymphae maritum, biformem fuiſſe Graeci fabulantur. Vide Natalis Comitis mythologiae *lib.* 9. *pag.* 984. *& ſeq*: Haec illuſtret auctor priuſquam primos Graeciae numos ex Scythia ab Erichtonio allatos probet. Sed ad res Indicas tranſeamus.

Auctor *pag.* 26. Scythas ad Caucaſum montem conſtituit, & per Caucaſum non tantum hunc ipſum montem intelligit, qui excurrit a Colchide ad mare Caſpium, ſed etiam alios omnes illos montes qui monti Imaus coniuncti ſunt. Et *pag.* 27. proſequitur: *Come les Scythes, quand ils etendirent leurs conquetes iuſqu' au Nil, traverſerent l' Aſſyrie & la Babylonie, qu'ils rendirent tributaires, il faut qu' ils ſoient deſcendus de ſources de l' Oxus*. Denique *pag.* 38. ait: *le mont Meros ou il s' arreta* (Bacchus) *ut le terme de ſon expedition: ſous ce mont, il batit une ville du nom de Nyſſe*. Ut vero hunc Bacchum Scythicum eſſe demonſtret, atque ab eo inſtituta Indica profluxiſſe perſuadeat, adducit auctor verba Iuſtini *lib.* 2. quae ita ſonant: *his* (Scythis) *Aſia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus Rex Aſſyriorum impoſuit*. Haec itaque ſunt illa invicta argumenta quibus hi auctores evincere conantur religionem, ſymbola, & inſtituta Brahmanica ex Scythia in Indiam perlata fuiſſe, ac proinde originem illorum non in India ſed in Scythia inquirenda eſſe. Erroris auctor fuit de Paw, hunc ſecutus eſt D. Bailly, & ambos iſtos magni nominis philoſophos imitatus

eſt D. d'Hancarville. Nunc itaque pondus rationum expendamus, atque ſomnia horum morologorum diſpergamus.

Primo itaque Scythae meridionales ad fluvium Indum habitabant, inde Ptolemaeus illos Indo Scythas appellat; quod non diffitetur auctor. India a flumine Indo denominatur, nomine quidem corrupto, nam in lingua Samſcrdamica Indus ſcribitur സിന്ധു ſindhu, quod vide in vocabulario Amaraſinha *ſect. de fluviis.* Unde etiam ait Plinius Hiſt.nat.lib.6.cap.20.*Indus Sandus* (Sindhu) *ab incolis appellatus in iugo Caucaſi montis* (nempe ad meridionalem & occidentalem plagam) *effunditur*. Quod ſi igitur Scythae illi ſunt, qui ad Indum fluvium habitabant & quidem intra Caucaſum ac Imaum, an non potius dicendum eſt religionem Indicam in Scythiam ſeptemtrionalem & ultra in alias nationes ac terrae partes perlatam ac propagatam fuiſſe? An hic de nomine diſputandum, ita ut illi quos nos Indos vel Indo Scythas dicimus, auctores hi ab Indis ſeiunctos & diſtinctos eſſe velint? Audiant Plinium lib.6. cap.21. *Ultimo fine Cophete fluvio, quae omnia Ariorum eſſe aliis placet. Nec non & Nyſam urbem plerique Indiae adſcribunt, montemque Merum Libero patri ſacrum, unde origo fabulae, Iovis ſemine editum fuiſſe.* Herod. *lib.3. pag.96.* de tributis Dario pendi ſolitis agens ait: *Indi ut ſunt multitudine multo numeroſiſſimi inter omnes quos novimus mortales, ita tributum ſuper ceteros omnes afferebant tricena ſexagena talenta aureorum rammentorum. Viceſima portio eſt haec.* Et infra: *ex omnibus Indis, ii qui Bactrianis proximam vitam degunt, pugnaciſſimi ſunt.* Et iterum *lib.3.* ait: *Volunt id* (Cinnamomum) *gigni in his regionibus, ubi Dionyſius educatus eſt.* Cinnamomum vero in vera India (non in Scythia ultra Imaum montem) naſcitur. Liquet ergo ſcriptores hos nativitatem Bacchi ſeu Sebeſii, Sebadii, Dionyſii ſeu Shivae dei in vera India, non in Scythia ſtatuiſſe. Quod ſi vero Bacchus in vera India natus eſt, religio dei Bacchi non ex Scythia in Indiam, ſed ex India in Scythiam, ſi tamen auctor eam diſtinctam eſſe vult, proceſſit. Adde his, quod tempore Darii non nummis, non aere percuſſo, non obolis omnes ab eo devictae gentes tributa ſolverint. Quanam ergo fidu-

ſiducia, aut qua potius temeritate auctor tam audacter aſſerere potuit: *Les Scythes laiſſerent l'uſage de leurs monoies aux peuples qu'ils ſoumirent a leur domination. Et la plus part de nations qui habitoient l'Aſie trop eloignèes de lieux ou il eut ſalu remettre ces tributs, pour les payer en nature, devoient neceſſairment les acquitter en argent.* An haec auctor non ex ſuo capite effinxit? *Aureorum rammentorum*, ait Herodotus, anne vero aurei rammenti, numi, obolive ſunt Scythici, quos per totum mundum diſpergit auctor? *Horum utrique* (Aethiopes Aegypto contermini & Indi) *tertio quoque anno munera portabant* (Dario) *portantque ad meam uſque memoriam binos ſemodios auri rudis* (obſerva bene) *& ducenos faſces ebeni, & quinos Aethiopes pueros & vicenos grandes elephantorum dentes.* En ergo obolos D. de Hancarville! & ſiquidem hoc tempore Darii fiebat, quales nam illi oboli eſſe debuerint, quos nationes omnes a Scythis ſubactae mille quingentis annis ante Ninum & Darium perſolvebant, cordatus lector ipſe diiudicet. Conferatur Herodotus ipſe circa alias etiam gentes, quae tributa Dario pendebant. Obeliſcum ſeu potius figuram coni, qui non ignem, quod arbitratur auctor, ſed lingam repraeſentat (1) inter nummos Indicos, & ut monetam Indicam hodie-

(1) Ut D. d'Hancarville conorum originem ac cauſſam cognoſcat, neque ignem ſignificare autumet, aequo animo ea perlegat quae de phalli origine affert Arnobius *lib. 5. contra gentes: Cum inter homines esset adhuc Nysius* (Bacchus) *& Semelius Liber, nosse inferos* (nempe occaſu ſuo ſeu immerſione ſolis in mare ut putabant antiqui) *expetivit & sub tartari sedibus quidnam rerum ageretur, exquirere, sed cupiditas haec eius nonnullis difficultatibus impediebatur, quod qua iret ac peragraret, inscitia itineris nesciebat. Prosumnus quidam exoritur ignominiosus amator Dei . . . Deus facilis iurat potestatis futurum ac voluntatis se eius, sed cumprimum ab inferis compos voti atque expeditionis redisset. Viam Prosumnus* (Pan forte ſeu ventus Tibetanum & Indicum numen) *edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum. Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias atque alias res omnes curiosa inquisitione collustrat, ex viventium numero index ille decidit, atque ex more sepelitur humano: emergit ab inferis Eubius & recognoscit extinctum ducem: qui ut fidem compleret pacti, & iurandi solveret religione se iuris, locum pergit ad funeris & ficorum ex arbore* (fecunditatis ſymbolum) *ramum validissimum praesecans dolat, runcinat, levigat, & humani speciem fabricatur in penis: figit super aggerem tumuli, & postica ex parte nudatus, accedit: subdit . . . At ne quis forte a nobis tam impias arbitretur confictas res esse, Heraclio teste non postulamus ut credat, nec mysteriis quid super talibus senserit, ex ipsius accipiat lectione, totam interroget Graeciam, quid sibi velint Ithyphal-*

hodiedum in Indiis obtinentem exhibet Sonnerat *cap.* 15. *ad p.* 257. *fig.* 23. In muſeo pariter Borgiano Velitris, ut iam diximus, exſtat nummus ſive Indicus ſive Tibetanus argenteus qui partem pudendam Bhavani deae, commentum mythologiae Indicae manifeſte repraeſentat. Lingam autem & Bhavani deam Indicos eſſe deaſtros, auctor ipſe non diffitetur, & ſi is quidem dubitat, adeat, codicem manuſcriptum R.P. Conſtantini ab Aſculo in bibliotheca S. Congregat. de Propag. Fide, *notizie laconiche* inſcriptum, & in eo inſpiciat *fig.* 34. ſeu triangulum Bhavani deae coloribus expreſſum, ac cum nummo illo Indico vel Tibetano conferat. Legat etiam ea, quae ad numerum illum affert praedictus Miſſionarius Nepalenſis, ac tum neget apud Indos aeque ac apud Scythas ſimiles obolos vel nummos exſtitiſſe, vel evincat nummos illos ab initio ex Scythia in Indias perveniſſe. Certe cum nativitatem Bacchi, Lingami cultum, aliaque ipſemet originaliter ad montem *Meru* ac urbem *Nyſa* in Indiis ſtatuat, & nummos illos, quos ipſe Scythicos eſſe contendit, Indicos eſſe, ipſe manifeſte profiteri debebat, numina enim Indica, id eſt conum vel lingam, & triangulum, duo inſignia Brahmanicae philoſophiae portenta hodiedum exſtantia exhibent. De his monumentis inter Scythas nullus veterum ſcriptorum mentionem ingerit, triangulum vero & ſcientias per Pythagoram, Democritum, alioſque ex India a Brahmanibus acceptas in Graeciam aliaſque orbis partes perlatas fuiſſe, Clemens Alex., Laertius, ac Hierocles manifeſte prodiderunt. Conferat auctor etiam Arrianum *lib.* 1. *pag.* 313. *& ſeq. Hiſtoriae Indicae*: ubi ita diſſerit pag. 320., *Olim quidem Indi paſtores fuerunt, quemadmodum & Scythae, qui arationem*

phalli, quos per rura, per oppida mos subrigit & veneratur antiquus. Inveniet caussas esse quas dicimus &c. En ergo lingam ſeu phallum ex ficu! Brahmanes lingam ex ficu banana fecunditatis ſymbolo enatum fuiſſe fabulantur, & ex lingam poſtea & yoni ſeu matrice ex calore & humore reliqua omnia, unde haec duo lingam & yoni etiam omnis generationis ſunt ſymbola. Graeci Brahmanicam philoſophiam ignorantes, aut obſcuram de Indico Baccho notionem habentes, Brahmanicis antiquis ſymbolis & fabulis ſuperaddunt alias, atque ſic toto illae vagantur in orbe. Videat nunc etiam auctor quid ſibi illi coni, & obeliſci velint, an ignem denotent, an vero potius lingam ſeu phallum ſolis generantis ſymbolum, ut yoni ſeu matrix ſeminis quaſi receptaculum eſt, indicent, & ſignificent. Obſervet deinde expeditionem illam Bacchi non in Scythia ſed in India factam fuiſſe ſupponi, ac proinde fabulas iſtas inde derivari.

nem non exercent, ſed in plauſtris degentes incertis ſedibus vagantur, neque urbes incolunt neque templa deorum colunt. Et infra: *Primus Liber boves aratro iunxit & pleroſque Indorum ex erronibus aratores fecit, martiiſque armis armavit.* Et Strabo docet: *epiſtolas in ſindonibus ſcribere* (Indos) *benefullatis* . . . *aere fuſo uti, percuſſo nequaquam*. Quare Iuſtini locum ſupra de Scythis allatum, ac de ſtupendis illis expeditionibus, quibus totum fere orbem eos involviſſe, & mille quidem ac quingentis annis ante Ninum toti Aſiae imperitaſſe dicit, caſtigandum eſſe puto (1). Qui enim hoc eſſe potuit, quando nemo quod ſciam praeter Iuſtinum haec de Scythis adſtruit, non Moſes, non Herodotus, non Manethon, non Euſebius, non denique alius quiſpiam antiquus auctor? Sed nec Diodoro nimis fidendum, parum enim de veritate ac origine inquirenda earum rerum, quas refert de variis gentibus, ſolicitus fuit, atque ideo iam apud pleroſque criticos male audit. Hos vero ſcriptores auctor pro baſi ſuarum diſquiſitionum conſtituit, fabuloſos nempe vir fabuloſus. Strabo *lib.* 15. de Indis ait, quod etiam ſane de Indo Scythis eſt intelligendum: *Indi & metallorum & fuſilium imperiti, quibus abundent, neſciunt*. Et infra: *auro & argento non uti, quamquam metallis abundent*. Certe rarae ſunt apud Scythas & Indos ſtatuae aereae & fuſiles, ſculptae vero & rupibus ſubterraneis inciſae quamplurimae. Ex quibus ſane iterum inferendum eſt, non tam frequentem olim fuiſſe obolorum & nummorum uſum apud Scythas & Indos errabun-

(1) In eodem libro ſecundo hiſtoriarum Iuſtini, ex quo d'Hancarville textum ſuum adduxit, Iuſtinus de Scythis ita diſſerit: *Hominibus inter se nulli fines, neque enim agrum exercent: nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt*. Et infra: *Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo, magis in titulum imperii, quam in victoriae praemium imposito*. Et iterum: *Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt*. Legantur ibidem etiam reliqua, atque quiſque facile perſpiciet ſibi ſatis inconſtantem Iuſtinum exageratorem imaginatione D. d'Hancarville aliis exagerationibus non parum auctum fuiſſe. Conſtabit etiam in illo libro de Scythis multa fabuloſa referri quae nec ipſe d'Hancarville admitteret, denique Iuſtini textum cum oppoſitione aliorum ſcriptorum admittendum non eſſe. Adde his, quod nihil de obolis, nihil de triangulo, nihil de obeliſcis, nihil de Scythicis templis, nihil de philoſophis dicat, quae tamen omnia facile & tuto a Brahmanibus deducuntur. Confer de hoc Iuſtini loco Bayeri opus *Chronologiae Scythicae pag.* 295. *tom.* 3. *in comment. acad. Petrop. edit. in* 4.

bundas gentes, quae civili cultu, templis & urbibus diſtituebantur. Deinde quamvis revera conis, & triangulis inſigniti nummi inter Indos & Scythas olim reperiebantur, an ignorat auctor nummos facilius quam gentes integras hinc inde migrare, & per gyrum in varias orbis partes ac diverſas gentes perferri? A Darii temporibus, quin ab ipſa Moyſis aetate, India commercio erat celebris, quod ex Herodoto, ſed cumprimis ex Arriani Periplo maris Erythraei, atque ex Plinio patet; quidni igitur & nummi Indici conis aut triangulo diſtincti, in Graeciam aliaſque orbis partes perferri potuerint abſque eo, ut neceſſe ſit mille & quingentis annis totam Aſiam ſub iugo Scytharum conſtituere? Et hoc ante Darii tempora, ita ut ne quidem locus detur tempori & ſpatio quo Scythae & Indi paſtoralem agerent vitam quam eis adſcribit Arrianus, aliique (1). Claudii nummum reperit in fluvio Cavéri R. P. Pavone Maiſſurenſis Miſſionarius, ut is ſaepe mihi hoc narrabat; an auctor inde inferet Claudium Auguſtum Rom. Imp. regnum Canará & Mayſſur armis ſuis ſubiugaſſe, aut regnis illis, vel flumine potitum fuiſſe? Adde his, quod Strabo & Plinius hanc Scythicam in Indos irruptionem & dominationem manifeſte negare videantur. Plinius hiſt. nat. lib. 6. cap. 17. pag. 88. edit. Baſ: *Patefacta eſt India non modo Alexandri magni armis, regumque qui ei ſucceſſere, circumvectis etiam in Hyrcanum mare & Caſpium Seleuco & Antiocho, praefectoque claſſis eorum Patroclo, verum & aliis auctoribus Graecis, qui cum regibus Indicis morati ſunt: ſicut Megaſthenes & Dionyſius a Philadelpho miſſus ex ea cauſſa vires quoque gentium prodidere. Non tamen deeſt diligentiae locus, adeo diverſa & incredibilia traduntur.* Et ſtatim infra: *Indi enim prope gentium ſoli numquam emigravere finibus ſuis. Colliguntur a Libero patre ad Alexandrum magnum reges eorum centum quinquaginta tres annis ſex mille quadringentis & duobus.* Et infra: *Ad oſtium Gangis* DCXXXVIII. *M. paſſ. gentes quas memorare non pigeat a montibus Emodis, quorum promontorium Imaus voca-*

(2) Poſt vitam paſtoralem relictam & commercio cum Aegyptiis, Graecis ac Perſis in India incepto primi mercatorum commeatus fiebant in urbe Patan & in Barygaza ſeu Baroche in ſinu Cambayae. Vide Arriani Periplum. Ibi ergo primi etiam nummi cuſi fuiſſe videntur.

vocatur, *incolarum lingua nivoſum*, *ſignificante*, *Iſari*, *Coſyri*, *Izgi & per iuga Chiſiotoſagi*, *multarumque gentium cognomen Brachmanae*. En itaque noſtri auctoris Scythas ad montem Imaum! Brahmanes nempe illi ſunt aut fuerunt, qui ad hunc montem, in quo is Scythas conſtituit, habitabant, ut hodiedum eorum religio ibi viget ad montes iſtos, qui Tibetum ab India ſeparant. Obſerva etiam quomodo Plinius Indos a Libero patre ſeu a Baccho deducat, nihil vero tale, dum *cap. praec.* de Scythis agit. Deinde dicit, *Indos e ſedibus ſuis non emigraſſe*. Quomodo ergo intelligendus erit Iuſtinus, & auctor noſter, qui Scythas ſuos *pag.*25. ad montes cum monte Imaus (Himala Indis) coniunctos collocat? Quod vero mons Imaus hic idem omnino ſit, qui ob nives *Himala* dicitur, unde corruptum eſt a Graecis *Himau* vel *Imau*, evidenter evincitur ex eo, quod Plinius montem hunc *nivoſum* dicat, & vocabulum ഹിമ hima *frigus*, മല mala *montem* unde ഹിമല himala, *frigidum ſeu nivoſum* montem denotat. Vide vocabularium Amaraſinha *ſect.*1. *ſub voce* കുളിൎത്തട kulirtada *ſeu frigus*. Unde Calcuttenſes Angli *pag* 248. in libro *Aſiatick reſearches* de Shiva, Baccho ſeu ſole aiunt: *His terreſtrial haunts are the ſnowy hills of Himalaya, or that branch of them to the Eaſt of the Brahmaputra, Which has the name of Chandraſichara, or the Mountain of the Moon*. Ubi nempe etiam ſtatuunt Indi Nepalenſes, & cum iis P. Conſtantinus ab Aſculo qui in Indica tabula hos duos montes exhibet, & Shivam ac Párvadi uxorem ſuam, id eſt ſolem & lunam in cacumine illorum duorum montium conſtituit. Vide *notizie laconiche ad fig.* 7. & 8: *Una giornata di cammino diſtante dalla città di Batagao vi è un gran monte detto Hemaloe* (Himala) *luogo di naſcita e di contemplazione del dio Mahadeva e Párvadi*, nempe Shivae ſeu ſolis & Parvadi ſeu dominae montium, hoc enim denotat Párvadi. പൎവ്വതം parvadam *mons*(1).

R En

(1) Bayerus *in hiſtoria regni Graecorum Bactriani in qua Graecarum in India coloniarum vetus memoria explicatur*. pag. 10. corrupte ſcribit: *Smeru parabud vel parbud*; ſcribi debet *Sumeru pàrvadam* id eſt pulcher *su*, *meru pàrvadam meru mons*.

En ergo Scythicum D. de Hancarville Bacchum deteℂtum! Adde inſuper ea, quae *Bayerus* affert pag.2.3.4.9. de monte *Meru*, qui idem omnino & unus eſt cum hoc monte Imaus vel Himala, nam in vocabulario Amaraſinha *haimádri* id eſt humidus, frigidus, ſeu nivoſus mons dicitur. *Meru mons in PuWana ſaccaram* (liber Tamulicus qui a Waltherio Miſſionario Dano miſſus fuit Bayero) *fabuloſiſſime deſcribitur. Hoc unum commode nobis cadit, quod ex eo libro ſitum montis cognovimus. Nam Imela Graecorum Imaus* (Himala) *eo in libro fontes Gangis continere dicitur. Meru vero huic Imeiae ponitur ab occidente. Ex quo apparet Merum fere medio inter fontes Indi atque Gangis ſpatio ſitam eſſe, ubi Niſadaburam ſeu Nyſa urbs*. Bayer *hiſtoriae regni Bactriani pag.*4.9.2.10. Hunc eumdem montem Meru vocabularium Brahmanicum Amaraſinha ita deſcribit ſect.1. *Sorggavarggam* മെരു meru, സുമെരു ſumeru *pulcher Meru*, സുമെരുപർവ്വതം ſumeru parvada *pulcher Meru mons*, മഹാമെരു mahá Meru *magnus Meru*, ഹിമാലം himala *nivoſus mons*, ഹെമാദ്രി hemàdri, *frigidus, humidus, nivoſus mons*, സുരാലയം ſurálaya, *domus, ſedes, habitaculum ſolis*, quia nempe ſol ſupra praealtum illum montem aſcendendo & auroram, radioſque matutinos inde emittendo Indiae illuſcere ſolet, diemque advehere, unde veteres Indi ſolem, Bacchum, Dionyſum, ſeu Shivam vel Sebaſium noctu ibi dormire, & inde exſurgere, domiciliumque ipſius ibi eſſe fabulabantur. Quare etiam R. P. Ildephonſus in codice manuſcripto num.20. inter codices S. Congreg. cap.5. de forma & ſitu mundi Brahmanico ait. *Fingunt Brahmanes quod in parte ſeptemtrionali* (Indiae) *detur mons quidam exceſſive grandis quem illi vocant Meru: Sol autem, luna & ſtellae de nocte tranſeunt per longum a tergo illius montis redeundo videlicet ab occidente ad ſeptemtrionem, & propterea non poteſt apparere claritas horum planetarum &c.* Nec obſtat quod Sonnerat *tom.*1.*pag.*218.*edit. in* 8. montem Meru ad polum ſeptemtrionalem conſtituat, quia licet ſol ad polum hunc, allegorice loquendo, ſedem ſuam habere dici poſſit, quod ſex menſibus ibi verſe-

Digitized by Google

verſetur, attamen reſpectu Indiae ſeu globi terrraquei Indici Brahmanici, mons Meru Indicae terrae polus ſeptemtrionalis eſt. Hoc evidenter patet ex eo, quod in tabula antiqua Brahmanica geographica quam infra adferemus, terra tota ſolis Indiae limitibus continetur, unde inſulam Ceylan ponunt extra terram ad auſtrum, montem autem Meru intra Indiam in tertia zona a ſeptemtrione verſus auſtrum quae tangit Giamabhu ſeu Giamba vel Iamba *ſub gradu latit.* 30. collocatum, quod vide in mappa D. de l'Isle, *Carte des Indes & de la Chine* inſcriptam *anno* 1782. *Pariſiis inciſam*. Ab occidente itaque Bacchus ſeu ſol ad Indos per ſeptemtrionem ſeu montem Meru venit allegorice, & eo ſenſu accipienda ſunt verba Diodor. Sic. bibl. lib. 2. pag. 151: *Antiquitatis hiſtorias Indorum doctiſſimi recenſent, de quibus pauca hic recenſere operis noſtri eſt. Remotiſſimis, aiunt, temporibus cum mortales adhuc diſperſi vicatim habitarent, Bacchus ex occiduis terrae partibus cum numeroſo exercitu* (ſtellarum, planetarumque) *adventans Indiam totam peragravit*. Quid ad haec reponet Bailly, de Paw, & d'Hancarville? Tota proinde haec fabula de Baccho Shiva, ſeu ſole inter Graecos & Indos nata eſt ex eo, quod, ut iam ſupra ex R. P. Ildephonſo animadvertimus, Brahmanes antiqui montem Meru vel Himala nocturnam habitationem dei Shivae, Sebaſii, Sebadii ſeu Bacchi, id eſt ſolis, eſſe crediderint aut effinxerint, ita ut figurate ſolem ſeu Bacchum in illo monte natum eſſe dicerent, dum matutino tempore ex montanis illis & obſcuris tenebris erumperet, & ſuperatis illis altiſſimis montibus, toti Indiae quae ad praedictos montes incipit & a Tibeto dividitur, illuceſcere inciperet. Ex quo ſane iam recte inferes, omnium de Baccho, Dionyſio, Shiva, Sebeſio vel Sebadio fabularum inter Graecos, Scythas, Romanos, Indoſque exſiſtentium, originem in India eſſe & ex India iam ab antiquiſſimis temporibus ad alias gentes & regna proceſſiſſe; Herodotus enim, Arrianus, Plinius, Strabo, aliique montem Meru & Bacchum, ſeu Dionyſium in India conſtituunt, & recte fabulam omnem de hoc Baccho ex India derivant (1). Vide

 hos

(1) *Ad Nysam urbem* (Alexander) *pervenit .... A Libero patre conditos se esse dicebant* (Nyſaei). *Et vero haec origo erat. Sita est* (Nyſa) *sub radicibus*

hos auctores omnes citatos in *hiſtoria regni Graecorum Bactriani pag.*2. 3. 4. 9. 10. Unde ait Arrianus *in hiſtoria Indica lib.*1. *cap.*1. *pag.*314. *edit.* Gronovii: *Regionem Nyſſeam a monte Nyſſa vocavit* (Liber) *urbemque ipſam Nyſſam. Mons vero urbi vicinus ad cuius radices ſita eſt Nyſſa, Merus vocatus eſt ab infelici eventu, qui Dionyſio acciderat ſtatim cum naſceretur. Atque haec poetae finxerunt.* Idem habet Strabo *lib.*15. Unde Steph. in ΝΥΣΑΙ ubi conſtituit urbem Nyſam ad Caucaſum, eum vocat ὀρῶν μέγιστον *montium maximum*, quia mons Meru ut nempe omnibus illis montium iugis quae Indiam a Tibeto ſeparant, coniunctus eſt, revera unus ex maximis mundi montibus eſt. Ad huius igitur montis opacam & tenebroſam vallem, ſeu ad radices illius, a veteribus & modernis ſtatuitur urbs Nyſa ſeu Nayshadaburam, urbs nempe Nyſa vel Nysha. Ad quod vocabulum notandum eſt, noctem in ſacra litterali lingua Samſcrdamica in libro Amaraſinha *ſect.*1. *ſub voce* രാത്രി rátri *nox*, vocari നിശാ nisha, & നിശിഫിനി nishiphiní, dum vero hoc vocabulum *nisha* alteri dictioni iungitur, more linguae Samſcrdamicae proprio & uſitato ex voce *nisha* fit *naishada* adiective ſumptum, ut apud Latinos ex voce *nox* fit adiectivum *nocturnus*. Quare vox Samſcrdamica നിശാധപുരം nishadaburam vel നൈശാധപുരം naishadaburam, vel naishadaburi, proprie, & ſtricte loquendo, ſonat *noctis* vel *nocturna* aut *opaca*, *obſcura*, *tenebroſa civitas*. Littera Samſcrdamica ശ. eſt Germanicum sha, Luſitanum x, Gallicum ch. lene, latinum sh. v. g. in voce ſhiſma. Quare Nyſa, Niſſa, Nyſſa & alia huiuſmodi vocabula corrupta ſunt, quae a Graecis aut Latinis littera ശ. sh. carentibus truncata fuerunt. In hoc igitur monte Meru qui in vocabulario Brahmanico *ſect.*1. domus vel habitaculum ſolis, id eſt സുരാലയഃ ſurálaya dici-

bus montis, quem Meron incolae appellabant. Inde Graeci mentiendi traxere licentiam Iovis femine Liberum patrem esse celatum. Q. Curt. *lib.*8. *cap.*19. Eadem habet Plinius & Arrianus.

dicitur, & in civitate Nayshadaburam ſeu *noctis urbe* Bacchus ſeu Dionyſus, deus nempe Nyſae ſeu Nisha, ſamſcrdamice Dévanishi, ſeu deus urbis Nisha id eſt noctis, natus, & educatus fuiſſe dicitur, & uxor eius Párvadi ſeu luna in altero monte huic vicino & adverſo nata & educata eſt, unde etiam communiter ab Indis *regis montium filia* eſſe perhibetur. Ex quibus iam elucet ea omnia quae de Baccho ſeu Dionyſo a veteribus dicuntur, allegorice intelligenda eſſe, ac proinde Bacchum, quem D. de Hancarville ex Scythia deducit, merum phantaſma poeticum, & quidem allegoriam orientalem Indicam eſſe ad ſolem referendam. Quia vero Bacchus ſeu ſol in monte frigido & nivoſo ac in civitate noctis naſcitur & educatur, ex eo quod ibi noctu deliteſcat & inviſibilis ſit, uſque dum mane ſuperatis illis montibus Indiae illuceſcat, inde fit, quod pleraque monumenta Indica & Graeca Bacchum ſeu ſolem in diurnum & nocturnum diſtinguant; tum inſuper fit, quod Shiva deus noctis & mortis dominus, vindex, iudex mortuorum, praeſes larvarum noctu vagantium, dominus daemonum, contemplator, poenitens & per mundum errabundus, philoſophiae & ſectarum inſtitutor, & Lingam ſeu virtus generativa eſſe dicatur. Párvadi quoque ſeu luna, Bhaváni id eſt exſiſtere faciens, generatrix, ſolis uxor eſt, cuius muliebrem partem in ſymbolo loti repraeſentatam Indi & Tibetani venerantur. Quare Bacchus ſeu ſol diurnus & nocturnus ab antiquis vocitabatur. Macrobius Saturn. lib. 1. c. 18. *In ſacris enim haec religioſi arcani obſervatio tenetur: ut cum ſol in ſupero, id eſt, in diurno hemiſphaerio eſt, Apollo vocitetur: cum in infero, id eſt nocturno, Dionyſius, qui eſt Liber pater, habeatur. Item Liberi patris ſimulacra partim puerili aetate, partim iuvenili fingunt: praeterea barbata ſpecie, ſenili quoque &c.* Et ſuperius idem Macrobius dixerat: *Apollini & Libero patri in eodem monte res divina celebratur*. Praeterea inſcriptio villae Pincianae Exc. domus Burgheſiae: *Nama Sebeſio deo Soli invicto Mitrae*, ubi Sebeſius & Mitra Solis ſeu Shivae vel Sibae nomina, epitheta ſolis ſunt in vocabulario Amaraſinha dilucide expreſſa, ac de littera ad litteram traducta ſignificant: *adoratio Shivae* (Sebaſio vel Sebeſio) *deo Soli invicto Mitrae*. Bacchus ab antiquis vocatur *nocturnus* ſeu


nycte-

nyctelius, & orgia Bacchi celebrabantur noctu, atque hodiedum in India celebrantur ſub nomine *Shivarátri & Shaktipùgia*, ſeu orgia Shivae nocturni & Shakti deae, ſolis nempe & potentiae generatricis & energiae ad gignendum, in quibus mulier nuda floribus coronatur, carnes eduntur & vinum bibitur noctu quidem & in occulto loco, ex eo quod orgia haec ab ipſis regibus paganis fuerint proſcripta (1). Hic vero Bacchus ſeu ſol diſtinctus & diverſus eſt a Baccho alio Indiae domitore, Ráma vel Shrirâma dicto, de quo nos infra agemus, & huic alia Bacchanalia ſunt ſacra, de quibus confer Niebuhr *tom.2. pag.*28. Bos ſymbolum Bacchi ſeu ſolis vocatur മൂരി mùri, vel കാള kála aut etiam പശു pashu, cui etiam convenit Latinum *Urus*, ſpecies bovis Baccho ſacra. Plutarchus in *Iſide*: *Plerique Graecorum Bacchi ſimulacra faciunt tauri ſpecie*. *Vide tab.* XI. in diſquiſitionibus D. de Hancarville *fig.*1. ubi ex Thoma Hyde bos mùri ſeu taurus exhibetur cum ſole ſplendente ad unum bovis latus quaſi deliteſcente & radios vibrante (2). *Et fig.*2. *eadem tab.* ubi auctor ex Niebuhr monumentum inſulae Elephantae Shiva deum vindicem exhibet cum ſole a tergo ad humeros ſeu collum radiante. Quae duo monumenta, ut nunc de aliis taceam cum omnibus rationibus a nobis allatis, nullum incredulitati locum relinquunt, ſed evidenter demonſtrant, Dionyſium ſeu Bacchum ſolem eſſe, atque originem omnium de Baccho fabularum non in Sçythia, ſed in India inter Brahmanes ad montem Himala ſeu Meru ſtatuendam eſſe, ac ex India ad Perſas, Graecos, & Romanos propagatam fuiſſe. Quae omnia nunc ſufficiant ad pruritum noſtrorum philoſophorum temperandum, ad nocturnas viſiones ſomniatorum depellendas, & ad temeritatem huiuſmodi ariolorum retundendam qui ſine peritia linguarum exotica monumenta deſcribunt, eaque commentitia ac vix aniculis digna lucubratione explicare, aliis denique fucum facere conantur. SHRI

(1) *Regem mero, somnoque sopitum in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium invocantes deos. Quis credat, inter haec vitia curam esse sapientiae? Unum agreste & horridum genus est, quos sapientes* (Gymnoſophiſtae yamanaei) *vocant .... Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur, & futura praedicere &c.* Q. Curtius de moribus Indorum lib. 8. cap.17.

(2) Vide hiſtoriam veterum Perſarum Thoma Hyde auctore.


Digitized by Google



S H R I R A M A

TAB. XVII. XVIII.

Priuſquam celeberrimi Rámae deaſtri Indici geſta deſcribamus, neceſſarium eſſe videtur, rudem heic antiquam Brahmanum geographicam mappam adumbrare. Ea exſtat in codice manuſcripto R. P. Ildephonſi inter codices bibliothecae S. Congreg. de Propaganda Fide *cap.6. de forma terrae & marium*.



a Septemtrio.
b Auſter.
c Inſula Laenga, Gemmadiba ſeu Ceylan extra globum terraqueum.
d Utera curucàl ſeu pes ſeptentrionalis.
e Irul malà, id eſt mons tenebricoſus, obſcurus.
f Ramya.
g Mons Meru & Kailàsà Shivae dei habitatio.
h Giamba ſeu Iamba.
i Parashva.
k Kedumalà.
l Elembrada.
m Arivangia.
n Vimpruia.
o Parida.
p Occidens.
q Oriens.
Spatia sub d. e. f. i. k. l. m. n. o. ſunt novem terrae partes montibus interſectae.

I. Itaque obſervetur nonus Brahmano-Pythagoricus ſummae virtutis ut ſeptimus & tertius numerus, qui non ſolum antiquae Brahmanicae philoſophiae baſim conſtituebat, ſed etiam geographiam & aſtronomiam dirigebat. De his numeris vide Macrobium in ſomnium Scipionis *lib.2. cap.1. & 2.* Plutarchum *in Iſide*, & Philonem Iudaeum. II. Ex hac figura patet antiquos Brahmanes extra has novem Indiae partes montibus interſectas, alias terrae patres non cognoviſſe, ac proinde ſcripta etiam eorum & libros de his intelligenda eſſe. Quare vetus eorum geographia ſolis Indiae limitibus continebatur. III. Ad polum auſtralem quem

quem finem mundi ſeu terrae conſtituerant, inſula Ceylan ponitur, eamque extra mundum ſeu extra terram & ſphaeram ab ipſis confectam ſitam eſſe cenſuere. IV. Terram totam Indicam montibus diſtinctam & interſectam repraeſentant, qualis revera eſt. V. Obſerva montem *Meru* ad tertiam a ſeptemtrione Indico verſus auſtrum zonam conſtitutum reperiri, nempe ad boream terrae Gembu vel Iamba, quae ſecundum noſtros modernos geographos ad trigeſimum latitudinis ſeptemtrionalis gradum refertur. Iamba vero vocabulum corruptum a Samſcrdamico  giambhu vel gembhu patriam, ſolum natale, ſeu originis & nativitatis locum Indicae gentis ſignificat. Ibi per Deum ens ſupremum plaſmante eos deo Brahma omnes ſe creatos & productos fuiſſe contendunt. VI. Regnum Ayodya ex quo Ráma ſeu Shrirāma ortus eſt atque totam Indiam debellando uſque ad inſulam Ceylan proceſſit, ſupra montem Meru paullo plus verſus boream ſitum eſt. Vide in mappa geographica D. De l'Isle *ſub gradu 36. nomina Cashgar*, *Siba*, *Iamba*, *Nagarecut*, *Ayoud* ſeu *Ayodya*. VII. Patet antiquos Brahmanes Indiae plus extenſionis dediſſe quam dent noſtri aliqui geographi atque limites ipſius ultimos Tibeti montes ad Cashemir *ſub gradu* 36. ſitos ad Indiam referri, ſeu illius borealem limitem eſſe, ac proinde Bactrianam & Indo Scythiam revera Indiae partes dici debere.

His itaque exploratis, videamus nunc quiſnam ſit iſte Indicus Shri Ráma, cuius ſimulacrum heic ex muſeo Borgiano Velitris exhibemus. Adeſt illud pictum inter icones Indicas *num.* 5., in Pivatio *tom.* 8. *tab.* 23. *fig.* 1. *ad pag.* 124. ubi bella Indica huius dei referuntur, in Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 289. *&* 292. ubi haec habet: *Dans les temples dedies a cette incarnation* (ſexta) *on repreſente Vichenou de couleur verte ſous la figure d'un jeune homme d'une parfaite beauté*, *tenant en main un arc & des fleches*. *Anoumar* (Hanuman, unde ipſe illud vocabulum corrupit) *eſt a ſes cotès dans l'attente de ſes ordres*, *on y met auſſi le tableau du Geant*, *peint avec dix tetes de couleur bleue*, *& vingt bras*, *tenant dans chaque main des armes différentes*, *embleme de ſa forꝛe*, *& de ſa puiſſance*. Verum Sonnerat animadvertere debebat, non eodem modo ubique

que in Indiis huius dei ſimulacrum exhiberi. Ad manus habeo iconem huius dei in Malabaria ex templo quodam deſumptam, quae Rama ſeu Shrirâma deum ſub forma ſubviridi arcum & ſagittam manibus tenentem, mitra in conum terminante & quaſi tribus coronis diſtincta, monilibus denique aut torque ex collo pendente exhibet. In multis aliis ſtatuis & ſimulacris facie viridi exhibetur, circulum ſeu ſerpentem in girum vel orbitam redactum una manu tenet, altera സീതം Sídam uxorem ſuam ad latus ipſius ſtantem amplectitur. Haec vero albo colore ſeminuda pingitur, & in utroque pede circulum vel aureum vel argentum geſtat, ut nempe hodiedum multae Indicae mulieres circulos hos in pedibus geſtare ſolent, qui mos quam antiquus ſit inter Indos, indicant haec ipſa ſimulacra ſatis. Thorax huius dei ac mitra quaſi in cornua reflexa, prominente tamen in medio in conum vertice, mira colorum varietate, gemmis, margaritis, floſculis, auro denique & argento diſtincta eſt. Verum multo antiquius, quin antiquiſſimum puto eſſe huius dei Ramae ſimulacrum, quod ex inſula Elephanta deſcriptum exhibet Niebuhr *tom.2. tab.7. ad pag.25.*, nam omnes aut plerique illi Indici deaſtri nudi exhibentur, atque demonſtrant mythologiae Indicae originem in ipſo calido Indiae climate incepiſſe, ac denique artem & colores tunc necdum in ſtatuis & imaginibus Indicis adhibitos, ſed ſecundum antiquam ſimplicitatem Indicam ſculptos & efformatos fuiſſe. *Ruſtica ſunt calceamenta*, ait Farnabius inter notas ad ſat.3. Iuvenalis, *quibus calceati pinguntur dii Graeci*. Tabulà illa *primo* exhibet deum Brahma IV. faciebus, quarum tres tantum ſunt viſibiles, nam Brahma lingua ſacra Samſcrdamica vocatur Ciadurânana vel Ciadurmughen, id eſt *quatuor vultuum deus*, ſed quia una facies a tergo deliteſcit, viſibilis haud eſſe poteſt. Haec figura ſeu Brahma una manu gerit lotum ſeu padma vel tâmara florem concluſum, id eſt foliis non apertis, non explicatis. D. de Hancarville, cuius caput refertum eſt ovali Indica mythologia, quam tamen numquam didicit, monumenta Indica antiqua explicare volens, Brahma deum, quem ipſe ineptiſſime Bacchum appellat, manu illa ovum tenere di-

 cit.

cit. Sed vir iſte vel unicam aliam dei Brahmae figuram ex monumentis ſuis Indicis producat, quae hoc ovum manifeſte exhibeat. Ego certe plurium annorum ſpatio nullum omnino tale Brahmae dei oviferi ſimulacrum in India vidi. At loto inſidere, lotum generationis & fecunditatis ſymbolum, lotûm dico, ex qua ope caloris & humoris omnia prodierunt, dii Indici paſſim manibus geſtant. Vide in libro *Aſiatick reſearches* Indra deum ſeu Iovem vel aerem Indicum una tabula exhibitum *ad pag.* 241. Vide item quadrifrontem Brahma dei figuram *ad pag.* 248., & apud R. P. Conſtantinum ab Aſculo *fig.* 3. ubi huic deaſtro in una manu liber Indicus Grantham, corona precatoria, vas, & cycnus varicolor appingitur, omnia Brahmae attributa. Vide pariter lotum in manu dei Vishnu & deae Bhavani ſeu Gangadévi in libro *Aſiatick reſearches*. Cycnus ſeu hamſa aquaquaticum animal Brahmae ſeu terrae attributum, terram aquae innatare indicat, & ibi quatuor cycni vel anſeres deo Brahmae appinguntur. Cycnus ſeu hamſa ſolis epithetum eſt, ut iam ſupra diximus. Sol ergo ut generans ad pedes Brahmae ſeu terrae adiicitur, ut indicetur ex ſole & terra omnia produci. Deinde Brahma ut generans ſeu virtus generativa ſolis, ſol dici poteſt, ita Vishnu conſervator humiditatem plantis rebuſque omnibus tribuens qua conſervantur, aut ſuperfluos humores exſiccans & quaſi ad ſe attrahens, virtus ſolis omnia conſervatrix, & Shiva virtus ſolis deſtructrix, pariter ſoles dici poſſunt, ita ut in his tribus deaſtris tres diſtinctae ſolis virtutes, generatrix, conſervatrix & deſtructrix recte repraeſententur. Atque in hac etiam opinione philoſophica Brahmae deo lotus & cycnus opportune appinguntur. Alia figura minor Niebuhriana eadem tabula, quae ſaepe in templo Elephantae recurrit, eſt Ganesha ſeu Ganavadi deus ſuper Titanem ſeu gigantem *Kaymugbáſura* equitans, qui cum in glirem ſe transformaſſet, ut deum Ganavadi morderet, ab ipſo victus vehiculum dei Ganésha factus eſt, unde in aliis iconibus & ſtatuis elephantino capite deus iſte gliri inſidet(1). Vide codicem manuſcriptum R.P.Norberti & P.Iohannis

(1) Haec uberius illuſtrata reperies infra in diſſertatiuncula de deo Ganavadi. Hic tamen obſerva monumentum hoc inſulae Elephantae antiquiſſimum eſſe meri-

Digitized by Google

hannis de Brito. D. d'Hancarville ex hoc deo Ganésha ſapientiae numine atque a Brahma, Vishnu & Shiva omnino diſtincto, Bacchum ſibi fingit, & ex monumentis Indicis antiquiſſimis non ſolum lectoribus linguae & mythologiae Indicae imperitis imponit, ſed etiam ipſa monumenta evertit, intricat, corrumpit, & rem per ſe iam obſcuram, maiori caligine involvit. *Anne antiquitus ſartores curam boüm habuere*? Interrogat adagium Malabaricum, & huic adagio D. d' Hancarville reſpondeat. Ipſius eſt monumenta deſcribere, idque fideliter, ut deſcripſit Niebuhr, qui de ovo illo nec verbum profert, nec figuras ſeu monumenta explicat, utpote mythologiae imperitus, ſed ea quae deſcripſit intacta, & incerta relinquit. Tertia denique figura Niebuhriana *eadem tab. ſeptima* videtur eſſe Ráma ſeu Shrirâma antiquo Indico habitu, id eſt nudo corpore exhibitus una cum uxore ſua Sida pariter veſtibus deſtituta, cum Hanuman ſimio, & ſerpente Bacchi iuvenis ſymbolo, mitra Indica antiqua inſtructus, & more genuino Brahmanicam zonam ex humeris geſtans. Hanuman ſimius ruditer adumbratus Rámae famulus, alii denique famulitio huius dei addicti genii ad latus eius ſtantes & adorantes quemadmodum & in aliis monumentis Indicis, ac praeſertim in Patmanáburam arce regia, & in oppido Tiruvancoda in curribus triumphalibus in Malabaria exhibentur. Sida Rámae uxor circulos in pedibus geſtat more antiquo feminarum Indicarum, qui in Malabaria hodiedum obtinet. His itaque poſitis, nunc iam quis iſte Ráma ſit inquiramus.

Ráma vel Shrirâma ex ſtella Rohini natus, frater Vishnu eſſe dicitur eo nempe modo, quo ſupra Brahmam & Shivam ſeu ſolem pariter fratres eſſe diximus. In vocabulario Amaraſinha haec epitheta gerit: രാമഃ ráma *albus* vel *formoſus*, രമണഃ ramena (prima *a* vocalis brevis) *iucundus*, *luſor*, *luxurians*,

merito cenſeri; quamvis enim & in hoc & in aliis Indicis dei Ganéshae & Shrirámae ſimulacris una haec eademque ſit mythologica baſis, attamen antiqua illa ſimplicitas heic peculiariter elucet, quod in hoc ſimulacra Titan Kaymughâſura, & Hanuman ſimius ſeu Pan ſolis & lunae filius venti deus ſub humana ſpecie flabello muſcario inſtructus repraeſentetur, in aliis vero Indicis ſimulacris Titan ille ſub gliris, Pan vero ſeu Hanuman ſub ſimii forma exhibeatur.

ബലദേവ *fortis deus*, *generoſus*, *bellator ſtrenuus*, കാമപാല kámapála *luxurioſus*, *libidinoſus*, ഹലായുധ halâyudha *magno impetu pugnans*, രൌഹിണേയ rohineya *ex ſtella Rohini natus*, സംകർഷണ samkarshaná, *crudelis*, *ſtrenuus*, *quoad omnia ſimul fortis*, സീരപാണി ſirabáni *aratrifer*, *aratrum gubernans*, നീലാംബര nilambara *ſubviridem*, *caeruleam veſtem ferens*, കാളിന്ദിഭേദന kálinibhedana *fluvii ſancti Kálini alias Ciamuna dicti diviſor aut eum tranſiens*. Ex his epithetis pene impoſſibile videtur, primo ſtatim obtutu non cognoſcere iuniorem & verum Indicum Bacchum. Fluvium Kalini ſeu Ciamuna *Stygem eſſe*, memini me legiſſe, ſed ubi, nunc ignoro; reliqua epitheta per ſe iam aperta & perſpicua ſunt. സീതാ Sidá uxor eſt Ráma dei, Sidá vero etiam *terram*, *verſuram in arando*, item *ſolum fructiferum* ſignificat. ഹനുമാൻ hanuman, celebris ſimius ſolis (1) & lunae filius, aer nempe omnia permeans heic pro vento ponitur. Circa vocabulum *Ráma*, *&* *Sida* vide diction. R. P. Iohannis Erneſti Hanxleden ſub his vocibus. Iam ſupra obſervavimus ſecundum veteres ſcriptores Graecos & Romanos unum eumdemque Bacchum dupli-ci for-

(1) Clemens Alex. lib. 3. Strom. §. 194. ait: *Aliqui autem* (Brahmanes) *colunt Herculem & Panem*. Hercules ſol, Pan ventus in Graecis monumentis fiſtula inſtructus exhibetur, in Indicis flabello muſcario vel cythara *kinnara* dicta, quae pariter duo inſtrumenta attributa ſunt ventum ſeu aerem, cuius vibratione ſonant, recte exprimentia. Flabellum muſcarium ad ſolis aeſtum vento temperandum inſervit. Pan ergo ſeu Hanuman ventorum praefectus eſt, *Báli* & *Sugriva* pariter Simii, Satyri vel Fauni, Shrirámae ſeu ſolis diurni comites & bellatores, venti & duces ſubditi ſunt ſoli famulantes. Confer librum *Asiatick reſearches pag.* 257. ubi ex Gyraldo Pan deus Bacchi comes fuiſſe adſtruitur in ſua Indica expeditione. Omnia haec hodiedum ante delubra Indica exhibentur; ubi inter choreas ſaltatricum *Dévadási* dictarum ſeu Baccharum, inter crotala, tympana, & tubas ſeu boum cornua ſonantia, Shriráma facie ſubviridi cum his Silenis pariter rubeo colore in facie oblitis, ac denique cum Rávana inſulae Ceylan rege Plutone populo ſpectandus proponitur. Ubi obſervandum, Plutonem divitiarum & noctis deum in inſula Ceylan gemmis & margaritis refertiſſima conſtitutum repraeſentari.

ci forma, iuvenili nempe & formoſa, altera vero ſenili fingi ſolitum fuiſſe. *Liberi patris ſimulacra partim puerili aetate, partim iuvenili fingunt: praeterea barbata ſpecie, ſenili quoque*. Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 18. Et ſupra: *nulla ex his dubitatio ſit ſolem ac Liberum patrem eiuſdem numinis habendum*. Et circa finem eiuſd. cap. *Virgilius ſciens Liberum patrem ſolem eſſe & Cererem lunam, qui pariter fertilitatibus glebae, & maturandis frugibus vel nocturno temperamento vel diuturno calore moderantur,*

. . . . Veſtro (ait) *ſi munere tellus*
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.

Deinde cap. 17. haec habet: *Hieropolitani, qui ſunt gentes Aſſyriorum, omnes ſolis effectus atque virtutes ad unius ſimulacri barbati ſpeciem redigunt, eumdemque Apollinem appellant . . . . ſimulacrum thorace munitum eſt, dextera erectam tenet haſtam, ſuperſtante victoriae parvulo ſigno . . . Summis ab humeris velamentum anguibus tegit ſcapulas, ante pedes imago feminae eſt, cuius dextera laevaque ſunt ſigna feminarum. Ea cingit flexuoſo volumine draco.* Supra dixerat: *in monte Parnaſo Bacchanalia agi, ubi & Satyrorum frequens agitur caetus & cymbalorum crepitus ad aures hominum perveniunt*. Ex his itaque ſupra allatis nullum mihi dubium ſupereſſe videtur, Ráma Indicum deum Bacchum iuniorem & formoſum, ſolem diurnum eſſe, quemadmodum Shiva ſeu Bacchus ille ſenior ſol nocturnus eſt, ac iudex mortuorum, habitator montis Meru & ſol omnia deſtruens. Hic terribilis forma, tribus oculis, quorum unus in fronte eſt, inſignitus, vindex criminum, animarum poſt mortem, larvarum noctu vagantium, daemonum, quos Bhudanguel vocant, dominus, inferni & poenarum praeſes eſt, ille vero iunior Bacchus ſeu Shrirâma dux ſtrenuus bellator & rex, arationis inſtitutor, Indicarum legum conditor, urbium conſtructor, perverſorum Indiae regum, qui Shivam ſeu ſolem illum vindicem adorare nolebant, flagellum ac vindex in mythologia Brahmanica eſſe perhibetur. Hic in aliquibus ſimulacris arcum & ſagittas, in aliis ſerpentem vitae attributum manibus gerit, & huic Hanuman ſeu Pan deus,

ven-

ventus nempe famulatur. Uxor eius Sidâ, id eſt terra Indica eſſe fingitur, pro qua ipſe pugnat contra Râvana regem inſulae Ceylan gigantum principem, qui ipſi eam eripuit, ſed iterum reſtituere compulſus fuit (1). Unde Arrianus qui Bacchum hunc iuniorem ſeu diurnum ab altero ſeniore ſeu nocturno non diſtinxit, Baccho huic iuniori ſtabilimentum Indicarum legum & urbium attribuere cenſendus eſt, dum ait in Indicis *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 321: *Hic* (Liber) *primus etiam boves aratro iunxit, & pleroſque Indorum ex erronibus aratores fecit, martiiſque armis armavit, urbes condidit, iiſque leges ſanxit, diſcedens ex India Liber pater Spartembam unum ex amicis regem Indis praefecit, quo mortuo ad Budyam eius filium regnum tranſiit.* Quod autem Arrianus ipſe non crediderit Bacchum verum Indicae gentis inſtitutorem fuiſſe, patet ex eo, quod ſupra de Baccho dicat: *atque haec poetae finxerunt*. Concinit Arriano Diodor. Sic. Bibl. hiſt. lib. 2. pag. 61. *Indiam multae variaeque incolunt gentes, quarum nulla originem extra Indiam trahit, ſed omnes indigenae appellantur. Numquam externa colonia illuc adiit, neque ipſi ad alias gentes miſere: artes & cetera ad vitam neceſſaria paullatim adinventa utilitate homines docente.* Et infra: *Cum leges apud Indos variae habeantur, admiratione tamen dignae hae fuerunt a priſcis eorum philoſophis editae.* En itaque originem Indicarum legum & civilis cultus! Leges tamen iſtae Baccho ſeu Shrirámae adſcriptae fuere ab his philoſophis, ut legislationi ſuae auctoritatem & firmitatem darent. Secundum caeli ſyſtema terreſtrem mundum Indicum inſtitutum fuiſſe, iam ſupra diximus, & Strabo aliique apertiſſime docent Brahmanes *phyſiologiam & aſtronomiam* coluiſſe, ut nempe hodiedum excolunt (2). Unde apud Indos trium legum, quas *Ircu ſáma yagiurvedam* vocant, prima origo & inſtitutio, non Râma ſeu Baccho, ſed philoſopho aut contemplatori *Vedavyáſen* dicto, attribuitur; quemadmodum & leges civiles Manu regi adſcribuntur.

Has

(1) Id eſt, ſol ſuis radiis noctem, qua terram Indicam Pluto ſeu Râvana tenebrarum praeſes immanis Gigas obvolverat, depulit, & ſol ſibi luce ſua Indiam reſtituit.

(2) Vide Baillium: *Eclairciſsement aſtronomiques livre troiſieme pag.* 323. *& seq.*, et Baillio praeſtantiorem accuratioremque Waltherum de doctrina Indica temporum ad calcem hiſtoriae regni Bactriani.

Has vero leges, religioſum & civilem cultum cuicumque Scythicae, Perſicae, Arabicae aut alterius in Indias irruptioni anteriores eſſe, ac proinde textum Iuſtini & viſiones D. Bailly, de Paw & d' Hancarville nullatenus ſuſtineri poſſe, patet ex eo, quod ut iam ſaepe diximus, Indicae leges evidentem cum aſtronomico ſyſtemate ac caeleſti mundo habeant analogiam, ut toto hoc opere vidimus, atque ſacrificia, mythologia, philoſophia, ipſa denique inſtituta philoſophica hodiedum in Indiis exſiſtentia, omnino ex aſtronomia & philoſophia, profunda denique metaphyſica deſcendere videantur. Adde his, quod omnia fidei, religionis, hiſtoriae fabuloſae, moris, denique conſuetudinis, ſuperſtitioniſque capita localia ſint, & Indiae fluminibus, montibus, templiſque affixa, ut attento rerum examinatori populum originalem, vicinis ipſis vetuſtiorem & caput, in ſuis denique principiis nationem adhuc incorruptam exhibeant. Non itaque tam facile ex Scythia & a Scythico Baccho gens Indica deducitur, ut putant ſomniatores noſtri. Strabo, poſtquam pleraſque de Baccho Indico veterum opiniones retulerat, tandem concludit: *quae omnia eorum figmenta eſſe, qui Alexandro adulari ſtudebant, certum eſt ex eo maxime, quod ſcriptores non concordant, ſed alii de hoc mentionem faciunt, alii minime, tum etiam ex eo, quod ii, per quos Herculi & Baccho tranſeundum erat, nullum ſignum habent, quo oſtendant illos per illam terram tranſiviſſe.* Cultum lingamicum, inſtituta philoſophica, lotiones corporis, exuſtionem (1) viduarum, diſtributionem tribuum, vaccae cultum &c. Brahmanicae philoſophiae partum eſſe conſtat, ita ut omnino verum ſit hoc quod Strabo dicit, Indos veri & realis hiſtorici Bacchi *nullum monumentum exhibere poſſe*. Ipſi primi Indiae reges a ſole & luna claris & diſtinctis vocabulis in prima ſtropha libri Indici Bhàgavadam deducuntur, & D. Bailly primum Indiae regem ſtatuit ad annum 3553. ante Chriſtum natum. An non conſultius erat eum conſtituere ad primum creationis mun-

(1) *Cum multae mulieres* (Indicae) *corrumperentur, & per intemperantiam alios adamarent, nec poſſent honeſte deficere ab iis, quos primum elegerant, in eodem contubernio habitantes veneno necabant. Legem tulerunt* (Indi) *ut uxores ſimul cum maritis concrementur, exceptis gravidis aut habentibus natos.* Diod. Sic. lib. XIX. p. 626. edit. Baſ.

Digitized by Google

mundi diem, quo ſol et luna creati fuerunt? Confer de his *pag.* 173. grammaticae Samſcrdamicae, *pag.* 2. *& ſeq.* hiſtoriae regni Graecorum Bactriani, Strabonem *lib.* 15. *ſub initio*, ubi ait: *Dicit enim* (Megaſthenes) *nec ab Indis umquam emiſſam expeditionem, nec extrinſecus in Indiam quemque cum exercitu profectum eſſe aut viciſſe praeter Herculem & Liberum patrem & nuper Macedonas*. Et dum infra de Baccho fabuloſo agitur, non diſſentit Indos multa ab hoc accepiſſe. *De philoſophis dicit quod qui ſunt montani Bacchum celebrant* (nempe ſolem) *ſigna quaedam oſtendentes, quod ſolum apud eos agreſtis vitis naſcatur. Bacchicum eſt etiam ſindonem & mitras geſtare, & unguentis & floribus tingi, & tympana & tintinabula exeuntem regem praecedere*. Ita Tibetani quoque a ſimio deſcendunt nempe a Bacchi iunioris ſeu Shriràmae comite & duce eximio Hanuman, ſeu a Pan deo ſolis et lunae filio, hunc ipſi Praſrinpo et uxorem eius Praſrinmo vocant, atque aetatem eorum ad 1340. ante Chriſtum natum conſtituunt. Hic ergo eſt ille fabuloſus Parashriràma Indicus cum uxore ſua, dii et inſtitutores Tibetanae gentis, qui primi conditores eſſe creduntur, cum tamen origo civilis cultus, philoſophiae, Lhamaiticae religionis nihil aliud ſit, quam ſurculus aſtronomiae et philoſophiae Brahmanicae. Unde fatentur ipſi primum terreſtrem et hiſtoricum regem Tibetanum ex Indoſtan anno ante Chriſtum natum 1193. aſſumptum fuiſſe, Cenreſi primum et maximum eorum deum nihil niſi ſolem eſſe; is enim florem padma, arcum et ſagittam, vas aeneum, coronam precatoriam, rotam ferream, omnia denique Shivae ſeu Sebaſii Indici et Brachmanici dei, ſeu ſolis attributa gerit. Is ipſe in pectore alterius ſexus indicia ſeu VI. yoni vel matrices praeferre videtur (1). Quidni igitur hic Indicus Bacchus Brahmanicae mythologiae commentum ſit? Quemadmodum enim Shiva ſive ſol nocturnus in monte Meru habitat, ita iunior Bacchus Shriràma ſol diurnus ex Ayodya regno, quod pariter ad montem Meru ſitum eſt, proceſſit, ſuis radiis Indiam, hoc eſt tenebras et nubes in India exſiſtentes aliaque nocturna monſtra debellavit, Sidam terram Indicam uxorem ſuam Plutoni eripuit et luci reſtituit, aratio-

(1) Vide Alphab. Tibet. pag. 176. 177. 160. 161. 292.

arationem docuit, ſemina terrae mandavit, Titanes ſeu gigantes, malum ſtellarum influxum ipſe cohibuit, vitem plantavit, calore et humore ſuo ad maturitatem perduxit, urbes diu conſtituit, leges phyſicas omnibus creſcendis praeſcripſit, Ràvana regem Ceylan, ubi Indicus ſol occidere et aquis imergi creditur, tamquam in ultimo Indiae termino et extra mundum ſito, aggreſſus eſt, ope venti Hanuman eum devicit, et Sidam Indicam terram, quam ipſi gigas Ràvana ſeu Pluto erripere voluit, bello acerrimo confecto libertati ſuae reſtituit. Lege de Baccho Indico *Dionyſiaca Nonni Panopolitae*, cuius inſigne fragmentum heic adducerem, niſi muſeo Indico conſtituta brevitas obſtaret. Lege etiam librum *Rámáyenam*, qui ſex voluminibus continetur, ſcriptuſque eſt lingua Samſcrdamica, et Malabarica, et cuius ſynopſim exhibet R. P. Ildephonſus *in codice manuſcripto num.*20. *inter codices bibliothecae S.Cong.tract. de Shrirámа* (1) *a cap.*1. *uſque ad* 24., Arnobium *lib.*5. *contra gentes*, Plinium *hiſt. nat. lib.*6. *cap.*17. Clement. Alex. *Cobort. ad gentes* §.5., & Macrob. *lib.*1. *Saturn. cap.*17.

Hic idem Shrirámа ſubviridi aut caeruleo colore pingitur, quod ſane debellato Plutone ſeu Rávana rege inſulae Ceylan ſolis ſeu Shrirámae iunioris Bacchi immerſionem in mare ſeu occaſum & ad infernum tranſitum eius innuere videtur. Unde Plutarch. *quaeſt. Rom.* ait: *Veni heros Bacche marinum ad tuum ſanctum templum cum Gratiis*. Et revera inter inſulam Ceylan & oram piſcariam ad pontem Ráma, falſo pontem Adami dictum, adeſt an-

T tiquiſ-

(1) In hoc libro *Ràmayenam* inſcripto, *cap.* 1. oſtenditur, quomodo Vishnu (deus nempe mundi conſervator) in regem Shrirámа ſeu Bacchum transformatus fuerit, & multae fabulae de ſerpente, de rota Ciacram ſymbolo dei Vishnu, quo per continuam rerum generationem & corruptionem mundum conſervat, denique de ſimia & ſerpente in uterum concubinae regis Dekshareda intrante afferuntur; *tum cap.* 9. multa de progenie *Hanumàn*, *Bàli* & *Sugrivae* ſimicorum regum, ac de aliis eximiis ſimiis & Silenis montium incolis ſeu ventis adducuntur; *cap.* 11. concilium gigantum ſeu Titanum & nocturnorum ſpectrorum contra Ráma deum deſcribitur: hic Ráma praecipit Sileno Hanumán, ut pontem ſuper fluvio Styge inter Indiam & inſulam Ceylan exſtruat, per quem ipſe cum ſuo exercitu tranſire poſſit ad Rávana regem noctis occidendum; *cap.* 21. Rávana Pluto rex inſulae Ceylan deducit Shrirámam ſeu Bacchum arte magica ad infernum ſeu ad limbum *Pàdàlam* dictum; & *cap.* 24. Shrirámа, occiſo gigante Rávana, tradit regnum inſulae Ceylan Bhishmae regi, ſeu cuidam giganti terribili quod *Bhishma* ſignificat, & ipſe in Ayodyam patriam ſuam ab occidente ad ortum revertitur.

Digitized by Google

tiquiſſimum & celeberrimum templumRámishvaram ad mare ſitum, Ramae ſeu Baccho huic iuniori dicatum, quod hoc argumentum confirmare videtur, uti etiam Bacchanalia Indica Ramſa dicta & in honorem Ràmae dei celebrari ſolita. Adde his, quod in ipſa urbe Roma plura antiqua monumenta indicare videantur, diſtinguendum eſſe Bacchum iuvenem a ſeniore, id eſt ſolem diurnum a nocturno. In urnis ſepulcralibus villae Principis ab Aurea Pamphilii, quae intra aedes exſtant, & in aliis hortorum Ludoviſianorum & Burgheſiorum icones ſculptae Bacchi iuvenis triumphum ducentis repraeſentantur. Bacchus iuvenis inſidet elephanto aut tigribus vel leonibus vehitur, arcu & ſagittis pugnat, plenus furore bellico eſt. Obvios hoſtes ſine certa lege et ordine fundit, clamando et exhortando pugnat, Silenis & Baſſaridis mulieribus circumdatus eſt. Quae quidem omnia diurnam ſolis cum ſtellis, aethere vel vento revolutionem indicare videntur, uti etiam in aliis urnis Bacchus ſenior cum lingam ſeu generationis emblemate ſatis obſceno modo exhibetur, atque ſimul vitae et mortis dominus eſſe oſtenditur, qui poſt obitum in profunda nocte animarum curam habeat (1). De Sida Ràmae uxore haec habet vetus codex manuſcriptus incerti auctoris: *Si vede, dice Mr. Delon ſulla porta d' una delle città del picciol regno di Ciringapatam una ſtatua di Sida, che ha a ciaſcuno de' ſuoi fianchi tre famoſi Togui o penitenti nudi in una poſitura indecente*. Hoc ſi verum eſt, Sidam Ràmae uxorem, aut terram, aut lunam progeneratricem ſolis ſeu Bacchi uxorem eſſe innuere videtur. De Hanuman ſimio, quem pictum exhibet ea forma, qua inter Nepalenſes adoratur, haec habet R.P. Conſtantinus ab Aſculo: *Hanumàn, idolo di roſſo colore, tiene in mano un monte, un ramo d' albero, il martello, ed il tridente*. Haec attributa oſtendere videntur Hanuman Ràmae comitem, id eſt ventum una cum ſole Indico montium incolam, cum

(1) Vide antiquam urnam in aedibus Farneſiis in extremo cubiculo exſiſtentem, in qua laſcivos Satyrorum actus, rudem figuram ſolis radiis amictam, & frugum liba phallo ſolis ſymbolo fieri ſolita, ipſum denique femineum ſexum caelatum, omnia generationis emblemata offendes. Et Plutarchus in Apophteg. *Ad haec Pompeius dixit, ignorare Syllam, quod plures orientem solem adorent quam occidentem. Quo audito Sylla exclamavit: triumphet*. Confer muſei Clementini *tom. 4. tab. XXVI. & seq.*

Digitized by Google

cum ſole frugum creatorem, denique Bacchi in mare immergentis tridente aquae ſymbolo, inſtructum famulum fuiſſe. Vide heic figuram Ramae, Sidae et Hanuman, quam ex muſeo Borgiano Velitris exhibemus.

Haec igitur eſt mythologica dei Râmae deſcriptio. Qui geſta Râmae hiſtorice explicant, Râma deum *Chus* vel *Kuſs* eſſe putant, ut Calcutenſes Angli *tom.* 1. *pag.* 275. *&* 258. Alii eum *Samſonem* eſſe arbitrantur ut R. P. Iohannes Brito, alii *Nembrod* eſſe credunt, qui in Indias penetraverit, ut Bochart, Sonnerat denique *regem* aliquem *Peguanum* eſſe autumat, qui in Indias bellum movit, et Indos varia dogmata edocuit. Horum opiniones leviculas examinet cui placet, atque cum iis, quae nos attulimus, conferat, quae omnia cum contulerit, expenſis utriuſque partis momentis credat quod ſibi exquiſitius eſſe videbitur. Legantur etiam ea quae de Chus, Cashgar, Kaſchar ſeu de antiqua Kathaya ſcite diſſerit R. P. Georgius *in Alphab. Tibet. pag.* 343. *uſque ad pag.* 357. Denique Dionyſiaca Nonni Panopolitae (1) *lib.* 34. 35. 36. *& ſeq.* Ex quibus perſpicies non ſolum Nonnii Bacchum cum Shrirâma valde convenire, ſed poema illud fortaſſis ex Indico libro Râmâyenam deſumptum fuiſſe, quamvis ibidem Bacchum illum Arabem fuiſſe contendat, quod non adſtruit liber Râmayenam, qui eum ex Ayodya veniſſe, et bello confecto iterum illuc rediiſſe docet, quod vide in ſupradicto codice manuſcripto R. P. Ildephonſi a Praeſentatione olim Malabariae Miſſionarii qui de hoc Baccho Shrirâma plurima ex libris gentiliciis Indicis affert (2).

(1) *Nonni Panopolitae Dionysiaca.* Edit. Hanoviae 1605. cum lection. Gerardi Falkenburgii.

(2) Cum certum exploratumque ſit, a deo Vishnu in prima ſua incarnatione pientiſſimum Manu regem Indicae gentis conditorem ab univerſali diluvio liberatum fuiſſe, in libro Bhágavadam ſcribi, atque ſub Krshnae dei aſtronomico involucro veri Indici Pándavae reges latere videantur, ut infra aperiemus, ſane & ſub hac aſtronomica Shrirámae dei fabula aliquis verus heros latere poteſt. Ratio in promptu eſt: facta terreſtria aſtris, & viciſſim nomina aſtronomica & caeleſtes ſiderum motus factis terrigenis adſcriptos fuiſſe videmus. Verum poſita baſi aſtronomica, a verá & hiſtorica dei Rámae origine & geſtis inquirendis in tantis rerum aſperitatibus & temporis anguſtiis nunc abſtinendum eſſe cenſuimus.

കൃഷ്ണ
KRSHNA

TAB. XIX.

Nona incarnatio dei Viſhnu, quae ad conſervationem mundi, ac praecipue ad ſalutem Indicarum regionum refertur, eſt കൃഷ്ണവതാരം krshnavadáram, quod proprie incarnationem, vel etiam deſcenſum in Krshnae perſonam ſignificat. കൃഷ്ണ krshna rem nigram denotat, ſic കൃഷ്ണവൎണ്ണം krshna varnam *color niger eſt*. Proinde deus Viſhnu in Krshna incarnatus perſonam *nigram* indicat, & revera Viſhnu ſub hac incarnatione niger pingitur. Duo ſimulacra Indica ex aere fuſa Krshnae dei exſtant in muſeo Borgiano Velitris. Uno repraeſentatur puerili aetate, vultu eleganti & ad riſum compoſito, ſtans & ambabus manibus butyrum tenens, quod a paſtoritiis mulieribus *govaſtriguel* dictis, cum quibus familiariter agebat, ſuffuratus fuerat, ob quod furtum etiam egregius hic puſio vapulavit. Aliud ſimulacrum eum inclinatum & repentem exhibet, ita ut uno genu humum premat, aliud vero genu paullulum elevatum teneat. Una itidem manu butyrum gerit, alia reptando ſolum premit, In fronte ſignum ſanctum hoc modo deſcriptum  habet, & iſtud ſive dei Shivae oculum in medio frontis promicantem, ſive lunam, ſive lotum matricis Bhavani deae ſimbolum, ſive denique lingam cum yoni ſeu matrice coniunctum refert; id quod nos accuratius in grammatica Samſcrdamica explicavimus. Ex collo lotum florem appenſum apertumque geſtat, in planta pedum & vola manuum quadrangulum deſcriptum habet, in cuius medio prominet punctum, quod ſolis vel turpis lingamici cultus indicia & myſteria continet. In nonnullis ſimulacris, ſtatuis, picturis aut imaginibus Krshna nigra facie ſtans iuvenili forma & fiſtula canens exhibetur, & ſub tali figura & ſpecie exſtat in aedibus Regis Travancoridis in arce Tiruvandapuram. Ad latera adſtan-

Digitized by Google

tes mulierculas paſtoritias, ipſum vero in medio exſiſtentem, atque ambabus manibus illas amplectentem, aliae multae imagines eum repraeſentant, & haec ſimulacra omnia vitam eius paſtoralem ſatis indicant. Incarnationes Vishnu dei in regem Ràma & Krshna, inter reliquas novem aut decem principem locum tenent, & quia celeberrimae ſunt, aequum eſt, ut in hanc ultimam inquiramus, poſtquam illam iam ſupra pro viribus enucleavimus.

Ingens farrago ſcriptorum & opinionum mihi primo ſtatim obtutu occurrit, dum attentius hunc celebrem deaſtrum conſiderare intendo. Sonnerat (1) in haec verba prorumpit: *Quichena* (en corruptores vocabulorum Indicorum! Scribendum eſt Krshna vel Crshna) *paroit etre le meme qu' Apollon gardant les troupeaux d' Admete, & terraſſant le ſerpent Python &c.* Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches* (2) poſtquam formam Krshnae deſcripſerant, ita concludunt: *In this picture it is impoſſible not to diſcover, at the firſt glance, the features of Apollo, Surnamed Nomios, or the paſtoral in Greece, and opiſer in Italy &c.* Deinde hiſtoriam Chriſti Domini ex apocryphis Evangeliis corruptam & in Indias allatam illi Indicae de Krshna fabulae inſertam fuiſſe autumant, ac denique pag.425. haec habent: *If an etymologiſt were to ſuppoſe, thas the Athenians had embellished their poetical hiſtory of Pandions expulſion and the reſtoration of Aegeus with the Aſiatick tale of the Pandus and yudhishtir, neither of wich Words they could have articulated, I should not haſtily deride his coniecture.* Exiſtimant ergo ipſi geſta Krshnae ad Graecos referri poſſe, aut illos ab Indis hiſtoriam regum ſuorum Pandion dictorum accepiſſe (3). Sed an Admeti & Pandionum Graecorum aetas, tempus, & geſta in unam eamdemque epocham coincidunt? R. P. Georgius in Alphab. Tibet. *pag.* 253. 54. 255. 157. & alias paſſim, Krshna deum Indicum ex apocryphis Evangeliis in Indas perlatis nomen Chriſti corruptum, Chriſtum ipſum, primum hominem Manichaeorum eſſe exiſtimavit. Videamus ergo in tanta opinionum varie-

(1) Sonnerat. *lib.* II. *pag.* 303. *edit. in* 8.

(2) *On the Gods of Greece, Italy, and India.* pag.259., & ſeq.

(3) De Pandione rege Graeco vide *Natalis Comitis Mythologiae lib.* IX. *c.* 10., *Clement. Alex. & Euſebium.*

varietate quaenam epitheta Brahmanes ipſi huic deaſtro in vocabulario Amaraſinha adſcribant. Sect. I. *Sorggavarggam* inter nomina Vishnu ſequentia vocabula deo Krshnae attribuuntur: കൃഷ്ണ krshna, *niger*, *deus krshna*, കേശവഃ késhavá *crinitus*, മാധവഃ mádhava, deae Má ſeu Lekshmi maritus, nempe Vishnu. പുണ്ഡരീകാക്ഷഃ punarikàksha *oculos habens tàmarae ſeu padmae* vel *loti floris*, മധുരിപു madhuribu *hoſtis*, *adverſarius Madhu* (gigantis), ദേവകീനന്ദനഃ dévagynananá *filius Devagui*, ഗൌരിഃ gauri *Bengalinus*, Gangeticus, പുരുഷോത്തമഃ purushottama *virorum optimus*, വനമാലിഃ vanamàli *ſerta florum portans*, കംസാരാതിഃ kamſaràdi, *Kamſa regis occiſor*. Ex his ergo epithetis iam ſatis perſpicue Krshnae dei origo & qualitas dignoſcitur. Verum ut apertiorem de eo notionem nanciſcamur, inſpiciendus eſt praeprimis liber Brahmanicus യുധിഷ്ഠിരവിജയം yudhishdiravigeam inſcriptus, in eo enim huius dei origo, bella, actiones locupletius, nec minus eleganter deſcribuntur, & hic codex, quem ego ſacra lingua Samſcrdamica exaratum ad manus habeo, huius incarnationis dei Vishnu in Krshna, baſis, legis compendium, & totius Indicae fidei de Krshna canon eſt. Rex *Yudhu* habuit duos filios, unum nomine Tredareda, alterum Pandu vel ut alii corrupte ſcribunt Pannu. Ille genuit centum filios, quorum primogenitus fuit Duridena. Rex Pandu quod inter venandum inſcius & praeter intentionem ſagitta confixiſſet cuiuſdam Irshi ſeu ſancti heſychaſtae (1) uxorem; tunc in forma cervae marito ſuo cervo colludentem, ab heſychaſta

(1) Heſychaſtas iſtos ſeu contemplatores ex vetuſtiſſima Indorum opinione aſtra & planetas eſſe nos iam ſupra meminimus. Ergo haec fabula allegorica eſt, & ad aſtronomiam referenda, atque ex ea, aliiſque iam dictis, & dicendis apertiſſime & planiſſime comprobatur: Indicae idololatriae baſim & originem Sabaiſmum ſeu aſtrorum cultum eſſe & fuiſſe.

ſta illo anathemate percuſſus fuit, quo quidem irretitus rex protinus perire debebat, ſi ipſe uxori ſuae coniungeretur. Maledictum hoc regem Pandu non parum maerore replevit, ab uxore etenim abſtinendum erat, niſi mori vellet. Sed regis uxor Cundi nomine, ſagaciſſima mulier, abſque complexu mariti, ope cuiuſdam magicae oratiunculae, quam iam olim didicerat, ſe filios gignere poſſe marito fidem adſtruebat. Huius itaque orationis virtute ſine mariti interventu natus eſt Cundi mulieri primus filius *Dhermaputra*, ſecundus *Bhima* vel *Bhimen*, tertius *Argiuna* fortiſſimus bellator, quartus *Nagala*, quintus *Sabadéva* (1). Contra mulier Candari praedictae Cundi filiae regis Tredareda & uxoris Pandu iurata hoſtis, ex filio *Karna*, quem ope orationis magicae olim ex ſole conceptum puella Cundi per auriculam pepererat, & Cundari in ſecreto loco educaverat, centum & unum filios ſuſcepit. Hi iam aetate provecti, de illegitima ſeu non naturali nativitate quinque praedictorum fratrum, certiores facti, emortuo patre Pandu, a quinque illis filiis regnum Pandu patris adiri poſſe negabant, & ipſi in ſucceſſionem, ac bona avunculi Pandu omni conatu adſciſci volebant, renitebantur vero quinque fratres filii regis Pandu, atque hinc oritur horrendum illud & interminabile bellum, quod liber Yudhishdira deſcribit. Filiis Pandu Pandava dictis, a centum ſuis conſobrinis in anguſtias redactis, apparet deus Vishnu ſub nomine Krshna, & cum Argiuna contra illos centum ardens bellum gerit, hoſtes fundit, heroem Karna occidit, v. fratres regno reſtituit, & abſoluto bello Krshna iis valedicit, in arbore ſagitta confixus ipſemet perit, atque poſt mortem ipſius triginta annis adhuc revolvendis aetatem ferream *kaliyugam* dictam adventuram praedicit, in cuius indicium futuras hominum iniquitates & calamitates paucis commemorat. In libro *Bhágavadam*, cuius primas ſtrophas a me in linguam latinam verſas in grammatica Samſcrdamica habes, haec praecipue de Krshna narrantur. Krshna natus eſt in urbe *Madu* (quam vigintiquinque leucis Indicis, quarum

(1) Dhermaputra *virtute praeditus* Nágala *serpentinus*, Sahadéva *patiens*. *filius*, Bhima *terribilis*, Argiuna *albus*,

rum quaevis 2500. paſſibus geometricis conſtat, ab Agra diſtare dicunt) ex ſorore regis *Kamſa* nomine *Devagui*; & in hoc etiam vocabularium Amaraſinha, ut ſupra vidimus, convenit. Haec Devagui ſeptem genuerat filios, & horum ultimus erat Krshna. Hunc ſolum peremptis aliis ſervavit mater eius *Dévagui* & pater *Váſudeva*. Hic etiam cum a Kamſa avunculo ad necem quaereretur, pater illius & genitrix fuga vitam puſionis ſalvarunt, & cum torrentem periculo plenum vado tranſirent, comitem & protectorem habuere ſerpentem *Caliga* dictum, qui caput ferebat infantis, atque a ſolis radiis & pluvia defendebat. Poſtquam adoleverat Krshna, proſtravit omnia monſtra, quae ad eum occidendum mittebat Kamſa rex, atque hunc ipſum occidit, & divinitatis ſuae ubique frequentia & certa ſigna dabat. Deinde matrimonium iniit, vitam paſtoralem egit, ſerpentem Caliga interfecit, butyrum furatus eſt, fiſtula canebat, cum ſexdecim millibus centum & octo paſtoritiis mulieribus, quas omnes una nocte inviſebat & replebat, in ſilvis, in campis, inter flores & pecora verſatus eſt, vaccas pavit, bella geſſit, ac tandem, bello Pandavarum abſoluto, a magiſtro ſuo, & poenitente quodam *Divaſa* dicto maledictus, in arbore a quodam homine *Beren* nomine, ſagitta confixus Krshna deus mortuus eſt. Triginta ſex annis poſt mortem illius aetas *kaliyugam* incepit. Haec itaque vera, ſincera, & ſelecta ſynopſis eſt originis & geſtorum dei Krshna.

Habita iam Krshnae dei origine, & praecipuis eius actionibus illuſtratis, videnda nunc ſupereſt, quantum id quidem fieri poteſt, gentis Pandavarum ſeu ſamiliae Pandu hiſtorica origo. Plinius hiſt. nat. lib. 6. cap. 16. haec habet: *Bactri, quorum oppidum Zariaſpe quod poſtea Bactrum a flumine appellatum eſt. Gens haec obtinet averſa montis Paropa miſſi, & adverſus fontes Indi: includitur flumine Ocho. Ultra Sogdiani oppidum Panda, & in ultimis eorum finibus Alexandria ab Alexandro magno conditum. Arae ibi ſunt Herculi ac Libero patri conſtitutae, item Cyro & Semiramidi, atque Alexandro*. Et cap. 20. haec habet: *Pauperior Charmarum rex elephantos ſexaginta parvaſque reliquas vires habet. Ab iis gens Pandae ſola Indorum regnata feminis*. Denique cap. 23. *Pandorum fines* com-

Digitized by Google

commemorat. Arrianus (1) de gente Pandaea haec affert: *Hercules filiam unicam habuit nomine Pandaeam. Regionem quoque in qua nata eſt, Pandaeam a filiae nomine appellatam.* Claudius Ptolemaeus Alexandrinus (2) Geographiae veteris *lib.7. tab.X. pag.94.* haec habet: *Circa Bedaſpum* βίδασπον, *Pandavorum* Πανδύων *regio, In qua civitates hae: Labaca, Sagala, Bucephala, Lomuſa. Quae inde verſus ſolis ortum ſunt, tenent uſque Vindium montem. Et in ipſis civitates hae: Salagiſſa . . . Modura quae* θεῶν, *id eſt deorum dicitur.* Adde his, quod Krshna ഗൌരി gauri id eſt Bengalinus vel Gangeticus in vocabulario Amaraſinha dicatur; quod in urbe Madu, unde *Madura*, & Ptolemaei *Modura* derivatur (3), natus ſit, ut idem illud vocabularium aſſerit; quod in contextu libri *Tudhishtira*, Cundi femina, ex qua Pandavarum gens orta, ex ſole id eſt ex Hercule ope orationis magicae filios illos concepiſſe dicatur; quod liber *Sambhavam*, cuius contextum in grammatica attulimus, luculenter doceat, Pandavas in bello gerendo fluvium Gangem tranſiviſſe; adde denique, quod Pandavae hi in libro *Tudhishtira* curribus, arcu, ſagittiſque, elephantis bellum geſſiſſe dicantur, quem belli modum veteribus Indis adſcribit Herodotus, Strabo, & Arrianus. Ex his ergo duo praecipua momenta mythologica inferenda eſſe videntur. *Primo*, Krshna ſeu Apollinem Indicum, primigenie ſolem ſignificare, & quidem ſolem in eclypſi, ac proinde fabulam hanc ad aſtronomiam referri.

(1) *Arriani Nicomedienſis expeditionis Alexandri M. lib.7. & historia Indica. Opera Iacobi Gronovii edit. Lugduni Batavorum* 1704. hiſt. Indicae lib.1. cap.1. pag.323.

(2) Argentorati apud Iohannem Grieninger anno 1522.

(3) *Madu* vel potius *Madhu* eſt nomen proprium, *ur* autem populum, coloniam ſeu patriam ſignificat: inde multa in India loca inſigniuntur v.g. *Tànùr* quod alii corrupte Tanor ſcribunt, terra, patria, locus humilis, humidus. *Pàlur* terra, colonia, patria ad pontem. *Cannanùr*, quod iterum alii corrupte Cannanor ſcribunt, terra, patria, locus multae Indicae arundinis ſeu arborum bambu dictarum, vel terra in qua multi & boni bubali naſcuntur. *Madur* unde corruptum Madura, terra patria Madu regis inſignis bellatoris, qui contra Krshna deum incarnatum pugnavit. *Citur*, & *Bedur*, quae D. de l' Ile more ſuae linguae Gallicae in mappa Indica Chitor & Bador linguae imperitus ſcribit & corrumpit. Ita pariter plurima nomina locorum Indicorum ex vocabulis pur, bur, buri, puri, buram, puram, quae omnia urbem, civitatem, vel oppidum ſignificant, componuntur: ſic Ràgiapur vel Ràgiapuri regis urbs, urbs regalis &c.

Notiſſimus eſt inter mythicos Indicos ſerpens *Seſſen* vel *Váſughi*, qui ſolem in eclypſi exſiſtentem devorare fingitur. Hunc ſerpentem ſeu Pythonem Krshna deus ſagittis ſuis, hoc eſt, radiis ſuis devicit & interfecit, & hic ſol *crinitus* dicitur ob radios. Filii Pandavae ex ſole ope orationis magicae progeniti ſunt. Ludi Apollinares apud Romanos victoriae ab Apolline obtentae cauſſa celebrabantur, ut notat Macrobius *lib.* 1. *Satur. cap.* 17., & ieiunium ac feſti dies Krshnae deo ſacri pariter ob obtentam ab eo victoriam a Brahmanibus celebrantur. Nec obſtat, quod vaccas paviſſe dicatur; nam, ut ait idem Macrobius, *non ex officio paſtorali ut fabula adſtruit, per quam fingitur Admeti regis pecora paviſſe: ſed quia ſol paſcit omnia, quae terra progenerat*; unde etiam hic idem allegorice omnes mulieres inviſiſſe, & dum uni coniunctus eſſet, ſimul & ſemel alias, nempe ſtellas, in ſolitudine, in caeli latifundio virtute, luce, radiis ſuis impleviſſe dicitur. Sic argumentare de ceteris, & confer Macrobium ipſum cap. citato (1). *Secundo* iam ſupra obſervavimus, ſyſtema caeli terrenis rebus ab Indis applicatum fuiſſe, atque reges & arces a ſole & luna in Indiis denominari. Quare fabula illa Brahmanica antiquiſſima etiam veris Indiae regibus convenit. Unde quemadmodum ſol in caelo cum planetis, ſtellis, & nubibus pugnavit, ita pariter hi ſolis filii terreſtres inter ſe bellarunt, atque hoc terreſtre bellum ex ſerie incarnationum dei Vishnu ad mille & amplius annos ante Chriſtum natum referendum eſſe videtur. In hoc terreſtri bello *Krshna* eſt nomen regis Indici veri, qui in urbe Madura natus eſt, ſol nempe terreſtris ſive Hercules, ut ait Arrianus loco ſupra allato.

Apparitionem Vishnu dei ſub nomine Krshna eiuſque geſta Calcuttenſes Angli ad mille circiter annos ante Chriſtum natum reiiciunt, & haec opinio probabilis eſſe videtur ex eo,

quod

(1) Sol ergo Krshna ſeu *niger* aut *fuſcus* dicitur, quia ex interpoſitione alterius corporis radiis & luce privatur, ſol butyrum furatus eſt, quia radiis & calore ſuo illud liquefecit & profudit, ſol floreo ſerto coronatur, quia florum creator eſt, ſol fiſtula canit, quia ipſe ventos producit, ſol ſtellis matrimonio iungitur, ſol a magiſtro ſuo Beren heſychaſta contemplatore planeta aliquo ſagittis, id eſt radiis configitur. Vide ipſum Krshnae ſimulacrum. Krshna ſolis ſigna in fronte deſcripta gerit, ex collo lotum geſtat, in pedum planta & manuum vola triangulo vel pentagono omnis generationis ſigno & principio diſtinguitur.

quod non videatur veriſimile, paullo ante aetatem praedictorum ſcriptorum ſupra allatorum urbem Madura & gentem Pandavarum formatam fuiſſe, quin potius manifeſte pateat, gentem illam iam dudum antea in Indiis exſtitiſſe (1). Adde, quod bella illa Pandavarum tertia aetate mundi Brahmanica geſta fuiſſe dicantur, & quod anni illi Brahmanici, & aetates mundi ſecundum computum annorum hiſtoricorum ibi computandi eſſe videantur; de qua re vide noſtras animadverſiones in fragmentum libri Bhágavadam. Confer codicem manuſcriptum P. Ildephonſi *num.20. inter codices S. Cong. de Prop. Fide*, *lib. 6. de lege Indorum & transformatione nona Vishnu dei*, Sonnerat *tom.1. pag.296. & ſeq.* & Franciſcum Pivatium *tom.8. pag.125.* in opere inſcripto: *Nuovo dizionario ſcientifico*. R. in Venezia. 1749.

(1) Primus Athenarum rex perhibetur fuiſſe Cecrops qui ex Aegypto veniens Athenas condidit. Huic ſucceſſit Cecrops ſecundus, ad cuius aetatem ex Chronicis Apollodori, & ex Tatiano Clemens Alex. & Euſebius Bacchi & Cereris in Graeciam adventum ſexcentis poſt Moyſem annis ſtatuunt. Cecropi ſucceſſit Cranaus & huic Amphictyon, Amphictyoni Erichthonius, & huic filius eius Pandion, qui & ipſe e regno pulſus fuit. Fabuloſi hi reges, iſti Cecropes ex Aegypto, ex Scythia (nempe Indoſcythia) in Graeciam veniſſe dicuntur. Quidni igitur Graecae fabulae de Pándu regibus ex India in Graeciam perlatae fuerint, & Indicis ſuperadditae aliae? *Pàndu* regem de quo agitur, *pàndura* albedinem, & *pàndu mandel* terram albam ſignificat, & haec a Graecis & Indis *Pàndu* regis patria ſtatuitur. Sive igitur tota haec hiſtoria de Pandavis vera ſit, ſive fictitia, ſive aſtronomica, ſive terreſtris, ad mille & amplius annos ante Chriſtum natum referenda eſt, & ab illo circiter tempore ludi Apollinares & feſta Brahmanica in honorem Apollinis ſeu Krshnae vel ſolis deducenda ſunt. Ad illud quoque tempus liber *Ràmayenam & Yudhishtira*, qui omnibus his fabulis occaſionem dederunt, referendi eſſe videntur; nam Brahmanes librarii noſtri ſunt, quidquid dicant Graeci & Latini, contra quos libri hi Brahmanici originales & non ſuſpecti, tot monumenta, ſtatuae, ſimulacra, templa, tota denique religio Indica aſtronomica ſemper clamabit. Vide Clement. Alex. Strom. *lib.1.§.137.* item §.33., Euſeb. *in proem. Can. Chronici*, Apollodorum *lib.3.*, Natalem Comitem mythologiae *lib.9.p.983.*, & Aſiatick reſearches *tom.1 pag.426.*

ബുദ്ധം

B U D H A

TAB. XX.

Budham, ſeu corrupte ſcriptum Buddam, Buttam, But, Pout, Voden, Wod, Both, apud Perſas & Indos divinitatis nomen eſſe, docet R. P. Georgius in Alphab. Tibet. *pag.* 373. Eum Arabice omnia attributa Ieſu Manichaeorum, & Xacae Tibetani, Sinenſis, & Iaponenſis exprimere aſſerit *pag. eadem*. Budham & Xacam eumdem eſſe, Samanaeorum praeceptorem, ex virgine natum, Manetem ipſum aut Manetis diſcipulum, filium dei Manichaeorum in ſpecem hominis transformatum, Tibetanae gentis inſtitutorem, in Tibeto cultum, Manetis praeceptorem, inter Brahmanes natum, & educatum, Manetis ſucceſſorem eſſe, alia denique plura adſtruit in pluribus Alphab. Tib. locis (1). Budham Vishnu deum eſſe nona incarnatione (accidentali) incarnatum defendunt Calcuttenſes Angli. Hunc eumdem philoſophum ſectae Budhiſticae inſtitutorem, atheum, cultus Indici innovatorem eſſe autumant iidem (2). De Paw, cuius caput vertigine philoſophica laborat toties, quoties de monachis ſermonem inſtituit, Budham orientalis monachiſmi inſtitutorem, religionis Indicae, Sinenſis & Tibetanae reformatorem, doctrinae metempsychoſeos accerrimum propugnatorem, contemplationis & monachalis inertiae primum ſatorem eſſe contendit, & quia hoc genus hominum & inſtituta ipſi ſummopere diſplicent, fecunda, ſed amarulenta dicacitate adeo ſtridet, adeo mordet, adeo in laceſſendo procax eſt, ut potius phreneticum morologum, quam philoſophum, & ab inſania liberum hominem eſſe iure merito dicere debeas. Hunc veriſſime inſanire, nos dilucide oſtendemus. Diſcipulus illius anonymus Gallus, ut iam ſupra meminimus, ipſo audacior ultra progreſſus eſt, & religioſa monachorum Chriſtianorum inſtituta a Budha & Samanaeis deducit. Inſa-

(1) Alphab. Tibet, pag. 269. 375. 302. 303. 335. 372. 382.

(2) Aſiatick reſearches tom. 1. p. 426. 427. 354. 344.

Inſanientibus iſtis ſycophantis ego iterum iterumque hoc in aurem ſerio inſibillatum eſſe cupio, ut priuſquam de exteris nationibus ſermocinari incipiant, linguam illarum gentium, mores, & conſuetudines, libros denique perſpectos exploratoſque habeant. Sed opus aggrediamur. Budham Mercurium eſſe, nos iam in grammatica Samſcrdamica invicte demonſtravimus, atque ex ibi dictis iam elucet, tot inſanarum inter Europaeos de Budha opinionum originem unice a profunda linguae litteralis Samſcrdamicae imperitia profluere. Verum quia liber ille paucorum teretur manibus, heic neceſſe eſſe videtur, ibi traditam doctrinam iterum paucis repetere. Budhae Indico in vocabulario Amaraſinha haec attribuuntur nomina. I. അൎഹതഃ arhada *venerabilis*, *obſequio dignus*. II. ക്ഷപണഃ kshebana *omnia derelinquens*. III. നണഃ nanna *bonus*. IV. ശ്രമണഃ shramana *diligens*. V. ജീവകഃ givaga *vivificator*. VI. സൎവ്വജ്ഞഃ ſarvagna *omniſcius*. VII. സുഗതഃ ſugada *bene procedens*. VIII. ബുദ്ധ budha *mens*, *ſpiritus*, *intelligentia*, *ſeu genius mente bona & ſpiritu bono plenus* (1). IX. ധൎമ്മരാജഃ dhermarágia *virtutis*, *beneficentiae*, *boni operis rex*. X. അഗതഃ agueda *non ambulans*, *contemplator*. XI. സമന്തഭദ്രഃ ſamandabhadra *ubique*, *ſemper*, *in omnibus partibus bonus*. XII. ഭഗവാൻ bhagaván *beatus*, *felix*, *ſanctus*. XIII. മാരജിൽ máragil *concupiſcentiae victor*. XIV. ലോകജിൽ logagil *mundi victor*. XV. ഷഡഭിജ്ഞഃ shadhabhigna *ſex ſcientias poſſidens*. XVI. ദശബലഃ dashabela *decem potentias habens*. XVII. അദ്വയവാദി advayavádi *ſibi non contradicens*, *diſſertus*, *in dicen-*

(1) *Mercurius hominum mentes & oculos excitat & ſopit, ut ait poeta:* Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ᾽ ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει. Macrobius *Saturn. lib.* 1. *cap.* 17.

dicendo ſibi aequalem non habens. XVIII. വിനായകഃ vináyaga *dominus*. XIX. മുനീന്ദ്രഃ munindra *aſcetarum*, *beſychaſtarum*, *ſilentiariorum praeſes*. XX. ശാസ്താമുനി sháſtámuni *praeceptor*, *beſychaſta caſtigator* (1). Haec itaque ſunt nomina & epitheta Budhae, quae de littera ad litteram ex vocabulario ſacrae & litteralis Brahmanicae linguae deſcripſi. Ex his iam patet: I. Cur nomen *Budha* apud varias gentes fuerit corruptum, nam littera Samſcrdamica ω, vel ഢ, quamvis uno ductu ſcribatur, duplex Latinum dd vel potius dh cum aſpiratione coniunctum includit. Illae itaque nationes quae littera illa deſtituuntur, vario modo eam ſupplent v. g. But, vel Buth, vel Bouth, vel Butta, vel Budda. Ita pariter aliae conſonantes fuere corruptae, unde aliqui ſcribunt Pout, Vod, Wod, Oden, Thot, Theut, Thout, Thoth, Fo, & Suidas Θωνθ κ̓ Θωθ, ὁ Ερμης. Clemens Alex. lib. 1. ſtrom. edit. Venet. pag. 359. Εἰσὶ δὲ τῶν Ἰνδῶν οἱ τοῖς Βούττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν κ. τ. λ. *Sunt autem etiam ex Indis*, *qui Buttae parent praeceptis*, *quem propter inſignem virtutem ut Deum honorarunt*. Addit vero Potterus: Βούτα, uno T. H. MS. *Sylburg. idem hic*, *quem alii Buddam & mendoſe Budham vocant*. Tertul. *de anima cap. 2.* habet: *Nedum divos ut Mercurium Aegyptium*, *cui praecipue Plato adſuevit*; ubi Pamelius legit *Theut*. Et Plato ipſe in Philebo: *Vocem* (Thamus Aegypti rex) *infinitam animadvertit*, *ſive deus aliquis*, *ſive divinus homo*, *veluti fama refert*, *huiuſmodi hominem nomine Theut in Aegypto exſtitiſſe*. Alii pro *Theut* legunt *Thout*, & *Thout*, vel *Toth*, ubi vides litteram B in vocabulo *But* vel *Both* iam corrupto, in T mutatam fuiſſe, quemadmodum eam Tibetani mutarunt in P, vel in V, quia lingua vulgaris Tibetana caret littera B, unde ſcribunt Tiput, Por-iit &c., quod vide

(1) *Quei sette pianeti luminosi*, *sole*, *luna*, *marte*, *mercurio*, *giove*, *venere*, *e saturno*, *venerati*, *e fra dei posti ancor nell' antichità da Roma gentile*, *si vedono a giorni nostri sotto diversi nomi nel regno di Nepal con copiosi sacrifici quotidianamente venerati*. R. P. Conſtantinus ab Aſculo ad *fig.* 48. Et infra *planetas ex opinione Indorum Nepalensium asserit esse ex ordine sacerdotali*, id eſt beſychaſtas, contemplatores conſiliarios, & philoſophos.

vide in Alphabeto Tibet. *part.* 1. *pag.* 14. *&* 15. Ita pariter corruptum eſt Scandinavianum ſeu Septentrionale *Wod*, *Vod*, vel *Oden*, & Sinenſe *Fò*. Neque aliter diſſerendum eſt de vocabulo *Dherma*, quod ſupra attulimus. Budha vocatur *Dhermarágia*, id eſt virtutis vel beneficentiae rex. In hoc vocabulo quod pariter per litteram ω, dh, incipit, nationes aliae antiquiſſimae Samſcrdamicae linguae imperitae, & quae ſola fama aut ex communicatione cum Indis nomen illud audierant, litteram H retinuerunt, neglecta littera d, quae tamen in vocabulo illo rectrix eſt, & nominis caput. Ex hac corruptione natus eſt Herma, vel Hermes Graecus & Aegyptius, & is quidem rex, legislator & ſapiens, quia Mercurius ſeu Budha allegorice rex virtutis & ſapiens eſſe dicitur. Inde tot fabularum de Herma origo, inde infinitae illae inter eruditos diſceptationes, an Herma verum aut allegoricum ſit numen. Adde his, quod in ipſa India Budhae nomen inter linguas gentilitias, quae a litterali Samſcrdamica deſcendunt, plerumque reperiatur corruptum. Unde P. Conſtantinus ab Aſculo Miſſionarius Nepalenſius in codice manuſcripto ſupra citato ad *figuram* 9. *&* 10. ſcribit बुध Budho, additque: *Bogha*, *ch' è l' iſteſſo che Budho*, eique pecuniam, butyrum, oryzam, frumentum, legumina a Nepalenſibus offerri dicit, ac animadvertit: *non volendo vittime de' animali*. Deinde: *Intorno al tempio* (Budhae) *vi ſono* (in civitate Pattan) *alcune abitazioni de' Tibetani*, *avendo queſti l' impiego d'uffiziarlo*. Hic idem Miſſionarius exhibet imaginem Budhae eodem plane modo quo nos eam heic proferimus ex muſeo Borgiano Velitris (1). Budha nempe ſedet in loto, & ſubinde abſque loto pedibus more Indico tranſverſis lingam cum yoni ambabus manibus ante pectus ſuſtentans, atque illud ſerio inſpiciens & conſiderans fingitur (2). Atque ſub hac etiam forma eum exhibet in Alphabeto Tibet. tab. IV. R.P. Geor-

(1) Duo exſtant in muſeo Borgiano Velitris ſimulacra Budhae. Unum aereum quod heic exhibemus, aliud pictum ea forma, ſub qua adoratur in Indico templo Iagarnat.

(2) Budham Sinenſem ſeu Fo, nempe ut virtutis regem corona redimitum, ex Kircherio allatum vide apud Pivatium *tom.* 8. *tab.* XXXVIII., ubi pallio amictus & meditabundus exhibetur. Eumdem Budham ſeu Sommonacodom Siamenſem meditabundum *vide tab* 32. *&* 30. *fig.* 1. *&* 3. confer etiam *fig.* 2. *tab.* XXXVII. *& fig.* 3. *tab.* XLIV.

Digitized by Google

Georgius cum hac epigraphe: *Hopame*, id eſt: *O padme o lote, o nymphaea*! haec enim yoni ſeu matricis ſymbolum eſt, in qua exſiſtit lingam. Unde ait Macrobius lib. 1. Satur. cap. 19: *Pleraque ſimulacra Mercurii quadrato ſtatu figurantur ſolo capite inſignita & virilibus erectis, quae figura ſignificat ſolem* (non eſt ſol ſed planeta mercurius) *mundi eſſe caput, & rerum ſatorem, omnemque vim eius in mente conſiſtere cuius ſedes in capite eſt*. Adeſt in muſeo Kircheriano inſigne aereum Mercurii ſimulacrum virilibus erectis, quemadmodum etiam in aedibus villae Ludoviſianae ſtatua praeclara, quae Mercurium ſtantem quidem, ſed meditabundum exhibet & corpore toto nudum, in pallio tamen ſuo religatos portantem nummos. Quae quidem omnia mirifice cum Budha ſeu Mercurio Indico conveniunt, nam hic Indis ſex ſcientias, id eſt aſtronomiam, aſtrologiam, divinandi artem, moralem doctrinam, ritus, medicam, & iuriſprudentiam quin & commercii exercendi ſcientiam tradidit, ut Thout vel Herma Aegyptiis, & Mercurius Graecis & Romanis. Quare idem ait Macrobius *Satur. lib. 1. c. 12. Contendunt alii Maiam* (Brahmanibus [illegible] *Máyá* dea imaginationis & faſcinationis ſenſuum) *Mercurii matrem eſſe, & menſe maio mercatores omnes Maiae Mercurioque ſacrificant*, quia nempe Budha ſeu Mercurius quemadmodum aliarum ſcientiarum & legum omnium conditor, ita quoque mercaturae inſtitutor eſt, ex qua cauſſa apud Graecos & Romanos vel burſam numis refertam, vel peculium pallio religatum defert. Unde iam bene ſolvuntur etiam illa, quae nobis ex S. Hieronymo, Clemente Alexandrino, & Ratrámo opponi poſſunt, quod nempe Budha per virginis latus, & ex virgine natus fuiſſe dicatur. Natus eſt ex imaginatione, ex Máya, quae imaginationis dea eſt, ex mente, ex voluntate virgine, & ſine complexu carnali, quemadmodum filii Pandavarum apud Brahmanes per auriculam ex ſole ope orationis magicae & ſine complexu virili nati fuiſſe ſcribuntur in libro *Sambhavam* & *Yudhiſhtira*. Ex ſupra allatis epithetis etiam perſpicuum eſt, cur Budha ſeu planetae Mercurii rector Muni ſeu heſychaſta, ſilentiarius, contemplator, aſceta, & aſcetarum praeſes eſſe dicatur. Iam ſupra animadvertimus in Brahmanicis libris,

Digitized by Google

libris, quod ſane remotiſſimam eorum antiquitatem indicat, planetas & aſtra quaſi contemplatores, monachos, ſilentiarios, conſiliarios & magiſtros repraeſentari; hi enim planetae tacent, & veri heſychaſtae ſunt, qui ſolem meditabundi contemplantur, circa eum revolvuntur, ſuos aſſeclas ſeu diſcipulos & ſatellites, quos Brahmanes പാൎശ്വവാൎത്തി parshvavárti vocant, habent, quibus ipſi lumen communicant, & qui eis tamquam monachi obſequuntur (1). Haec iam poetarum antiquiſſimus Pindarus obſervavit, nec diffitetur id ipſe R. P. Georgius in Alphab. Tibet. *pag.* 161. ubi ita diſſerit: *Planetae per immenſa caeli latifundia vagantes veluti in deſerto δι' αἰθέρος ἐρήμας verſari dicuntur, ut Pindarus & alii veterum poetarum loqui conſueverunt. Spiritus vero quibus aſtra animari putabant, ii ſunt, quos contemplatores ſpeculatoreſque vocabant, uti de Zophaſemim Huetius obſervat.* Et ſuperius dixit: *Indi & Tibetani ſuos deos in lucis, in nemoribus, in ſolitudine contemplationi deditos perpetuo repraeſentant.* Centum, & amplius exemplis hoc confirmare poſſem. Sic e. g. in libro *Sambbavam* Devayáni filia Muni heſychaſtae Shukrae ſeu planetae Veneris (apud Brahmanes maſculini) ſemper cum ſuo amaſio Kacen in ſilvis ludens deſcribitur, & filia planetae Iovis ſeu Brahaſpadi, Sharmishta nomine, pariter in nemore cum Eyàdi rege fornicatur. Ipſi planetae duo ബൃഹസ്പതി Brahaſpadi ſeu Iupiter & ശുക്രൻ Shucra vel ഉശനസ് Vshena ſeu Venus, *magiſtri heſychaſtarum, ſatores, poetae, philoſophi, conſiliarii, & contemplatores* eſſe dicuntur in vocabulario Amaraſinha *ſect.* 1. *Sorggavarggam*, & Venus quidem malorum geniorum, Iupiter autem bonorum diſcipulorum ſeu geniorum praeceptor & praeſes eſſe fingitur, quemadmodum de Budha ſeu de Mercurio ſupra diximus. Adde his, quod planetae, ſol, luna, aliique in inferiora bono vel malo influxu agere dicantur, & inde boni malique dies inter gentiles deſumantur. Quare epitheta illa Budhae alia ad

X offi-

(1) *Cave existimes, mi Aviene poetarum gregem cum de diis fabulantur, non ab adytis plerumque philosophiae semina mutuari.* Macrobius *lib.* 1. *Saturn. cap.* 17.

Digitized by Google

officia genii benefici referuntur, & inde dicitur virtutis rex, alia ad poeticum antiquum loquendi modum ſpectant, & inde contemplator, vel muni ſilentiarius a മൌനം maunam ſeu ſilentio audit, alia planetae Mercurii phyſici actiones indicant, & inde ſator, vel vivificator appellatur, atque ob hanc rationem in loto ſedet, & apud Indos, Peguanos, Ceylanenſes & Tibetanos yoni & lingam in manibus ante pectus ſuſtentans, apud Graecos vero & Romanos erectis virilibus repraeſentatur (1).

Sub una itaque ex his formis, ac praeſertim ſub forma genii benefici deus Vishnu a multis Indis Budha eſſe creditur, & quemadmodum deum Vishnu, primo ex ſtella Rohini, deinde ex Devagui in ſexta incarnatione ſub nomine Ráma natum fuiſſe fabulantur, ita pariter Vishnu deum in perſona Budhae apparuiſſe credunt. Unde ut vetus quoddam manuſcriptum habet, Indi Budham patre, matre, generatione carere dicunt. Deinde genium hunc dum hominibus ſe communicare vult, formam dei Vishnu ſuſcipere autumant, ac denique diu noctuque orare putant pro ſalute animarum, quas Ishvarae ſeu domino continuo offert, & commendat, ut vultu benigno eas ſuſcipiat, & ab aerumnoſis tranſmigrationibus immunes reddat. Atque hoc ſenſu accipienda eſt vetus inſcriptio in lapide, quam afferunt Calcuttenſes Angli (2) in libro *Aſiatick reſearches* pag. 284. *Having heard this he cauſed an image of the ſupreme ſpirit Budha to be made, and he worshipped it, according to the law, with perfumes, incenſes and the like, and he thus glorified the name of that ſupreme Being, the incarnation of a portion of Vishnu... Reverence be unto thee in the form of Boodha, O god, in the form of the God of Mercy... I adore thee, who art celebrated by a thouſand names, and under various forms, in the ſhape of Budha the God of Mercy*. Ex his itaque aliiſque ſupra allatis iam luculenter evincitur, Budham genium eſſe beneficum, ac proinde ſomnia eſſe ea omnia, quibus

(1) Plerique dii Indici in vola manuum triangulum, aut pentagonum omnis generationis principium & emblema deſcriptum gerunt. In aliquibus itaque ſimulacris Budha ſine lingam & loto exhibetur, atque ſola vola manus ad faciem converſa triangulum inſpicit & meditatur.

(2) *Translation of a Samscrit inſcription, copied from a stone at Boodha Gaya by Mr. Wilmot*. 1785.

Digitized by Google

bus evinci creditur, Budham Manetem haereſiarcham, aut aſtronomum, aut alium denique cultus Indici inſtitutorem aut reformatorem fuiſſe, id quod ſupra citati contendunt ſcriptores. Verum dum de primo illo Indico & originali Budha qui ab Indis, Tibetanis, Ceylanenſibus, Peguanis Iaponenſibus & Sinenſibus colitur, diſſero, non excludo ſive impoſtores, ſive aliquos philoſophos veros, qui ſub titulo & nomine Budha, ante Chriſtum natum Indis aliqua doctrinae capita tradere potuerant; nam & S. Thomam Apoſtolum Brahmanes Malabarenſes *Budham* eſſe dicunt, & Chriſtianos *Baudhenmar* appellant, tamquam Chriſtianae fidei inſtitutiones a Budha ſeu ab homine dei ſpiritu et pietate pleno acceperint. Verum primus ille & originalis Budha nihil niſi genius eſt ac planeta Mercurius, reliquia nempe certa & indubia antiqui *militiae caeli*, ideſt ſolis, lunae, et planetarum cultus, qui inter omnes olim gentes obtinuit. Neque enim poſſibile eſt, ut unus idemque Budha, tot et tantas gentes unus inſtitueret, ac Sinas, Indias, regnum Pegu, Tibetum, Aegyptum, totum denique ſeptentrionem cultu, religione, ſcientiis, legibus perpoliret. Quare allegoricum et aſtronomicum numen ſit, eſt neceſſe, et ſtipes fictitius communis primarum humanarum inſtitutionum, quem gentes omnes pro ſuo inſtitutore, doctore, et capite aſſumpſerint.

Quod vero Budha planeta ſit Mercurius ex eo invicte demonſtratur, quod in vocabulario Amaraſinha ſub illo nomine inter planetas recenſetur. Deinde Malabarenſes, Tamulici, Canarini, Peguani, Nepalenſes, aliae denique plures nationes diem Mercurii a Budha ſeu a Mercurio denominant. Vide haec egregie pertractata *pag. 161. & ſequentibus tom. 1. in libro Aſiatick reſearches*. En heic ſpecimen denominationis diei Mercurii apud varias gentes, ex qua evidenter elucet, Budham planetam Mercurium eſſe (1).

(1) In inſigni opere inſcripto: *Le pitture antiche di Ercolano. Napoli 1765. tom. 4. tab.* XLV., plura vetera ſimulacra Hermae ſeu Budhae afferuntur, ſed minus recte mythici illi ea illuſtrant, dum obſcuris Graecorum fabulis ea involvunt, atque paſſim Hermam cum Baccho, Priapum cum Mercurio confundunt. Cur Budha ſeu Mercurius viatorum numen ſit, locuples et certa ratio deducitur ex ipſis Budhae epithetis ſupra allatis, nam *omniscius*, *mens & intelligentia* eſt ad viam demonſtrandam. Ita reliquae huius dei formae ex epithetis illis perſpicue, facile, & tuto explicantur.

Digitized by Google

Samſerdamica ,	Malabarica ,	Tamulica ,	Siamenſis , Nepalenſis
Budhavára ,	Budhanászicia,	Budenkilami ,	Van Pout , Budho
Bomana ,	Canarina ,	Maraſtica ,	Ceylanenſis
Bouda hu-ne ,	Budhwar ,	Budvar ,	Bodadah

Confer etiam Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 219. *&* 333. *edit. in* 8., Bayeri librum inſcriptum : hiſtoria Regni Graecorum Bactriani *pag.* 152. *doctrinae Indicae temporum* , *de hebdomade* , & P. Conſtantini ab Aſculo *notizie laconiche pag.* 143. *& ſeq.* Quibus omnibus inſpectis , & quae a nobis ſupra allata ſunt , bene expenſis , ſi D. de Paw magis inſanire vult, Budham omnium mundi monachorum & philoſophorum caput , originem , inſtitutorem & reformatorem ſtatuat , & defendat , denique viſionibus ſuis nocturnis una cum D. Court de Gebelin circa Mercurium , quantum ipſi lubet , indulgeat .

ദശമവതാരം

DECIMA INCARNATIO DEI VISHNU

TAB. XXI.

Decima & ultima incarnatio dei Vishnu erit in equum nomine *Calighi* . De hac incarnatione paucis agit Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 304. *edit. in* 8., & Pivatius *tom.* 8. *p.* 126., *& tab.* 26. *fig.* 2. Ipſum hunc equum alis inſtructum , capiſtro alligatum , ephippio & ſtragula exornatum exhibet idem Pivatius eo nempe modo , quo a Baldeo , P. Bouchet , Roger , Roth , Bernier , aliiſque deſcriptum acceperat . Equus hic albus & generoſus conducetur a quodam rege , qui manu ſua portabit enſem evaginatum , atque ad caſtigandum , interficiendumque opportunum . Cumprimum equus ille pede ſuo , quem nunc in aere ſuſpenſum ſuſtinet , terram tetigerit , Vishnu deus in regem illum equi conductorem incarnatus incipiet punire & occidere perverſos reges , totumque genus humanum delere , atque terra ipſa contremiſcet , evertetur , & ſuccumbet . Ipſam ſerpens ille fabuloſus *Ananden* vel *Seſſen* , aut *Váſughi* dictus , qui totam veluti in circulo concluſam continet , relinquet , teſtudo , cuius dorſo terra inſidet , in profundum maris

Digitized by Google

maris natando diſcedet & diſparebit, genus humanum deſtruetur, & ultima mundi aetas ac peccatum finem accipiet. Mundo aqua, ferro & igne vaſtato, altera nova incipiet aetas, novi caeli, & nova terra ſecundum doctrinam horum Brahmanum, qui aeque ac Platonici certum univerſi circulum ſeu revolutionem periodicam inter veteres tam celebrem admittunt, quae ſive Chaldaicae ſive Brahmanicae philoſophiae & aſtronomiae primus, verus, & originalis fetus eſſe mihi ſemper viſa fuit. Ex his ergo iam liquido colligitur, duas cumprimis in Indiis philoſophicas & religioſas primigenias ſectas reperiri, in quibus totius antiquiſſimae religionis Indicae cardo vertitur. Prima quae Vishnuvitarum eſt, ut Thales & ſchola Ionica rerum omnium principium aquam ſtatuit, & mundum per aquam deſtruendum fore credit. Altera, quae Shivenitarum eſt, Shivam ſeu ignem aut ſolem rerum omnium praecipuum principium conſtituit, & per hunc eumdem ignem, mundum conſummatum iri docet, ita ut rerum ſemina in deſtructione univerſali in triangulum Bhavani deae ſeu in matricem naturae ſint reditura, & ibi deliteſcere debeant, quouſque revoluto certo annorum circulo ex his iiſdem ſeminibus & elementis novus iterum reproducatur mundus. Vide Plutarchum *de placitis philoſophorum*, Platonem *in Timaeo pag.* 703. *& ſeq. edit. Baſil.*, Clement. Alexand. *lib.* 5. *Strom.*, Macrob. *in ſomnium Scipionis lib.* 1. *cap.* 11. Alphab. Tibet. de triangulo Bhavani deae *pag.* 193. 194. 120. 192. & codicem manuſcript. P. Ildephonſi *in bibliotheca S. Cong. tractatu* 1. *cap.* 1. *de creatione mundi*, ubi haec habet: *Dicunt Brahmanes quod mundus iſte principium quidem habuerit, & habebit quoque finem, reſtituetur nihilominus denuo in ſuum eſſe, & ita fiet perpetua continuatio, & circulus quidam aeternus . . . tandem finaliter* (in conſummatione mundi) *ſufflabit quidam ventus ſupra omnem modum deſſicativus, qui ab effectu ſuo vocatur vaggíra cátha, cum quo exſiccabuntur omnia quae ſunt ſuper terram, immo & ipſa terra, adeo quidem ut amittat omnem humorem, & redigatur totaliter in pulverem . . . Ishuarata ſeu Divinitas transferetur etiam ad elementum aeris, quo annihilato ſucceſſive eodem modo ut ſupra transferetur Ishvarata ſeu Divinitas in caelum, remanebitque in ſolo caelo, id eſt in uno ſolo quadrante ex omnibus ſupra nume-*

Digitized by Google

numeratis, ultimo tandem derelinquet etiam caelum & hoc modo annihilabitur ipſum caelum, nihilque remanebit niſi ſola Divinitas Ishvarata, quae etiam ipſa paullatim ac ſenſim adeo diminuetur, ut non fiat maior uno ovo, quod vocatur Andeſza motha, id eſt tempus illud quo totus mundus, & omnia quae in eo ſunt, includentur in ovo, ut iterum renaſci poſſint, & vocant illud ovum Parabrama ſecundum ſequentes poetae Malabarici verſus:

Naly nadigal Tanaver Banaver
Nare randhi urumpora anagetum
Odhumum mudelpadi embada
Nur edirpadhi nurdhiram amadha
Avayam olla yoni, a yoniguelum arkan
Ginna adil onna Parabrahma ay (1).

Ovum

(1) *Ideo haud abs re ovum in orgiis Bacchi* (ſolis) *conſecratum eſt, ut exemplum omnia gignentis & in ſe continentis*. Plutar. *Symp. lib.* 2. Inſigne huius ovi monumentum affert auctor libri inſcripti: *Recherches ſur l' origine & les progrès des arts de la Gréce, ſur les monumens antiques de l' Inde, de la Perſe &c. tom.* 1. *a Londres*. 1785. qui ad *pag.* 65. *tab.* 8. antiquiſſimum emblema Scythicum, ut ipſe quidem putat, profert hoc modo: In civitate Iaponenſi Meaco in templo bovis adeſt ſtatua bovis, qui ante ſe ovum habet, et cornu protrudere et confringere ſatagit. Hunc bovem urum eſſe exiſtimat, et in vaſe aqua pleno atque ad tamarae floris formam redacto conſtitutum eſſe ait. Unde is infert, bovem actorem creationis, ovum mundum, florem tamara ſeu lotum aquarum emblema eſſe, ac proinde mundum aquis innatare. Deinde bovem Bacchum ſeu ſolem, ovum mundum materialem qui ex chao prodit, phantaſma denique hoc mythologicum generatorem rerum omnium et potentiam generationis eſſe dicit. Si auctor iſte Brahmanum libros legiſſet, et in Indiis ante delubra paſſim exſtantium horum boum figuram ad inſtar ovum frangentium ſive lapidibus, ſive lignis inſculptam vidiſſet, certe nihil aut parum animi ſibi adfuiſſet, quo tanta iactantia hoc ovum in ſuis diſquiſitionibus proferret. Producat ipſe vel unum Scythicum librum, qui

Ovum illud praedictum etiam tandem paullatim diminuetur, fietque adeo exiguae molis, ſicuti una minima gemma vel unio aut margarita, & ab hac iterum quantitate decreſcet uſque ad exiguitatem grani ſinapis vel imperceptibilis guttulae roris matutini, iſtoque modo remanebit multo temporis ſpatio in ſtatu indefectibili. Deinde matureſcet ſucceſſive (ovum) . . . *Isbvarata ſeu Divinitas exſiſtens in gutture edet ſonitum in hanc ſyllabam* : Ghem, *& facta iam matura incipiet creſcere ſucceſſive uſque ad quantitatem ovi, in quo creabuntur quinque elementa, notant autem de ovo quod habiturum ſit ſeptem cortices circu mcirca, cum autem creſcent intra illud ovum elementa non ſufficiet illis ſpatium, ac proinde accendetur elementum ignis, ſufflanteque elemento aeris rumpetur ovum illud in*

duas

qui Coſmogoniam hanc ovalem doceat, monumenta inſcriptionum Scythicarum, ſi poteſt, afferat; et nos ſemper Brahmanum de hoc ovo philoſophiam et libros ei opponemus, ex quibus intelligere poterit, hanc coſmogoniam ſemper apud Brahmanes exſtitiſſe, partem eorum antiquiſſimae philoſophiae eſſe, ac hodiedum lippis et tonſoribus notam eſſe. Deinde an ovum illud et Bacchus in aqua eſt, quod ipſe putat? an non potius in loto, triangulo, vel matrice rerum omnium, in quam omnia ſemina in deſtructione rerum ſunt reditura, et ex qua omnia, ut Brahmanes tradunt, prodierunt? Certe haec ita, ut dicimus, Brahmanes explicant, et auctor non arbitrarias Graecas, ſed ſolidas rationes ex Scythicis libris adferat eſt neceſſe, ut libros, monumenta, traditionem, opinionem denique ſemper & ubique in India receptam primigeniae Brahmanum philoſophiae caput refutare, et ad Scythas transferre poſſit. Ipſa Indici cultus emblemata, Samſcrdamicae ſacrae litteralis Brahmanum linguae vocabula et praecipuas liturgicas orationes ad Tibetanos, Perſas, Scythas, Siamenſes, Peguanos & Iapponenſes tranſiviſſe locupletiſſimis rationibus nos iam demonſtravimus in gramm. Samſcrdamica & ſolidius adhuc demonſtrare poſſumus. Quidni igitur & cultus Brahmanum ad illas gentes tranſierit? Confer de his eruditam diſſertationem D. William Chambers in libro *Aſiatick reſearches p.* 145. *& ſeq.*, quae una ſufficit ad hoc noſtrum argumentum certo & plene probandum.

duas partes inaequales, ſuperior pars maior conſtituet caelum (nempe ut modo ex opinione eorum conſtituit) *inferior autem minor terram, & quia fingunt ovum illud conſtare ſeptem corticibus* (pelliculis), *hinc iuxta eorum fabuloſum computum, ruptum in duas partes habebit cortices quatuordecim, nempe ſuperior pars ſeptem, ſuperiores cortices ſunt ſeptem caeli, & inferiores cortices ſunt ſeptem terrae ſeu* VII. *globi terraquei*. En ergo hic numeri ſeptenarii vim & originem, qui a Brahmanica philoſophia deſcendens omnium pene gentium philoſophiam pervaſit. *Hi ſunt illi quatuordecim mundi quos adſtruunt Brahmanes ex ovi praedicti fractione* (1).*Non quidem adſtruunt quatuordecim mundos integros, ſed partiales, id eſt, unum in altero contineri, ita poeta Malabaricus gentilis*:

Báyum múlam anghium ái uram ái
Badhi vittu adu ner murinhu aducan
Aya páyam adu aghi aghi ireſza lógam.

In ſyſtemate Vishnuvitarum ſeu Vishnu vel aquam deum, & primum mundi elementum agnoſcentium & adorantium, vide quae ex libro Bhágavadam afferunt Angli Calcuttenſes *pag.* 244. *& ſeq.* in libro *Aſiatick reſearches*. *He* (deus) *deſiring to raiſe up various creatures by an emanation from his own glory, firſt created the Waters* (aquas), *and impreſſed them with a power of motion &c.* En itaque duas praecipuas Indicas ſectas philoſophicas & religioſas, unam ignem, alteram aquam primum & maximum principium rerum agnoſcentium & colentium, quae ambae ex principiis a nobis ſupra allatis, & ex mythologia Indorum a nobis ex claſſico eorum libro Amaraſinha explicata, recto ſane tramite deſcendentes, omnia ſupradicta confirmant, & ab iis viciſſim confirmantur. Non nego etiam alias ſectas dari, ut illa eſt, quae

(1) *Ne videar plus nimio extulisse ovum elementi vocabulo, consule initiatos sacris Liberi patris, in quibus hac veneratione ovum colitur, ut ex forma tereti, ac pene sphaerali, atque undique versum clausa, & includente intra se vitam; mundi simulacrum vocitetur* Macrobius lib. 7. *Saturn.* c. 16. Triangulum pentagonum, ex quo prodivit hoc ovum, deſcriptum vide in Alphab. Tib. *ad pag.* 193. *&* 194. ubi etiam trianguli huius explicatio affertur. Lotus, triangulus, & ovum collocata ſunt in monte Meru ſeu habitaculo ſolis, quia ſolis generantis emblemata ſunt.

quae Shivalingam & deam Shakti, Paraſhakti vel Bhavani peculiari devotione colit, & triangulo ſeu yoni aut matrici, & lingamico portento rerum principia attribuit, ſed has ſectas peculiares ab illis duabus generalibus deſcendere quiſque vel me tacente facile arguere poteſt. Ex his etiam iam facile reſpondetur illis eruditis viris, qui ex me quaeſierant, an cultus & incarnationes Vishnu dei & religio Shivae ſive ignis apud Indos praecedat aeram Chriſtianam, an vero poſt nativitatem Chriſti fuerint haec omnia confiсta & in uſum & publicum cultum deducta. Profecto cultum Vishnu & Shivae, id eſt aquae & ignis, longe ante Chriſtum natum in Indiis obtinuiſſe, nullatenus iam dubitari poteſt; ſi enim Graeci longe ante Chriſtum natum haec elementa tamquam rerum principia agnoſcebant, & Aegyptii venerabantur, ut tradit Plutarchus (1), anne dubitari poteſt, hanc eamdem philoſophiam & religionem de planetis & elementis apud Indos longe antea obtinuiſſe? Siquidem Clemens Alex. (2), Laertius aliique dilucide docent, Graecos philoſophiam, ſcientias, quin & artes, aliquas et magnam religionis ſuae partem a barbaris, hoc eſt a Chaldaeis, Perſis et Indis accepiſſe. Deinde deum Brahma, Vishnu et Shiva, aliaque id generis Indica numina, ante Chriſtum natum, quin etiam ante Alexandri M. tempora in Indiis obtinuiſſe, neque Manetem haereſiarcham, aut alium aliquem impoſtorem in Indias haec dogmata invexiſſe, elucet etiam ex eo, quod ſtatuae horum deorum, prout eas hodiedum Indi colunt & venerantur, in antiquiſſimis gentilium templis Elephantae, Salſette, Mâvalipuram, Iagrenat, Illoura, a remotiſſimis

(1) Plutarchus in aquae & ignis comparatione: *Pindarus pronuntiavit aquam esse rerum optimam, aurum autem flagrantem ignem, is ergo palam posteriorem locum igni assignavit. Adstipulatur huic Hesiodus ita scribens:*

Principio factum chaos eſt.

Nam voce chaos plerique eum existimant expressisse aquam ob difusionem quae est Graecis chisis. Sunt qui ignem universi principium esse pronuntiant ex se se omnia, & in se se facta conflagratione recepturum. Confer etiam librum *de Iside*;

(2) Clemens Alex. lib. 1. Strom. *Plato autem non it inficias, se ea quae sunt praestantissima in philosophia mercatum esse a barbaris.* Et iterum: *Alexander* (Polyhiſtor) *in libro de symbolis Pythagoricis refert. Pythagoram Gallos & Brachmanes audiisse.* Vide etiam Laertium *in proem. lib. de vitis philosophorum.*

temporibus, id eſt a tribus ad minus mille annis, ibidem exſiſtere videantur omnibus illis, qui templa illa et ſtatuas ipſimet inſpexerant. *Les pyramides tant vantées de l'Egypte ſont bien foibles monumens auprès des Pagodes de Salcette & d'Illoura; les figures, les bas-reliefs, & les milliers de colonnes qui les ornent, creuſés au ciſeau dans le meme rocher, indiquent au moins mille années d'un travail conſecutif, & les degradations du tems en deſignent au moins trois mille d'exiſtence. D'apres cela on ne ſera point ſurpris que l'ignorance Indienne attribue le premier de ces ouvrages aux dieux, & le ſecond aux genies* (1). Templum Mávalipuram ad oppidum Sadraſt ſitum, rupibus ſubterraneis inciſum, in quo non ſolum Brahma, Vishnu et Shiva, ſed etiam omnes incarnationes dei Vishnu ex ordine rupibus inſculptae exhibentur, ego anno 1776. ipſemet vidi et examinavi. Hoc vero templum ſcite deſcribit D. Williams Chambers in libro *Aſiatick reſearches pag.* 145. *& ſeq.* ubi ait: *Theſe monuments appear to be the remains of ſome great city, that has been ruined, many centurles ago.* Idola inſulae Elephantae omnium antiquiſſima, et inter haec trinitatem Brahmae Vishnu et Shivae deſcriptam exhibet Niebuhr *tom.* 2. *pag.* 31. *& ſeq.* (2), ubi auctor aſſerit de templi huius antiquitate incolas nihil ſcire, ſed olim una nocte omnes illas figuras in rupibus inciſas, ipſum deni que templum una nocte a diis exſtructum fuiſſe affirmare, uti Aegyptii de ſuis monumentis hoc ipſum aſſerebant. Vide etiam aliud templum in Dunganeſs a D. Freyer, et templum Eloura vel Illoura a Thevenot deſcriptum. Adde his laminas cupreas cum variis inſcriptionibus Samſcrdamicis repertas, quas exhibent Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches*, ac praeſertim illam quam *tom.* 1. *pag.* 123. exhibent. *A royal grant of land, engraved on a copper plate, bearing date thventy-three year s before Chriſti and diſcovered among the ruins*

(1) Sonnerat pag. 48. tom. 2. edit. in 8.

(2) Confer etiam tom. 2. pag. 43. ubi auctor ita diſſerit: Man triſt bey den Indiern, einer der älteſten nationen in der Welt, noch ſo Viele prächtige überbleibſel des Alterthums an, das ſie wohl eine gröſſere Aufmerkſamkeit der Europäiſchen gelehrten verdienen, als man biſher darauf gehabt hat. Et infra: Indos antiquos Aegyptiis arte caelandi excelluiſſe ex ipſis illis monumentis a ſe viſis Niebuhr iudicat.

ruins at Monguеer. In hac lamina non ſolum Budhae dei nomen notatur സുഗത8 ſugueda, quemadmodum nempe nos illud ex vocabulario Amaraſinha ſupra attulimus, ſed etiam deae Lekshemi, et Rávanae regis Ceylan, qui cum Shrirama ſeu Vishnu deo in Ráma incarnato bella geſſit, mentio ingeritur. Ex quo iam evidenter patet incarnationes has dei Vishnu ultra aerae vulgaris principium reiiciendas eſſe, neque Manetis Manichaeiſmo tribui poſſe, quin pleraque Indicae religionis capita a tribus mille circiter annis cum hodiernis Brahmanum libris, cum hodierna ſacra ac liturgica lingua Samſcrdamica, cum hodiernis dogmatibus, traditionibus Indicis et Brahmanicis certo et ad amuſſim convenire, ita ut iure ſuccenſere debeas auctoribus illis, qui haec omnia confuderant, et modernos Brahmanes ab antiquis prorſus diverſos eſſe ſomniaverant. Confer etiam Strabonem, Arrianum, Porphyrium, Plinium qui omnes Herculis, Shivae, & Bacchi Dionyſii ſeu ſolis, qui idem cum Shiva eſt, cultum Brahmanibus adſcribunt; et ut ſupra vidimus, ad remotiſſimam antiquitatem in Indiis reiiciunt. Plinius *lib.6.cap.* 17. ait: *Colliguntur a Libero patre ad Alexandrum magnum reges eorum* (Indorum) *centum quinquaginta tres, annis* VI M CCCC II, *adiiciunt & menſes tres*. Vide etiam Strabonem et Arrianum. Ex his iiſdem ſcriptoribus inter ſe collatis et teſtimoniis eorum rite expenſis certo cònſtabit: ſectas illas philoſophicas duas, de quibus nos ſupra egimus, iam ante Chriſtum natum in tota India certiſſime obtinuiſſe, et de his etiam ſeu de cultu Shivae & Vishnu dei omnes agunt Indici libri, Amaraſinha, Sambhavam, Yudhishtira, Bhágavadam, qui quia cum praedictis Graecis ſcriptoribus, ac cum monumentis ſupra allatis omnino conveniunt, ſimul evidenter probant hoc, quod aſſeruimus, et ſimul ſuam ipſorum antiquitatem luculenter demonſtrant.

Digitized by Google

ഗണപതി GAENAVADI

vel ഗണേശഃ GAENESHA

TAB. XXII.

Deo Gaenavadi vel Ganèsha haec epitheta attribuuntur in vocabulario Amaraſinha: വിനായകഃ vináyagá *magnus dominus*, ഗണപതി gaenavadi *coetus*, *congregationis*, *numerorum*, *computi dominus*. ഗണേശഃ ganésha, *idem*. Hoc vocabulo plerumque utuntur Indi ſeptentrionales, nempe Maráttae, Bengalini, Gangaridae, Vanárenſes, Nepalenſes. Vocabulum *Gaenavadi* familiare eſt Malabarenſibus, *Vináyaga* Tamulicis. Vide ea quae nos de hoc deaſtro tradidimus in grammatica Samſcrdamica *pag.* 35., & 36. Ex quibus argues vocabulum *Gunnis*, quod Niebuhr *tom.* 2. *pag.* 32. affert, ad hunc ipſum deum ſignificandum, veram linguae Samſcrdamicae corruptionem eſſe. Ita pariter corruptnm eſt vocabulum *Gones*, quo utuntur Ceylanenſes ad hunc deum denotandum, cui ipſi devotiſſimi ſunt. Vide huius dei effigiem in aes inciſam ex annulo regum inſulae Ceylan *tab. undecima inter icones navigationis Spilbergi & Balbi*. Ibi deus iſte Ganésha capite elephantino, pedibus caprinis, virilibus erectis, parte corporis ſuperiore forma humana, manibus denique expanſis repraeſentatur. Non ita apud Indos, nam capite quidem elephantino eſt, ſed plerumque gliri inſidet. Circa illum Ceylanenſem plurimi ſpectantur devoti in genua provoluti, qui eum adorant, vota preceſque offerunt, ſed cumprimis coronam precatoriam rudrákshàm dictam perſolvunt. Philoſophos ſeu aſcetas vel ſacerdotes Tiruvamshas dictos, dei Ganésha cultores & ſacrificulos, monachos eſſe putavit Spilbergius, qui tamen a Talapoinis Peguanis flavo panno amictis, aliiſque Indicis Samanaeis nihilo differunt. Aliud Ganeshae dei epithetum eſt വിഘ്നരാജഃ vighnarágia ſeu *rex impedimentorum*, quia ipſe impedimenta

menta tollit & quaſi ianua eſt, per quam ad omnia negotia intrare oportet (1). Unde ſatis apte argumentatus eſt Macrobius, dum deum Ianum a ianua dicendum eſſe exiſtimavit: *Apud nos Ianum omnibus praeeſſe ianuis nomen oſtendit: quod eſt ſimile θυραῖω. Nam & cum clavi ac virga figuratur: quaſi omnium & portarum cuſtos, & rector viarum.* Et infra: *Ianum ideo geminum (demonſtrari volunt) quaſi utriuſque ianuae caeleſtis potentem: qui ſol exoriens aperiat diem, occidens claudat, invocarique primum, cum alicui deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum deum, cui immolatur, acceſſus, quaſi preces ſupplicum per portas ſuas ad deos ipſe tranſmittat, inde & ſimulacrum eius plerumque fingitur manu dextra trecentorum, & ſiniſtra ſexaginta & quinque numerum tenens, ad demonſtrandam anni dimenſionem quae praecipua eſt ſolis poteſtas.* Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 9. Inde certe evenit, quod etiam apud Indos ante quodvis negotium pertractandum hic deus invocetur; quin nullum etiam palmae folium ſeu ola ſtilo ferreo aut etiam in charta exarare quis incipiat, quin ſignum hoc , vel , vel , vel , vel  aut aliud ſimile, quod proboſcidem elephantini deaſtri huius ſignificat, primo appingat. Ultra viginti gentilicias epiſtolas hoc ſigno inſignitas & inter eas etiam regis Travancoridis reſcripta exhibere poſſum, quae hoc ſignum proboſcidis dei Ganésha, qui elephantis caput habet, praeſeferunt. Ita pariter omnes Indi eruditi hunc deum in primo ſuae orationis aut ſcriptionis limite ſalutant. ഗണപതയെനമഃ gaenavadayè nama, *adoratio deo Gaenavadi*, vel ശ്രീഗണപതയെനമഃ shri Gaenavadaye namá, *beato Gaenavadi adoratio*. Hic idem deus vocatur *Guru* ſeu magiſter, quia ad negotia pertractanda viam ſternit, & ignaros inſtruit, unde alia exſurgit non ſolum apud Indos, ſed etiam apud Tibetanos oratio: ༄༅།། ན་མོ་གུ་རུ། namo kuru, *adoratio magiſtro*, quae qui-

(1) Duae apud me effigies huius dei Gannesha exſtant, ab Indo quodam caeruleo colore pictae, & in ambabus huic deo in una manu claves Malabaricae ad reſerandas portas appictae cernuntur.

quidem a Tibetanis corrupta, ſi primigeniae Samſcrdamicae linguae ac Brahmanicae ſinceritati originique reſtituatur, apud Indos ita ſonat & ſcribitur: നമഗുരു nama guru, *adoratio magiſtro*, vel സൽഗുരുവെനമഃ ſal guruve namá, *vero magiſtro adoratio*. Ex quibus ſane recte argues, non Indos a Tibetanis, quod ſomniavit Bailly & de Paw, ſed Tibetanos ab Indis praecipua religionis capita, & liturgicas orationes accepiſſe. Vide de his noſtram diſſertationem in linguam Samſcrdamicam *pag.* 47. 34. 33. *&* 36. Ita quoque vocabulum ഗണം gaenam in lingua ſacra Samſcrdamica computum, numeros, ſeu plurium rerum congeriem ſignificat, ac proinde Gaenavadi eſt dominus numerorum, computi, congregationis, cuiuſvis ſocietatis aut coetus ad negotia pertractanda collecti, vel de re aliqua deliberantis. En ergo Macrobii mythicam opinionem ex ipſo hoc Indico vocabulo illuſtratam. Ille idem Ianus antiquiſſimum Romanorum numen, etiam apud Indos adoratur, ac fortaſſis ex Brahmanica mythologia in Graeciam & inde in Latium penetravit, quia & Ianum & Saturnum alienigenas fuiſſe, idem oſtendit Macrobius.

Dic mihi nunc quaeſo, dic antiquiſſime Divum,
Reſpondes hic Iane pater? magna ocia caelo &c. Iuv. Sat. 6.

Nec obſtat quod Ianus iſte apud Indos capite elephantino exhibeatur. Vide heic figuram eius ex ligneo ſimulacro ex Indiis in muſeum Borgianum Velitris illato, deſumptam & adumbratam. Etenim elephantem ſapientiae & prudentiae ſymbolum eſſe, quis eſt qui neſciat? Atque ideo ſane Indi proboſcidem huius elephantis ubique pingunt, ut innuant ſcriptionem, numeros, rationes, computum, negotia, opiniones ac deliberationes hominum in congreſſibus ſumma ſapientia, maturo iudicio, ac prudentia pertractandas & ſtatuendas eſſe. Quare dum reges de aliquo regni negotio deliberant, dum parentes filiae ſponſum deligunt, dum diſcipuli magiſtri ſcholam ingrediuntur, dum denique de quocumque arduo negotio ſententia eſt ferenda, huic

deo

deo ſacrificium offerri ſolet, & fructus quidem, nux coco, & oryza. Proboſcis etiam vires ae fortitudinem ſatis apte ſignificare poteſt, quia nempe deus hic obſtacula tollit, atque ardua, aſpera & indirecta in plana & pervia redigit. Huius ſimulacrum pleraeque Indicae mulieres in maritali teſſera *tály* dicta ex collo ſuſpenſum gerunt, quia etiam matrimonii praeſes eſt, eique uxor, ut marito ſuo, fidelitatem ſervare debet. Deus hic communi & vulgari nomine *Pullear* vocari ſolet. En itaque Indicam mythologiam optimae doctrinae morali, & fortaſſis etiam meliori quam noſtrae phyſicae coniunctam! Aliud huius dei epithetum eſt: ഗണാധിപ gaenádhiba *rex numerorum*, *computi*, *coetus*.

ദ്വൈമാതുര dvaymádura *duas matres habens*, harum duarum matrum una eſt Párvadi ſeu luna, altera vero Anga uxor regis Daſaprayávadi formoſiſſima femina, cuius amore Párvadi capta fuerat, atque eam ſibi uxorem deſponderat. Unde haec fabula iterum ad aſtronomiam ac lunae effectus referenda eſt (1).

Anga-

(1) Originem huius dei ſcriptores Indici, ac ex iis R. P. Norbertus, Brito, & Ildephonſus ita narrant. Párvadi (luna) renaſci volens ut renaſci ſolet ſaepenumero unacum Shiva marito ſuo ſole, ventrem ſubintravit reginae uxoris Dáſaprayávadi (ſtellae nempe alicuius). Dum itaque pulchritudine illius capta tota amore illius exardet, in ſtagno quodam ſe lavat, & dum ſudorem pectoris ſui manu abſtergit, ex hoc ipſo ſudore ſub manu illius filius enaſcitur, quam ipſa Vináyaga, hoc eſt dominum vel principem appellat. Shiva ſeu ſol, qui tunc aberat, domum redux filium recens natum videns, & uxoris ſcelus ſuſpicatus in furorem agitur, ſed dum de mirabili filii origine a Parvadi edoctus fuiſſet, paulliſper ira deferbuit. Interim rex Daſaprayávadi convivium diis apparat, ſed Shivam ſeu ſolem invitare obliviſcitur. Hic ergo iterum excandeſcens, menſae epulantium deorum inſilit, capillitio gedá dicto terram percutit, gigantem excitat, qui deorum ſcelus ulciſcitur, menſae aſſidentes deos verberat, atque in furore ſuo ipſi Shivae dentes excutit, lunam proſtrat & pedibus calcat. Inde Brahmanes lunae maculas deducunt, & quia origo dei Ganèsha antiquiſſima eſt, harum etiam macularum obſervatio apud Brahmanes antiquiſſima eſt. Deinde ideo ſoli oryzam, lac, butyrum, fructus teneros & maturos libant, quod eum dentibus carere ſciant. Gigas illae Peruttùren id eſt *fortis*, poſtquam regem Daſaprayávadi occidiſſet, & deos verberaſſet, filio Párvadi Ganeshae caput abſcidit, quem cum emortuum vidiſſet Párvadi, dolens Shivam vehementer rogat, ut filio vitam reſtituat. Hic uxoris precibus victus, elephanto caput abſcindit, & filii corporis trunco apponit, compingit, vitam reſtituit, unde hoc monſtrum elephantini capitis proceſſit. Mirum certe quod acutiſſimi obſervatores noſtri viatores Galli & Angli, qui inflata ſua mente omnia ſe noſſe & obſervaſſe praedicant, non animadverterint, hanc & pleraſque Indicas fabulas ad aſtronomiam referri. Sed centones lucido involucro ipſi obvolvere amant, eoſque toti Europae venditare.

Angana ſignificat mulierem formoſam, *angáram* ignis aeſtum, *angui* corporeum, *anguli* digitum, *angulíam* annulum. Ianus gemino vultu apud Romanos fingebatur, fortaſſis ideo, quia duas matres habet. Alia eius ſimulacra quadrifrontem exhibebant, de qua re vide Macrobium *cap. ſupracitato*. ഏകദന്തഃ egadaenda *unum dentem habens*, nempe eburneum, quia alium rixando vel pugnando cum fratre perdidit. ഹേരംബ heramba *vaſtum corpus habens*. ലംബോദരഃ lambòdara *magnum ventrem habens*: ഗജാനനഃ gaegiánana *vultum elephantis habens*. Hic vultus elephantinus quatuor illas facies Iani Romani ſupplet, quia ut hae, ita ille nihil niſi ſapientiam, prudentiam, & circumſpectionem huius dei denotant. Unde aliquae aliae explicationes attributorum Iani Romani a Macrobio adductae arbitrariae eſſe videntur. Deus Ganésha glire vehitur. In hoc vehiculum, & dei huius ſapientiae ac eruditorum patroni ſymbolum clariſſimus vir Georgius Zoega me etiam praeſente ſatis acute obſervavit, glirem vel murem ideo fortaſſis huic deo ab Indis pro vehiculo affictum fuiſſe, & a deo iſto devictum ac proſtratum repraeſentari, quia glires & mures libros, & ſcripta ſive chartacea, ſive corticea ex foliis palmarum confecta corrodunt. Verum ut iam ſupra animadvertimus in delubro inſulae Elephantae, deus Ganésha giganti aut titani *Kaymughâſura* inſidens repraeſentatur, atque ſtilum ferreum ſcriptionis ſymbolum manu dextera tenet. Ad quod ſimulacrum obſervare neceſſe eſt, vocabulum kay *manum*, mugha vel mugham *vultum*, áſura, *titanem* lingua Indica vocari. Indicat ergo, quod deus hic titane, qui manibus vultum ſuum quaſi celat, vehatur. Et hoc revera modo deus iſte in illo antiquiſſimo delubro titani inſidens exhibetur, quod tamen totum invertit, intricat, falſis explicationibus, ac vanis commentis obtegit d'Hancarville. Cum hoc titane deus Ganésha ſingulare certamen inierat, qui titan cum a deo vinceretur, in glirem ſe transformaverat atque dei pedem momorderat. Verum deus ſapientiae Ganésha glirem hunc *Piruſali* dictum proſtravit, perdomuit,

muit, atque ſuis pedibus ſubiecit. Manu una ſtilum, vel calamum, altera vas atramenti, vel folium palmae aut librum hic deus gerit. Idem fati, bonae & malae ſortis deus eſſe creditur, cuius fidei & ſuperſtitionis ratio iam ex dictis patet. Is idem caelebs & caſtus eſt, atque uxoribus praecipue in exemplum proponitur. Inde etiam evenit, quod Indi eum ശുദ്ധ shudha ſeu *purum*, *ſanctum*, *& immaculatum* eſſe dicant, unde celebris exſurgit illa oratio, quae ad hunc & non alium deum refertur: नामःसिद्धं namá ſciddan *adoratio ſancto*. Orationem hanc Indoſtanam minus recte explicat R.P. Beligatius dicens: *in nomine ſancti*, nam aliud eſt നാമം námam *nomen*, *vocabulum*, *dictio*, aliud eſt നമഃ *namá* cum ultima vocali longa vel aſpirata, quod *adorationem* denotat. Vide dictionarium R. P. Hauxleden. നമഃ ശുദ്ധഃ namá shudha *adoratio ſancto*, oratio eſt Indorum auſtralium ad eumdem deum immaculatum Ganésha directa. De utraque vide Alphab. Indoſtanum *pag.*7. & grammaticam noſtram Samſcrdamicam. In aliquibus ſtatuis aut iconibus hic deus quatuor manibus, ſtola ex collo pendente, capillamento inſigni, ſerpente cinctus, lunam denique bicornem in capite gerens exhibetur. In medio frontis divini nominis ſignum, id eſt vel ſolis, vel ignis, vel lingami ſymbolum & nota *kuri* dicta depicta promicat. Hunc deaſtrum Calcuttenſes Angli Iano comparant, ſed adeo obſcure & titubanter, ut timuiſſe videantur. Originem ſeu nativitatem illius prolixe ut ſolet ac ſtilo barbaro deſcribit R. P. Ildephonſus, R. P. Norbertus, & Sonnerat *tom.*1. *pag.*323., quos tu vide. Sed cumprimis confer de diis iſtis antiquis librum qui inſcribitur: *Seconda noviſſima edizione delle immagini de gli dei delli antichi di Vincenzo Cartari Reggiano, cavate da marmi, bronzi, medaglie, gioie & altre memorie antiche con eſquiſito ſtudio e particolare diligenza da Lorenzo Pignoria Padovano. In Padova 1626.* In hoc libro plerique antiqui deaſtri ex ipſa veterum ſcriptorum

 opi-

opinione & ſententia ad aſtronomiam,gubernationem mundi,ad varias actiones ſolis ceterorumque planetarum in terreſtria, denique ad res naturales & phyſicas referuntur, uti referri videmus pleroſque Indicos deos. Adde quod pleroſque non tantum Romanos, ſed etiam Aegyptios, Aſſyrios, Scythicos, & nonnullos Indicos deos in tabulis exhibeat ſpectandos, ac proinde argumentum noſtrum mirifice illuſtret. Vide in eo *pag.*33. figuram & deſcriptionem Iani, *pag.*465. imaginem Mitrae anno 1606. Romae in foro Capitolino marmori inſculptam, & a Laurentio Pignoria viſam, quae in tauro Mitriaco haec verba inſcripta ferebat: *Deo Sol invict . . . Mithre. Nama Sebeſio. Amycus. Seronenſis.* Hanc inſcriptionem nos paucis in grammatica illuſtravimus. Aliam huius Mitrae figuram vide *ad pag.*57. Imaginem Apollinis & terrae, ſeu ſimulacrum Aſſyrium vetuſtiſſimum ſolis Adad, a qua dictione non longe diſtat vocabulum *Aditya* vel *Adidya* Samſcrdamicum, vide *pag.*63.Deinde *pag.*65. figuram Aáad ſeu solis & lunae vel etiam terrae leoni inſidentis, quae ſimulacra in ſua forma paullisper diſcrepant a Brahmanicis ſimulacris, in re tamen eadem ſunt, nam & hi, ut iam obſervavimus, in monte Meru ſolis habitaculo triangulum conſtituunt, & Bhavani deam, id eſt lunam vel virtutem genitricem ac Shiva deum ſeu ſolem ibidem ſimul ſtatuunt, atque inde maximam mythologiae partem per infinitas fabulas deducunt. Triangulum ſeu pentagonum,prout rex Travancoridis illud in ſuis inſignibus geſtat,ex antiquo annulo vide *pag.*75., totam de Cybele ſeu de dea Lekshmi naturalem oeconomiam *pag.*173. *& ſeq.*, denique varias figuras & operationes Mercurii ſeu Budhae *pag.*261., ac praeſertim *pag.*269. *&* 271., ubi Mercurius, Budha, vel Herma (Dhaerma) etiam cum virilibus expoſitis & ſolo capite inſignitus miro plane modo repraeſentatur, & noſtrum argumentum de Budha ſeu Dherma manifeſte evincit.

യമഃ

Y A M A

T A B. XXIII.

Deum Yamá poenae & praemii inſtitutorem, bonorum malorumque operum iudicem, criminum vindicem, primum Shivae dei miniſtrum eſſe, nos ſupra aſſeruimus. Is in vocabulario Brahmanico his epithetis diſtinguitur: ധൎമ്മരാജഃ dharmarágia *virtutis, boni operis rex, miniſter, iudex*, പിതൃപതി pidrubadi *defunctorum dominus, parentum, qui corpus exſuerant, dominus vel praeſes*, സമവൎത്തി ſamavarti *aequalitatem, proportionem ſtatuens*, id eſt *inter bona & mala opera diiudicans, ea ſibi invicem conferendo ſententiam ferens, item unicuique ſuum tribuens*. കൃതാന്തഃ krdánda *humanae vitae ſcriptor*, item *actionum humanarum finis*. ശമുന shamuna *ſtyx*, യമുനാഭ്രാതാ yamunabhráda *ſtygis frater*, ശ്രാദ്ധദേവ shrádadéva *deus plorare faciens*. Famuli eius ſunt രാക്ഷസഃ rákshaſa, കിന്നരഃ kinnara, ഭൂതഃ bhúda, id eſt varii daemones & larvae. Exſtat in muſeo Borgiano Velitris, ut iam ſupra innuimus, tranſmigrationum humanarum cyclus, ſeu potius tabula picta, quae huius dei tribunal exhibet, falſo Tibetanis Lahis adſcripta. Quamvis enim ea fuerit Lhaprangae a Tibetano pictore *Ion-de la-bu-ri* coloribus adumbrata, & ex doctrina Laharum diſtributa, attamen evidenter demonſtrat, cyclum illum Brahmanicum & Indicum partum eſſe, ac proinde Lahas Tibetanos, cultum religioſum a Brahmanibus accepiſſe, numina denique ipſa ex India in Tibetum perlata fuiſſe. Vide in Alph.Tibet. *ad pag* 487. *tab.*2. *ſub littera L*. Ibi deus Yama a Tibetanis Scinceciokjel dictus, qui a deo Cenreſi ſeu Shiva ſupremo domino & dei Yáma praefecto diſtinctus eſt, furcam dextera ma-

 nu

nu geſtans fingitur, quam elevatam ac ad percutiendum promptam tenet. Manu ſiniſtra ſpeculum gerit, in quo bona & mala hominum opera intuetur, eaque examinat, ut iuſtum iudicium ferat. Obeſo corpore & tumido ventre, capillis arrectis, trucibus oculis, vultu ſevero & ſedens fingitur, ut Shiva deus, cuius ille miniſter eſt. Infra ad latus genium alium aſſidentem habet, qui lance Indica, ex cuius una parte anima inſidet, ex alia vero pondus proportionis more hodiedum in India pondera examinari ſolito, ex dimenſionis trutina pendet, bona malaque animae opera examinat, ut eam vel in inferno diutius recluſam contineat torquendam, aut elutis peccatorum ſordibus puram Yamae deo praeſto ſiſtat liberandam. Ad latus aliud ſub figura Yamae adſunt alii genii, qui albis nigriſque calculis, ſub qua nempe forma hodiedum Indi arithmeticae operationes perficiunt, bona animarum malaque opera dinumerant, ut iis expenſis & collectis de animae ſtatu, de meritis aut demeritis Yama deum certiorem reddant. Inferius animae in ahenum detruſae torquentur, verubus aſſantur, ſartagine friguntur, trullis & furcis confodiuntur. In circulo medio ſub litteris M. N. O. praemium vel poena eorum exhibetur, qui Vishnu deum ſingulari devotione in hac vita coluerunt; nam ibi deaſter iſte per porcum, in quem incarnatus eſt, per avem Garudha, qua vehitur, & per ſerpentem Caliga, quem interfecit, aut ſerpentem Seſſen vel Váſughi dictum, ſuper quo requieſcit, adumbratur, quae certa dei Vishnu ſymbola ſunt. In ſemicyclo nigro mali perverſique funibus ad infernum trahuntur, in ſemicyclo albo devoti ac ab omni peccati labe immunes Shivae & Vishnu dei caeleſtis beatitudinis dulcedine perfruuntur. Totum denique cyclum horridus, trioculus, defunctorum ſupremus iudex, qui ideo mortuorum calvarias in ſuo capite geſtare fingitur, potentiſſimus Indiae & Tibeti deus Shiva, quem Tibetani Pra-ſrinpo vocant, amplectitur, atque mortalium vicem ea tabula conſpiciendam exhibet, quae poſt mortem ſubeunda erit, dum omnia in propatulo examinanda,& pro meritis aut demeritis praemio aut poena afficienda erunt. Hic iam ex oſſibus Paulli Iablonskii aut Conringii aliquis exſurgat gerro, nugigerulus, aut morio, & Indicas, Tibetanas

Digitized by Google

nas, ac reliquas Aſiae gentes ſpinoſiſmi, materialiſmi, aut atheiſmi accuſet. Succenſeant mihi pariter mythici noſtri, quod in plerîſque antiquis urnis Shivam ſeu Bacchum, id eſt ſolem, ideo caelatum exhiberi dixerim, quia ut vitae, ita & mortis dominus eſt, generator denique & deſtructor. Profecto & hos & illos ego ad muſeum Borgianum mittam, atque ut poſitis ſuis praeiudiciis monumenta Aſiatica inſpiciant, examinent, & ex iis gentes illas, meque ipſum diiudicent, ego iterum iterumque rogabo. Ne vero Tibetanos tranſmigrationum illarum cyclum, aut potius illam iudicii tabulam ex ſchola Brahmanica accepiſſe, gratis aſſeruiſſe videamur, cordatus lector inſpiciat duodecim illa ſymbola quae in circulo maximo exteriori inſcripta exhibentur

Primo མ་རིག་པ་ *marikpà,* intellectu carens : *baiulus*. Hoc ſymbolum & illius vocabulum *marikpa* aperte ex Indica voce affertur, & per Tibetanam vulgarem linguam corruptum fuit: മറക്കുന്നു marekunu *oblivíſci*, മറതി maradi *oblivio*, മറവി marevi *oblivio*, item മറക്കുന്നു marrakunu *ſe ſe cooperire*, *capiti imponere*. Non denotat ergo ibi vox illa Tibetana *marikpa* intellectu carentem, ſed *oblivioſum*, quod innuit ſymbolum illud; quae enim poena vel tranſmigratio animae in eum cadere poteſt, qui intellectu caret? Ita in ſymbolo ſecundo, *duſce* aperte vocabulum Samſcrdamicum ദുഷ്ടം dushdam *malitiam*, *malum deſiderium*, *improbitatem* ſignificat, unde illud Tibetanum corruptum fuit. Inde derivatur ദുഷ്ടൻ dushden *malitioſus*, *improbus*, ദുഷ്ടാശ dushdásha *improbum deſiderium*, *dushkrdam* peccatum &c. quorum quidem vocabulorum radicem & fontem Tibetani nequaquam in ſua lingua vulgari demonſtrare poſſunt, aut ex illo uno plura derivata deducere. Symbolo ſeptimo inſcribunt *rek-pà* loco രതി redi *copula*, quam illud ſymbolum repraeſentat; & ſymbolo decimo *Len-ba* loco *lobba* cupiditas, avaritia, auferendi deſiderium; denique ſymbolo XII. *ke-ſci* loco kesha-

കേശവൻ keshaven vel *keshava* ſenex; quae omnia una cum cyclo illo a Brahmanibus mutuati fuerunt Tibetani, quemadmodum & illorum liturgicas preces in Tibetum penetraſſe, hodieque in uſu eſſe, nos in grammatica Samſcrdamica locupletiſſimo argumentorum genere oſtendimus. Shiva deus Tibetanis in hoc cyclo eſt Praſrinpo, id eſt Parashrirama ſeu Bacchus iunior vel diurnus, quem ipſi cum Cenreſi ſuo confundunt, cum tamen Brahmanes in vocabulario ſuo eos diſtinguant & Yamá deum inferni, mortis & poenarum miniſtrum totum ſuum commentum eſſe evidenter demonſtrent (1).

ഇന്ദ്ര

I N D R A

TAB. XXIV.

Deus Indra per haec epitheta deſcribitur in vocabulario Amaraſinha: മരുത്വാൻ marutván *aereus*, മരുൽ marul *ventus*, *aer* unde marutvan derivatum eſt. Inde argues Indra deum ventum ſeu aerem eſſe, Iovem nempe Latinum aut Graecum. മേഘവാൻ mêghavân *nubium incola*. മേഘവാഹനഃ mêghaváhana *nubes vehens*. ജിഷ്ണുഃ gishnu *victor*. പാകശാസനഃ págasháſana *temperator*, *temperiem & maturitatem praecipiens*, *de temperie providens*, *calorem aeſtumque temperans*. ലേഖർഷഭഃ légrshabha *hiemem*, *tempus pluviale praeſcribens*. പുരുഹൂത puruhrda *virilis animi*, *ſtrenuus*, *fortis*. ശുനാസീരഃ shunáſira

(1) R. P. Conſtantinus ab Aſculo *ad fig.* 40. *Yáma* dei vocabulum corrupte ſcribit *Zama*, & ſubiungit: *Ogni anima alla morte deve comparire alla presenza di questo idolo per essere severamente giudicata*. Et ad fig. 37. quae eſt Párvadi vel *Mahéshvari* ſubiicit: *questa dea è venerata ancora in Tibet*. Ergo Tibetani Shivam ſeu ſolem, & Párvadi ſeu lunam adorant, eiſque litant.

Digitized by Google

náſira *naſutus*, nempe ob maledictum, quo magnus ei naſus obtigit, id quod allegorice intelligendum eſt; ideo enim magni naſi vir eſſe fingitur, quia naſo opus eſt ad aerem reſpirandum. സഹസ്രാക്ഷ sahasráksha *mille oculos habens*, aere nempe lucido opus eſt ad omnia obiecta videnda & diſtinguenda. ദിവസ്പതി divaſpadi *ſemideorum dominus*. ഇന്ദ്ര indra *ſenſus afficiens*, quia aer ſenſus afficit. En itaque iterum aliud Indicum philoſophicum numen, quod evidenter demonſtrat pleroſque Indicos deos ad aſtronomiam & phyſicam naturam referendos eſſe. Arma ſeu attributa dei Indra ſunt: വജ്രം *vagiram* vel *kuliſham*, id eſt fulmen, quia fulmen ope aeris componitur & vehitur. വിമാനം vimánam *currus*, qui etiam വ്യോമയാനം vyómayánam, id eſt firmamenti vehiculum, dicitur. Uxor dei Indra vocatur ഇന്ദ്രാണി Indráni, auriga illius സാരഥി sárathi &c. (1).

Ipſi lectori permoleſtum accideret, ſi omnes fabulas ad huius dei attributa ſpectantes, & in tota India vulgatiſſimas, heic referre vellem. സ്വൎഗ്ഗരാജ ſorggarágia id eſt *firmamenti rex* dicitur, atque multos miniſtros & famulas nymphas സ്വൎഗ്ഗസ്ത്രീകൾ ſorggaſtriguel, vel അപ്സരസ്ത്രീകൾ abſaraſtriguel dictas habet, quae ipſi ancillantur. Omnibus ſemidiis ſeu geniis minoribus bonis, qui minora ſidera vehunt, eaque informant & animant, praeeſt. Iura eorum examinat, lites dirimit, malos fulmine percutit, deos qui peccant e firmamento detrudit, & ad informanda humana, aliorumque animalium corpora mittit, cogitque. Bonis potum immortalitatis, ſeu caeleſte nectar അമൃതം *amrdam* dictum diſpenſat, aerem & nubes regit, in ſublunaria influit, terram caeleſti *gange*, id eſt caeleſti rore reficit, ab ea ignem urentem & exſiccantem arcet, atque propulſat. Ut Iupiter

(1) Huius dei icon ex originali Indica pictura deſumpta exſtat inter picturas muſei Borgiani Velitris, ex quo eam in hac tabula exhibemus.

Digitized by Google

ter Graecus, ita hic petulans & laſcivulus eſt. Notiſſima in tota India de eo fertur fabula, quae eum narrat ſub forma galli, mûni ſeu heſychaſtae Gaudama (planetae cuiuſdam) uxorem nomine Ahalya violaſſe, dum maritus eius Gaudama in fluvio Gange matutinis precibus ac lavando corpori ante auroram operam daret. Quare adulterio corperto, a Gaudama maledictus, mille pudenda in toto corpore diſperſa receperat, quae tamen ad repetitas eaſque ardentes preces ipſius poſtea in mille oculos, quos nunc gerit, transformata fuerunt. Hunc deaſtrum Calcuttenſes Angli tab. una exhibent *ad pag.*241., ſed more ſuo ex imperitia Samſcrdamicae linguae rem ſatis intricant ex eo, quod plus ex Graecorum mythologia & ſententia Indica numina deſcribere adlaborent, quam ex ipſis Brahmanicis fontibus ac libris, quos non ſatis ſe intellexiſſe, fateantur eſt neceſſe. In illa tabula deus Indra lotum in manibus geſtans repraeſentatur, quia aether vel aer etiam ad productionem rerum non exiguum adminiculum eſt.

Duo itaque in philoſophia Brahmanica caeli ſtatuuntur. In caelo ſuperiori praeeſt ſol maximum Indicum numen, rex caeli cum ſuis conſiliariis & contemplatoribus planetis & cum ſua uxore luna. Planetae illi muni ſeu ſilentiarii ſunt, qui ſoli obſequuntur, & hi planetae ſibi ſubiectos alios diſcipulos habent, quos illuminant, illuſtrant, regunt & gubernant. En quid de his praefert auctor operis inſcripti: *Immagini de i dei degli antichi* pag. 2. & 3: *Herodoto ſcrive, che quelli di Egitto nominarono dodici del ſolamente da principio; e parvero imitargli i Pitagorici, perchè ſi legge, che i Greci tolſero queſte coſe, e le altre ſcienze ancora dallo Egitto, ove erano le tanto celebrate colonne di Mercurio, tutte piene di profonda dottrina, e maſſimamente delle coſe del cielo . . . dicevano dunque i Pitagorici, che come ſono nella prima sfera dodici figure di animali, che ſono i dodici ſegni del zodiaco, così vi ſono altre tante anime, avendo ciaſcheduno la ſua, che danno loro vita e movimento, e ſono queſti i dodici dei: Giove &c. dalli quali volevano, che veniſſe il governo delle coſe di qua giù* (1).

Queſti

(1) Vide librum inſcriptum: *Reflexions critiques sur les histoires des anciens peuples*. tom. 1. cap. 3. pag. 234. a Paris 1735. *Division des differentes Divi-*

Queſti medeſimi dei furono poſti eziandio da' Romani partiti in ſei maſchi, e ſei femmine detti conſenti, perchè erano conſiglieri del ſenato celeſte, e nulla ſi delibera ſenza loro, come ſi vede appreſſo di Homero e degli altri poeti . . . e Seneca, ove diſputa della natura del fulmine dice, che ve n' è alcuno, qual Giove gittava ſopra de' mortali di ſua teſta e ſenza il conſiglio degli altri dei. Unde etiam Plato ſolem & lunam magnos deos appellat (1) & terram primam ac antiquiſſimam deorum omnium (2). Et poeta Maennander aſtra & elementa ex Epicharmi ſententia deos fuiſſe creditum inquit his verbis:

Aquam, deum, terramque, ſolem, ſidera,
Ventoſque, lunam, ignemque Epicharmus aſſerit.
Et Orpheus: *Aether, ſol, lumen purum, idem ſidera, luna.*

Quare quamvis apud veteres Perſas (3) atque etiam Indos ſabaiſmus ſeu religio in ſolem & planetas cumprimis obtineret, attamen etiam cultores idolorum fuerant, & quatuor elementa velut rerum principia venerabantur. Id quod de Indis nos hactenus ex pluribus monumentis vidimus.

In ſecundo inferiori caelo ſeu firmamento rex deorum ſtatuitur deus Indra, qui minorum deorum *Dévaguel* dictorum curam gerit. Horum numerus apud Indos ad tercenta triginta

 duo

Divinités du paganisme. Stephanus Fourmont vir divinis & humanis litteris politiſſimus libri auctor multa veteris mythologiae capita ſcite & litterate perſcripſit, ſed quia fabulae heroes fere omnes perſonis in S. Scriptura expreſſis ex aequo convenire commentus eſt, & innumera, ſed falſa oracula ad id evincendum collegit, in tantis erroribus vix ullum veritati locum reliquit. Non ſufficit itaque linguas orientales callere, ſed gentes illae ipſaemet ſunt inſpiciendae, mores, feſta, conſuetudines, inſtitutiones & libri gentis diligentius ſunt examinandi, ut aliquid certum & ab errore immune de iis ſtatui poſſit.

(1) Plato *de legibus dialogo 7*.

(2) Plato in Timaeo: *Terram altricem nostram circa polum alligatam diei noctisque effectricem, & custodem esse voluit, nec non primam antiquissimamque deorum omnium, qui intra caelum sunt geniti.*

(3) *Veterum Persarum & Parthorum & Medorum religionis historia*, auctore Thoma Hyde. *Editio secunda. Oxonii* 1760. *pag.* 3. 4. 5. 13. Vide etiam *ad pag.* 111. tabulas Mitrae ſeu ſolis, ubi more Indico ſol canicula, ſerpente vitae ſymbolo, calvaria, aliiſque vitae & mortis indiciis inſignitus, ſeu ut generans ſimul & deſtructor repraeſentatur, eo fere modo, quo eum exhibet tabula marmorea Burgheſiana.

Digitized by Google

duo decies centena millia aſcendere dicitur, qui tamen dii nec impeccabiles ſunt, nec immortales; nam ex caelo illo ab Indra detrudi poſſunt, & in terram relegari ad informanda hominum, aliorumque animalium corpora pro rei neceſſitate, habita ſemper mortis & nativitatis ratione & proportione. Nomina & claſſes varias horum ſemideorum in fronte libri Amaraſinha *ſect. ſorggavarggam* deſcripta reperies. Praecipui genii ad utrumque caelum pertinentes, prout eos vetus quoddam manuſcriptum recenſet, ſunt iſti: I. Genio, qui eſt Aaditya ſeu ſol, Karta ſeu dominus onus impoſuit regendi ſolis. II. Genio, quem Indi vocant Nishagara ſeu lunam illuminatricem noctis, praecepit, ut illuminet & regat noctem. III. Ei, qui eſt Brahma, commiſit creationem & formationem corporum. IV. Qui eſt Vishnu conſervationem mundi. V. Qui eſt Shiva, deſtructionem, mortem, iudicia, corruptionem & regenerationem. VI. Qui eſt Indra, firmamenti curam, id eſt ſiccitatem aut pluviam, calorem aut frigus pro rei & temporis neceſſitate. VII Qui eſt Aghni, ignis cura commiſſa, & hic ex vi muneris ſui per fumum ad deos perferre debet ea omnia, quae per ſacrificium homam iis offeruntur. Hic deus a Shiva ſeu ſole et elementari igne diſtinguitur, et ſecundae claſſis diis accenſetur. VIII. Qui eſt Yama, commendata cura virtutum et vitiorum, poenae & praemii, unde Shivae dei miniſter eſt, et praeſes mortis ac inferni. Yáma, ut virtutis deus ſeu remunerator vocatur Dhermadéva, atque bovi inſidens fingitur, ut Bacchi, Shivae, ſeu ſolis aſſecla eſſe cognoſcatur, alias dum caſtigat in inferno furca vel tridente inſtructus repraeſentatur. Unde furca vel tridens non ſemper eſt Neptuni vel Bacchi ſymbolum vel attributum, quod noſtri mythici incautis et rerum ignaris ſuadere volunt. IX. Qui eſt Varuna, aquarum, maris, ſtagnorum, fluminum cura commiſſa fuit. X. Váyu ſeu Marul deo, qui eſt proprie ventus, et deo Indra ſubditus, hoc oneris impoſitum, ut in omnibus corporibus reſideat, ea animet, et conſervet, quouſque a Shiva deo ad examen et tribunal ultimi iudicii in ea ferendi non evocentur. XI. Qui eſt Vishva, et Karma, artium mechanicarum cura commiſſa, atque ipſi praeſident aedificiis omnibus et civitatibus, quas omnes olim una nocte ope

horum

Digitized by Google

horum deorum exſtructas fuiſſe Indi fabulantur. XII. Ashvini et Kumàren fratres medici medendis morbis conſtituti fuerunt. Accedunt his multi muſici, nymphae, daemones etc. En ergo totam Indorum politicam ſcientiam a geniis et aſtris deductam! En totius Indicae philoſophiae ſynopſim! Adde his ſingulis ſuas uxores, atque mythologiam Indicam videbis quaſi abſolutam.

കാമദേവൻ

KAMADEVA SEU CUPIDO

TAB. XXV.

Nihil lepidius, nihil ingenioſius deſcriptione Kàmadéva dei ſeu Cupidinis, quae affertur in vocabulario Amaraſinha *ſect.* 1. *Sorggavarggam*. മദനൻ madana, *petulans*, *ebrius*, *iocator*, *laſcivulus*, *luxurians*. മന്മഥൻ mannmatha, *cor*, *mentem*, *voluntatem inebrians*. മാരൻ màra, *occultus*, *inſidiator*, *velut fur occulte & declinando veniens*. പ്രദ്യുമ്നൻ pradyumna, *pertinax*, *obſtinatus*, *ſtrenuus*. ദൎപ്പകൻ darpaga, *praeſumptione plenus*, item *magnanimus*, item *oculos intentos habens*. അനംഗൻ ananga, *ſine membris corporeis*, *incorporeus*, *ſubtilis*, *levis*. കാമൻ kàma *cupidus*, *deſiderans*, *cupido*, *unde* കാമിക്കുന്നു kàmikunu *concupiſcere*, *deſiderare*, *ardere*. പഞ്ചശരൻ panciashara, *quinque floſculos pro arcu & ſagitta habens*, *floridulus*, *floreo arcu & ſagittis pugnans*. സ്മരൻ ſmarà, *memor*, *menti inſidens*, *facilis recordari*. മനസിജൻ manaſigia, *ex corde*, *ex voluntate naſcens*, item *cordis & voluntatis victor*. കുസുമേഷു kuſuméshu, *floridus*, *inter flores*

ſe ſe oblectans. സൌമനസ്യഃ *ex concordia reciproca, ex amicitia mutua, ex reciproca bona intelligentia naſcens, item eam producens.* ആത്മഭൂ átmabhu, *animae exſiſtentia, vel in anima exſiſtens.* രതിപതി radivadi, *copulae dominus, praeſes.* മകരധ്വജഃ maga-raduagia, *ex ſigno* (zodiaci) *capricorno natus*. En itaque iterum unum Indicum deaſtrum ab aſtronomia deductum! Et ſatis quidem apte, nam capricornus animal natura ſua laſcivulum eſt ac petulans. ചതുരഃ ciuda, *luſor, deceptor, fallendi peritus.* നവമാലികഃ navamáliga, *novem contignationes penetrans, in ſpecula conſtitutus, loca ardua & difficillima acceſſu penetrans, vel ſe ſe in ſpecula*, id eſt *in nona altiſſima contignatione conſtituens, ut facile videatur, animam etiam novem muris ſeptam penetrans.* Ex his epithetis deus Cupido iam liquido dignoſcitur, atque haec deſcriptio facile omnes ſive Graecas, ſive Latinas Cupidinis deſcriptiones elegantia & candore ſuperat. Subinde ſedens, alias ſtans fingitur arcum floridum in manibus praeſeferens, ſed oculos nequaquam obvolutos aut faſcia tectos gerit, ſed potius acuti viſus eſſe dicitur, neque lumina obtegi patitur (1). Hunc illae mulieres cumprimis venerantur, quae bonos maritos aut amaſios exoptant. Rex Travancoridis potentiſſimus princeps ſemel in anno more ſolito eidem ſacrificat in templo *Sushindram* ad promontorium Comorinum ſito, quod huic numini dicatum eſt. Id ſummopere mirandum, quod Indi hunc deum quidem colant, obſcenas tamen imagines extra ſuae religionis myſteria, licentiora carmina, foedas cantilenas, ac libros laſcivos reiiciant, & deteſtentur. Solis illis feſtis diebus, quibus ſacra deae Káli vel Bhadrakáli dictae, quae Proſerpina eſt, ex oculo Shivae dei ſeu ſolis in media fronte exſiſtente nata, & quae peſtiferum virus in mortales immitit, peraguntur, obſcenum carmen ad templa huius deae Bhagavadi, vulgo Pagode dictae, ab infimis tribu-

(1) Ectypon imaginis huius dei ab originali Indica pictura deſumptum exſtat, in muſeo Borgiano Velitris, ex quo figura huius dei in hac tabula exhibetur.

tribubus canitur. Extra hoc tempus, atque feſtum Shivarátri dictum, quo lingamici ſeu phallici cultus inſtitutio recolitur, Indi ſobrii ſemper, ſermone caſti, decori, moribus graves, pietate inſignes in publico & privato comparent, atque genus omne iocandi illiberale, petulans, flagitioſum, obſcenumque vitant. Kàli ſeu Bhadrakàli vel Bhagavadi dea virgo lunae peſtiferae ſymbolum, quia in rerum generationem terreſtrium influit, cantilenis iſtis obſcenis oblectatur, & quia ſimul generationis & deſtructionis, vitae & mortis domina eſt, inde accidit, quod etiam eo tempore, quo variolarum morbum in populum immitit, quove populus peſtem feſtis & ſacrificiis huic deae oblatis propellere conatur, hic idem populus obſcenas in honorem huius deae cantilenas decantet, quibus deam delectari ſibi perſuaſum habet. Hoc certe prima fronte cuique videtur mirabile & valde ridiculum, quod tamen, ſi res mythologicae huius deae recte excutiantur, mirifice convenit cum proprietatibus lunae ſeu deae Káli ab antiquis ſcriptoribus attributis. Vide ſimulacrum deae Hecate ſeu Proſerpinae *ad pag.98.* in opere inſcripto: *imagini de i dei de gli antichi*, & Macrob. in *ſomnium Scipionis lib.1. cap.11.* ubi haec habet: *Atque ideo inter lunam terraſque locum mortis & inferorum vocari, ipſamque lunam vitae eſſe mortiſque confinium: & animas inde in terram fluentes mori, inde ad ſupera meantes in vitam reverti. A luna enim deorſum natura incipit caducorum . . . Nec dubium eſt quin ipſa* (luna) *ſit mortalium corporum & auctor & conditrix, adeo ut nulla corpora ſub luminis eius acceſſu patiantur augmenta & hac decreſcente minuantur*. Et Horatius *carm. lib.1. od. 28. verſ.19:*

Mixta ſenum ac iuvenum denſantur funera: nullum
Saeva caput Proſerpina fugit.

Confer etiam de Proſerpina & luna *lib.3. cap.16. & 17.* Natalis Comitis (1), qui tamen quia duos effectus ſibi oppoſitos generatio-

(1) *Natalis Comitis mythologiae, sive explicationis fabularum libri decem, in quibus omnia prope naturalis & moralis philosophiae dogmata contenta fuisse demonstratur*. Coloniae 1610.

rationis & deſtructionis, vitae & mortis, benignitatis & peſtilentiae, in luna ex veterum ſententia non diſtinguit, in ſuo argumento pertractando non parum alucinatur.

Eadem omnino cauſſa ſubeſt obſcenarum confabulationum, quibus Indi indulgent nocte ശിവരാത്രി Shivarátri dicta, id eſt ea nocte, Shivae ſeu deo ſoli ſacra, qua inſtitutionem cultus lingamici ſeu phalli celebrant menſe martio, & qua etiam parvula phalli ſimulacra venumeunt iis, qui ipſis deſtituuntur, & ea ex collo aut brachio geſtare volunt. Populo ad Shivae ſeu ſolis vitae & mortis domini templum congregato, poſtquam ieiunio & lotione corporis ſe ſe expiavit, intempeſta nocte in cantus & ſatis obſcenas confabulationes tunc prorumpere placet, & his orgiis operam dare. Shivae dei phallo inſtructi ingens ſimulacrum de templo effertur, & perticae impoſitum hinc inde curſitando geſtatur. Populus circumſtat & petulantiores viri depoſito pudore obſcena carmina cantant (1). En unum ex illis: ശിവന്റെലിംഗംതെറിക്കുന്നുനല്ലപെണ്ണുങ്ങളുണ്ടെങ്കിലിങ്ങൊട്ടുവരികെടൊ Shivande lingam terrikunu nalla pennanguel undenguil ighnota variguedò *Shivae dei phallus ſaltat, ſi quae pulchrae ſunt mulieres, accedant*. Ubi obſervandum eſt, haec orgia noctu peragi, quod innuit phalli cultum noctu inſtitutum fuiſſe, atque adeo nocturno Baccho ſeu ſoli nocturno conſecratum eſſe, ita ut generatio rerum terreſtrium ex philoſophia Indica noctu praecipue fieri ſupponatur, & ſol nocturnus vitae & mortis dominus ſit, generans et deſtructor, & denique criminum vindex, cui ex hac cauſſa nocturnae larvae, daemones, aliique genii nocturni രാത്രിചര rátriciara ſeu nocturni ambu-

(1) In Muſeo Kircheriano multae exſtant figurae ithyphallicae in antiquis pictis tabulis, quae muſei illius parieti impactae & inſertae fuerunt. Adeſt praeterea tabula picta in eodem pariete deae Cereris feſtivam pompam ac liba repraeſentans, in qua ſtatua deae Cereris eodem plane modo ac ritu in pertica portatur, quo hodiedum Shivae dei, aliorumque Indicorum numinum ſimulacra in ſolemni pompa circumferri ſolent. Ibidem pariter exſtat ſtatua marmorea Budhae ſeu Dhermae virilibus erectis cum hac epigraphe Romana DIVO MERCVRIO. Dherma ergo ſeu Herma, Mercurius ſeu Budha eſt.

ambulatores dicti, tamquam miniſtri et famuli attribuuntur. Haec vera eſt ratio, cur etiam in antiquis urnis Romanis Bacchus ſeu ſol toties etiam obſceno modo caelatus videatur, atque ut vitae & mortis dominus, defunctorum denique iudex, boni remunerator, et mali vindex repraeſentetur. Mythici noſtri haec omnia ad vinum, ad fertilitatem glebae, ad abundantiam frugum, aut ad ebrietatem vini effectum referunt, quaſi antiquitas tota, atque Indi, qui numquam vinum bibunt, ſemper ebrii fuiſſent; ebrii potius ipſimet dicendi, quia in explicandis antiquis monumentis toto caelo aberrant. Confer de his rebus Coelium Rhod. *lect. ant. lib.17.cap.20.*, Clement. Alex.*pag.14. in protreptico*, & §.25. lib.3. Reg.*cap.*15.*v.*13. Diodor. Sic. *lib.*1., & Sonnerat *tom.*1. *p.*312. 313.320.301.323., ubi etiam Indorum antiquitatem ex hoc lingamico ſeu phallico cultu probat. Adeſt praeterea in muſeo Borgiano Velitris taliſma lapideum Indicum quadrangulare, quod lingam ex una parte, ex alia vero ſidera caelata exhibet, ex quo, uti etiam ex urna Farneſiana aliiſque monumentis, iam recte deducimus, res Bacchi ad ſolis effectus referendas eſſe. Unde aiunt etiam Calcuttenſes Angli in libro *Aſiatick reſearches*, *tom.1. pag.249. There is yet another attribute of Mahádéva* (Shiva), *by which he is too viſibly diſtivguished in the drawingas and temples of Bengal. To deſtroy, according to the vedandis of India, the ſuf'ls of Perſia, and many philoſophers of our European ſchools, is only to generate and reproduce iv other form: hence the God of deſtruction is holden in this country to preſide over generation, as a ſymbol of which he rides on a whithe bul* (1).

(1) De Baccho Indico multa affert *tom.1.lib.2.sect.3.pag.*140. & 141. etiam Stephanus Fourmont in opere cit.

സുബ്രമണ്യഃ

S U B R A M A N N Y A

TAB. XXVI.

Shivae deo ſeu ſoli tres in mythologia Indica attribuuntur filii, & una filia. De hac filia, quae ſimul Shivae dei uxor eſt, atque Káli, id eſt nigra vel fuſca dicitur ex eo, quod lunam peſtiferam, ac probabilius in èclypſi conſtitutam repraeſentet, iam ſupra ad *pag.* 100., atque in diſſertatiuncula *de Káma deo* diſſeruimus. Deum Gannavadi ſeu Indicum Ianum, qui primus ſolis & lunae filius eſt, pariter deſcripſimus. Secundi ſolis & lunae filii Hanumán ſeu Pan dei in articulo *de Shriráma* meminimus. Tertius ſolis filius eſt Subramanya vel Kártiguea deus Hercules Indicus, quem Párvadi ſeu luna abſente ſuo marito ſole ex adulterio, aut ex proprio libidinis aeſtu concepiſſe fingitur, atque huic ſex ſtellae nutrices & educatrices attribuuntur. Deaſtri iſtius in muſeo Borgiano ſimulacrum ex aere fuſum exſtat, quod eum pavoni inſidentem, atque VI. capitibus inſignitum exhibet. Subramannya in Amaraſinha his epithetis ab aliis diis diſtinguitur: മഹാസേനഃ muháséna *dux militiae caeleſtis*, ſeu ut R.P. Hanxleden in indiculo univerſali ſuo dictionario praefixo ſcribit, *Geral do exercito do ceo filho de Párvadi*, filius nempe lunae. കാർത്തികേയഃ Kàrtiguea, ad quod epithetum obſervandum eſt, കാർത്തിക Kàrtiga unam ex viginti ſeptem conſtellationibus eſſe, quas luna percurrendo apud Indos menſem lunarem efficit, conſtituitque. Sicut ergo Shriràma in ſua incarnatione ex ſtella *Rohini*, quae pariter una ex XXVII. eſt, incarnatus fuiſſe fingitur, unde is quidem *Rohinneya* vocatur, ita pariter Hercules ſeu dux militiae caeleſtis Subrahmannya a ſtella Kàrtiga educatus fuiſſe fingitur, licet ex ſole & luna natus ſit. Quare ſi ipſa rerum origo & radix attentius expendatur, Herculem a Baccho, quem Graeci confundunt, monumenta Indica diſtin-

diſtinguunt. Nam Bacchus iunior Shriràma eſt, vitae ſator & heros ſol diurnus, Hercules vero a ſtella *Kártiga* educatus, militiae quidem caeleſtis dux eſt, ſed vitae ſator non eſt, atque ab alio mythologico fonte dimanat. Stellam Kàrtiga Sonnerat de aſtronomia Indica agens in ordine illarum viginti ſeptem tertiam conſtituit *tom.2. pag.*203. *edit. in* 8. Idem facit R. P. Hanxleden in ſuo dictionario ſub voce *nakshatram*. Signum iſtius ſtellae haedum eſſe putat Sonnerat. R. P. Georgius in Alphab. Tibet. *pag.*161. de hoc Mahadévae ſeu Shivae filio ex ſententia Nepalenſium agens, eum VII. capitum eſſe exiſtimat, atque a VII. ſtellis urſae maioris educatum fuiſſe aſſerit (1). Quaecumque haec ſtella ſit, id unum certum atque exploratum eſt, deaſtrum hunc a ſtella Kàrtiga Kàrtiguea appellari: nam hoc nomen ei vocabularium attribuit, ſub hoc nomine eum Angli in ſuis monumentis Indicis proferunt, & ſtella haec in ſerie Indicarum conſtellationum reperitur; adeoque iterum palam & aperte evincitur, mythologiae Brahmanicae baſim aſtronomiam eſſe, ac primo apud ipſos, ſicut apud Chaldaeos & Perſas, ſabaiſmum, deinde vero idololatriam obtinuiſſe (2). ഷഡാനനാ shadhànanà *ſex vultuum*. Et talem eum exhibet ſimulacrum muſei Borgiani, & Calcuttenſes Angli, qui ad *pag.*252. de hoc deaſtro agentes, aiunt: *Cártiguea with his ſex faces*. Hic ergo deus nequit eſſe mars planeta; nam hic apud Indos contemplator eſt ſeu muni aut heſycha-

(1) In globo caeleſti Cufico Arabico muſei Borgiani Veliterni a Simone Aſſemano illuſtrato, & typis Patavinis anno 1790. edito, urſae maioris ſtellae viginti novem indicantur, urſae vero minoris ſtellae ſeptem *pag.* XCIV. Harum VII. ſtellarum una eſt informis. Ibidem ultima caudae urſae minoris, quae eſt ſtella polaris haedi ſigno diſtinguitur. Quare deus *Kártiguea* ab his ſeptem ſtellis educatus fuit; quod etiam tradunt Malabarenſes Indi. Quia vero una ex illis informis eſt, neque deum hunc alere potuit, ideo ipſi ſex tantum facies iure merito appinguntur. Quod ſi Nepalenſes eum cum VII. faciebus exhibent, non ideo erroris ſunt inſimulandi.

(2) Abbas Laurentius Hervas vir liberali doctrina clarus in opere inſcripto: *Viaggio estatico al mondo planetario*, quod inſignis ſui Mecaenatis Antonii Ponce de Leor ducis de Montemar liberalitate Mantuae Carpentanorum typis vulgandum miſit, in uno volumine plura adducit de mythologia planetaria, quam ab initio ex India dimanaſſe oſtendit. Hic idem Budhae Indici res illuſtrandas ſuſcepit, poſtquam locupletes auctoritates ex Indicis libris, quas ego in hiſce meis contractioribus lucubrationibus adducere nequeo, viro huic de litteraria republica bene merito communicaveram.

ſychaſta, qui *ciovà* id eſt rectus, & *mangala* ſeu bonus et felix dicitur, ob bonum in terram influxum, neque bellator eſt, quod recentiores Graecae fabulae adſtruunt. പാൎവ്വതീനന്ദനൻ Pàrvadinanana *filius & gaudium deae Párvadi*, quia ex luna progenitus eſſe dicitur. ശിഖിവാഹനൻ shighivàhana pavone equitans, quia pavone vehitur. കുമാരൻ kumàra *iuvenis*, *adoleſcens*. ഗുഹൻ guha *ex antro ortus*, quod allegorice dictum eſt, nam ഗുഹ്യം guhyam vulvam femineam ſignificat & deaſter hic inde natus, ſeu eiectus fuit in aeſtu libidinis, quo eum Pàrvadi ſeu Iuna concepiſſe, & peperiſſe fingitur. Unde ait R. P. Ildephonſus cap. 18. in cod. manuſcr: *Dicunt Brahmanes*, *quod Parameshvari* (Pàrvadi) *conceperit* (occulte nempe, & ſole marito ſuo abſente) *quia ergo ſe gravidam ſentiebat*, *timuit maritum Iſhvara* (dominum ſeu ſolem) *ac ideo volens eiicere ſemen a ventre ſuo*, *conſpuit & cum ſputo eiecit etiam ſemen ventris*, *ex quo natus fuit homo cum ſex capitibus*. Hinc certe profluxit vetus Graecorum error, qui, ut Herodotus ait, Herculem in Scythia in antro natum eſſe affirmant, et matrem eius mythologiae Indicae imperiti, in antro ſeu ſpecu quadam conſtituunt. സ്കന്ദ ſcanda *celer viator*, സ്കന്ദനം ſcandanam enim *pernicitatem*, *ſeu actionem celeriter eundi*, *circumeundi*, *vel peregrinandi* ſignificat. Vide dictionarium R. P. Hanxleden ſub voce *ſcandanam*. Deaſter ergo iſte Scanda vocatur, quia celerrime exercitum ſuum caeleſtem luſtrat, et pavone pleno oculis vehitur, ut indicet, belli ducem celerem & circumſpectum eſſe debere. Hic ergo Scanda, non Scythicum, ſed Indicum eſt numen, atque ab eo nomen traxit Scandinavia extrema ſeptemtrionalis terrae pars, quae per Scythas, qui cum Indoſcythis communicaverant, non ſolum hoc numen & nomen Scanda accepit, ſed etiam Budham ſeu Vod vel Oden aut Teut, qui idem ac Budha vel Herma eſt, Manu denique Indicum regem gentis ſuae conditorem ſe habere gloriatur

riatur

riatur (1). Unde Tacitus *de moribus Germ.* ait: *Tuiſtonem* (corruptum a Teut) *terra editum*, *& filium Mannus originem gentis* (Scandinavianae) *conditoreſque*. Et certe Kalmuki et Syberitae hodiedum devotionis et religionis cauſſa cum magno Tiberi Lama communicant, id quod D. Turner, qui Ticho Lamam ipſe inviſerat, in epiſtola ad D. Iohannem Macpherſon gubernatorem generalem anno 1786. Calcutta ſcripta ſatis indicat (2). Ex quo argues, iam antiquiſſimis temporibus religionis Brahmanicae aliqua capita & vocabula ex Indoſcythia intra montem Imaum, atque ad Indum fluvium exſiſtente, in Tiberum Indiae vicinam terram penetraſſe, et inde in ulteriorem Scythiam ac Scandinaviam perlata fuiſſe, id quod nos locupletiſſima auctoritate in grammatica Samſcrdamica docuimus (3). Idem hic Scanda Indicus vetus Perſarum Secander eſſe videtur, unde Calcuttenſes Angli pag. 252. animadvertunt. *His name Scanda has a connexion, I am perſuaded, with the old Secander of Perſia, whom the poets ridiculously confound with the Macedonian.* Vocabula mundi caeleſtis aſtronomica antiqua a Chaldaeis aut Arabibus accepta, ut communiter fert opinio, hodiedum in noſtra aſtronomia poſſidemus, quamvis noſtra religio non ſit ſabaiſmus; quidni igitur vocabula aſtronomiae Indicae alio perferri & adoptari potuerint, quando omnium fere gentium antiqua religio praecipue ſabaiſmus fuit? Adde his, quod quemadmodum Brahmanes Shivae ſeu ſolis nomina & epitheta omnia, quae nos ſupra retulimus, quotidie ex roſario *rudráksham* dicto recitant, ita quoque militares viri Indici Scandae huius nomina hic deſcripta devotionis cauſſa recitent, id quod non ſolum huius dei originem Indicam eſſe probat, ſed antiquitatem huius libri Amaraſinha, ex quo ea afferimus, mirifice commendat. Etenim ut recte animadvertit Scaliger, epitheta deorum varia in hymnis Orphei per Onomacritum redactis, relata, primo illo tempore in functionibus liturgicis

 & ſa-

(1) Vide in libro *Asiatick researches* tom. 1. §. 18. *On the literature of the Hindus*, pag. 342. & pag. 346. *In the eleventh book of Menu, a Work aſcribed to the first age of mankind, and certainly of high antiquity &c.* item *pag.* 230. ubi multa de Manu afferuntur.

(2) *Asiatick researches pag.* 207. §. 8. *An account of a journey to Tibet.*

(3) Grammatica Samſcrdamica *p.* 55. 58. 60. 61.

& ſacrificiis recitabantur ; & quia epitheta deorum Brahmanica in his eiſdem ſacrificiis & liturgiis recitantur, ſtatuis denique & ſimulacris Indicis conformia ſunt, atque ea illuſtrant, cui facile in mentem non veniat, librum hunc Amaraſinha, atque haec epitheta iam ante 500. annos ante Chriſtum natum in Indico cultu obtinuiſſe, prius nempe quam Orphei hymni compoſiti & elucubrati fuerant? Unde etiam inferendum eſſe exiſtimo, libri huius nomen non Amaraſinha, ſed *Amaracinha* ſcribi debere, librum nempe *caeli ſigna* continentem; amara enim *caelum* vel *deos caeleſtes* ſignificat, cinha vero *ſignum* ſeu *indicium*, quo aliquid ab alio diſtinguitur, de quo vide huius libri *ſect.* I. *Sorggavarggam* ſub voce അമരം amara & ചിഹ്നം cinha. Ita certe huius vocabuli etymologiam & analyſim mihi tradidit linguae Samſcrdamicae peritiſſimus vir Ciangra Aashan, atque alucinatos fuiſſe puto Calcuttenſes Anglos, qui Amaraſinha philoſophum & Vikramaaditya regis Indici a conſiliis virum fuiſſe adſtruunt, ipſique hunc librum nullo prorſus fundamento innixi adſcribunt, cum tamen evidens eſſe videatur, librum iſtum una cum idololatria Indica compoſitum fuiſſe, ac non ſolum totius mythologiae ac liturgiae baſim, ſed primum librum precatorium eſſe, quo Brahmanes in ipſo ſuae idololatriae exordio uſi ſint; nomina enim & proprietates deorum refert, quae ſemper in eorum ore ſunt, fueruntque.

Quid igitur obſtat, quin vocabula *Nama*, *Siba*, vel *Shiva*, *Scanda*, *Manu*, vel *Menu*, *Dherma*, *Budha*, *Máya*, aliaque, quae certe in radice ſua Samſcrdamica ſunt, ſive pace, ſive bello, ſive communicatione, ſive coloniis in Indiam ductis, ſive denique gentium & temporum revolutione in alias orbis plagas perferri potuerint? Niſi forte tibi praeplaceat opinari, linguam hanc ſacram Samſcrdamicam cum ſabaiſmo incepiſſe, ac cum eo vocabula quoque in alias orbis partes penetraſſe. Id quod noſtra non intereſt nunc inquirere, cum arctis teneamur vinculis & limitibus, qui longius progredi vetant. Vide in grammatica Samſcrdamica explicationem noſtram inſcriptionis tauri Burgheſii: *Nama Sebeſio Deo ſoli invicto Mitrae*, adoratio Sebeſio (Shi-

(Shibae vel Shivae) deo ſoli invicto Mitrae, & apud Muratorium (1) inſcriptionem repertam in villa Tiburtina Hadriani, quam mihi clariſſimus vir Georgius Zoega communicavit, & quae ita ſe habet: *Soli Invicto Mithrae, ſicut ipſe ſe in viſu iuſſit refici, Victorinus Caeſ. n. verna diſpenſator numini praeſenti ſuis impendiis reficiendum curavit, dedicavitque NAMA cunctis*. Ubi vides epithetum Mitrae ſeu ſolis adiecta littera h corruptum fuiſſe, id quod nos huius opuſculi pag.2. animadvertimus. *Nama adoratio*, unde ſenſus inſcriptionis eſt: *dedicavitque adorationem cunctis, ſeu ut cuncti eum adorent*. Haec inſcriptio ac vocabulum *nama* non ſolum inter Brahmanes vulgariſſimum eſt, ſed & ipſa adorationis formula, quam ſemper in ore habent. Sic Gannavadaye namá *adoratio deo Gannavadi*, Shiva Shiváya namá *deo Shivae ſeu Sebeſio adoratio*, dimanat enim vocabulum *nama* a verbo നമതി namadi *adorat*, നമസി namaſi *adoras*, നമാമി namámi *adoro*, namá *adoratio*, unde സ്തെഭ്യൊനരെഭ്യൊനമഃ ſtebhyo narebhyo namá, *huic viro laus & adoratio &c.* Vide uſum & analyſim huius vocabuli in grammatica Samſcrdamica *pag.*28. *& ſeq.* quae omnia certe evincunt, Mitrae ſeu ſolis cultum unacum vocabulis Indicis non ſolum ad Perſas & Scandinavianos, ſed etiam in ipſam urbem Romam perlatum fuiſſe, ac proinde linguam ſacram Samſcrdamicam antiquiſſimam eſſe.

DE CULTU ANIMALIUM

TAB. XXVII.

Cycnus, accipiter vel aquila, ſimia nigra mento barbam gerens, corvi, glis vel mus, ſcarabaeus reflexa ſeu recurva cornua geſtans & lucidis alis inſtructus, hircus praeſertim ſubruber, piſcis, porcus, ſerpens, elephas, bos, vacca Indis pleriſque animalia ſacra ſunt, ſed omnia haec nec aequali honore donantur, nec aequali cultu afficiuntur.

Cyc-

(1) Muratorius *in novo theſauro inſcript. pag.*918.*n.*9.

Cycnus ഹംസഃ hamſa Brahma dei vehiculum, cui nempe terra ſeu Brahma inſidet, apte huic elemento attributus fuit; aquis enim terra innatat, quarum ſymbolum eſt cycnus, terrae autem ipſe deus Brahma. Natura, & indoles cycni eſt aquis innatando meliorem, puriorem, limpidiorem, ac ſalubriorem aquam diſcernere & delibare, ſtagnantem autem & ſemiputrem reiicere. Cycni indoles proinde terrae convenit, quae limpida & ſalubri aqua formari, ali, animari, & augeri vult, ut ſalubres terrae fructus procreet. Vide *pag.* 19. *grammaticae Samſcrdamicae*, ubi aperte palamque in veteri quadam ſententia Brahmanica ſcientiarum cupido viro cycni ingenium imitandum proponitur, qui pleno ſtagno innatans & undequaque aquis cinctus, ex iis meliorem & puriorem diſcernit, bibitque. Cycnus praeterea animal eſt ſalax & in luxuriem profuſum, quemadmodum terra ad germinandum proclivis, quare cycni epithetum etiam ſoli attribuitur, quaſi & ipſe ex humore ſeu aqua procreet, atque ad generandum ſit promptus & efficax. Vide de cycno multa apud Natalem Comitem *Mythologiae lib.* 7. *pag.* 713. *&* 714. Neque mirum alicui videri debet in Graecis fabulis aliquando reges cycnos vocari, aut in cycnos mutatos fuiſſe, ferri, cum cycnus attributum ſolis ſit, quod & nonnulli reges Indici gerebant, qui cycni et ſoles ſeu Mitra et Hamſa in poematibus Indicis appellantur. Eſt ergo cycnus animal etiam Indis ſacrum, & a poetis Brahmanicis miro laudum encomio celebratum, quamvis nullibi, quod ſciam, apud Indos peculiari devotione cultum.

Aquila, nonnullis accipiter rufus, Vishnu dei vehiculum Brahmanibus ഗരുഡഃ Garudha, et ഖഗേശ്വരഃ Gaeguèshvara ſeu *dominus & princeps avium*, സുപർണ്ണഃ ſuvarna id eſt *coloris aurei* eſſe ſcribitur, atque aeris ſymbolum eſt, quo aere Vishnu ſeu aqua vehitur et ſurſum fertur, ut iterum pluat, atque terram humore ſuo conſervet, quod Vishnu dei officium eſt. Veteres nummi, quorum aliquos Bayer, aliquos Thomas Hyde, et multos D. d'Hancarville exhibet, aquilam volantem et inter

ungues

ungues fulmen geſtantem praeſeferunt. Illi ergo nummi aerem et ignem coniunctum ſignificant, elementa duo, quae a multis Aſiaticis gentibus adorantur.

Bos മൂരി mùri കാള kála, vel പശു pashu dictus, a quo Shiva deus, id eſt ſol vel Bacchus പശുപതി pashubadi, id eſt *dominus bovis* vel *maritus vaccae* denominatus fuit, quod epithetum ei vocabularium Samſcrdamicum attribuit, citra omne dubium terrae ſymbolum eſt, qua ſol vehitur, ſeu quam ſol ſuis radiis, luce et calore afficit, ut per eum germinet, et fecunda reddatur. Multa paſſim apud illos, qui reconditas litteras, emblemata et ſymbola ſcrutantur, atque ex veteribus monumentis deſcribunt, reperies ſimulacra ſive ex aere fuſa, ſive in rupibus et marmore caelata, ſive aeri inciſa, quae bovis figuram vel diſcum ſolarem inter cornua geſtantis, vel cornu ſuo ovum mundi principium, aut ipſam terram impetentis et protrudentis repraeſentant. Primi generis ſimulacrum inſigne exſtat in muſeo Kircheriano, quod quiſque facile inſpicere et examini ſubiicere poteſt. Multa alia affert d'Hancarville, ſed qua fide, qua cura, et ex quibus monumentis, Deus novit. Bos iſte, quo etiam Mitra Burgheſius vehitur, ſubinde ut iam ſupra animadvertimus, etiam ipſum ſolem ſymbolice repraeſentare poteſt, dum nempe ex certis indiciis deprehendere licet, eum virtutem generatricem, vitae dominum eſſe, et dum ſolus ſine Mitra, Baccho, Shiva, Oſiride ſeu ſole ipſi inſidente exhibetur. Nemo itaque anxio et ſollicito ſit animo, dum ſeu Apidem ſanctum, ſeu Mùri vel Kála Indicum, aut Perſicum, pro ſole uſurpari videt, nam tunc ſignum pro re, id eſt bos pro Baccho aut Mitra vel Shiva ponitur. Inde apud Orpheum, apud Plutarchum, quin etiam in ſacris paginis ſaepe taurum vel bovem aut vitulum pro ſole uſurpari, ac bovem Mitrae vel Baccho, Shivae vel Sebaſio ſupponi videbis, de quo confer Calmeti diſſertationem *in Moloch deum Ammonitarum*, *hymnos Orphei*, & *Plutarchum*. Dum anno 1776. Pondicerii in ora Coromandelidis degerem, menſe octobri, ſi bene memini, feſtum bovis Shivae dei magno apparatu atque ſolemni ritu gentiles Indi celebrarunt. Bos rufus

Digitized by Google

ſus a Brahmanibus, proximi templi, in quo alebatur, cuſtodibus et ſacrificulis inter pulſantia crotala et tympana per publica compita ducebatur, aut potius ipſemet caerimoniae iam peritus, de domo in domum oſtiis ubique patentibus intrabat, proſtantem oryzam capiebat, edebatque, beata denique illa domus eſſe exiſtimabatur, ex qua paullulum oryzae caperet. Incolae domuum magna illum devotione excipiebant, multi dextera manu tangendo venerabantur, multi pietatis cauſſa bicornem et quadrupedantem deum ſequebantur, floſculis ac feſtiva acclamatione honorabant. R. P. Stephanus a Ss. Petro et Paullo acris iudicii vir olim Malabariae Miſſionarius in veteri ſuo manuſcripto codice, qui apud me exſtat, ita habet: *La metempſicoſi la più onorevole dopo la figura umana è quella d' entrare un' anima nel corpo d' un bue, o d' una vacca. Oltre le ragioni allegate ſu la preferenza di queſt' animale, v' aggiungerò, che queſto è un reſto dell' antico culto del dio Apis, e che il Vahana* (vehiculum) *d' Iſhvara, o di Shiva potrebbe bene averne data l' origine. Il miniſtro Roger racconta che eſſendo morto naturalmente un bue, gli fecero* (Brahmanes) *funerali così onorifici, che ſi potrebbero far a un uomo di diſtinzione &c.* Boves duo enormes & ingentes ex lapide proſtant in fronte templi gentilicii in oppido Triplour in ora Coromandelica, numquam tamen ſive ibi, ſive in ora Malabarica vidi bobus his litari, aut eos oleo perfundi, quod aliis idolis fieri aſſolet. Minus vero Indi ad vexandum bovis oraculum veniunt, quod Aegyptii facere conſueverunt. Sed nec mulieres ſemen Apidi monſtrant, quod (1) ſolebant feminae Aegyptiae, ex quo ſane

(1) *Apen* in lingua Indica *patrem* vel *progenitorem* ſignificat. Ex hoc, aut ſimilibus vocabulis D. d' Hancarville nomen Apidis deducit, atque patrem vel progenitorem ſignificare autumat. Quid quid de origine & primigenia huius vocabuli *Apis* ſignificatione ſit, Diodorus Sic. *biblioth. lib.* 2. Aegyptias mulieres *veſtibus ſublatis Apidi tauro ſemen monſtrare* ſolitas fuiſſe, narrat. Quae quidem actio innuere videtur, Aegyptiis perſuaſum fuiſſe, Apidem taurum, ſolem, patrem, ac progenitorem, ſeu generationis ſymbolum eſſe. Apidem ex India in Aegyptum per Bacchum adductum fuiſſe exiſtimabat Phylarchus. Cui opinioni refragatur Plutarchus dicens: *Contemnendus etiam Phylarchus, qui ſcribit primum ex India Bacchum adduxiſſe boves duos, quorum Apis alter, alter Oſiris ſit dictus.* Vide *lib. de Iſide*. Primum Apidem in Aegypto conſecratum fuiſſe anno 1171. ante Chriſtum natum tradit Paullus Iablonskius. Vide de Paw *tom. 2. pag.* 152.

ſane argues Apidem nec tam ſuperſtitioſe, nec tam aniliter in Indiis adoratum fuiſſe, quam olim adoratus fuerit a tetricis Aegyptiis.

Vacca, magnum Indiae numen, Iſidi ſeu Bhaváni deae, id eſt lunae, ac Lackshmi deae, ſeu telluri eſt ſacra. Quocumque modo ſpectetur, fecunditatis ſymbolum eſt, atque unam ex illis deabus repraeſentat. Idcirco Indorum tanta in vaccam religio, atque hinc in Malabaria hodiedum in toto ſuo vigore exſtans illa lex, qua morti addicitur ille, qui vaccam interficit, vidique ſaepe ſed cumprimis anno 1785. in Malabarià ad flumen templo celebri Ambalapushe proximum, extra oppidum Callurcàta in ſilvula, ſententia regis Travancoridis Ráma Varmer quinque viros arbori appenſos & morti traditos, quod contra regni leges & religionis praeſcripta voluntarie unicam vaccam occiderint. Lepidum videbitur ſi dixero, ſub Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Epiſcopo Limirenſi Vicario Apoſtolico Malabariae fere per viginti annorum ſpatium voluntariam occiſionem vaccae crimen Epiſcopo reſervatum fuiſſe, ut hac reſervatione Chriſtianos ab occiſione vaccae arceret, neve occiſione unius animalis & civili crimine unius Chriſtiani totam fidelium eccleſiam perſecutioni, everſioni, accerrimo denique regum & miniſtrorum odio exponeret, ac profligandorum cathecumenorum occaſionem dediſſe videretur. Vaccae cornua lunae cornua mirifice repraeſentare, deam Laekshmi telluris nempe genium feminam in vaccae uberibus, in lingua, in ore, in cauda reſidere, atque ideo animal ſacrum eſſe, Indos fabulari, iam ſupra meminimus. Quare cum ego in oppido Rámapurata miniſtro regis Travancoridis dixiſſem, Europaeos homines vaccinam carnem edere, Pythagoricus ille & pientiſſimus vir aures ambabus manibus obſtruxit, & me inſalutato exivit, diſceſſit, aufugit. Dum ego cathecumeno Paillo ex oppido crucis miraculis clarae, Kurishinguel dicto, noviſſime a me ad catholicam fidem traducto, & ſacro baptiſmatis fonte eluto dixiſſem, ut vaccinam carnem ederet, iuvenis praeclari alioquin ingenii, probae indolis, ac modeſtia & pietate inſignis repente obſtupuit, mihique reſpondit: *vaccam occidere eiuſque carnes manducare, idem eſſe, ac ſuam propriam matrem interficere, eiuſque carnes edere.*

Ne vero praeceptum meum contemnere videretur, ex appoſita carne titivilitii inſtar fibram carnis decerpſit & comedit. Dum D. Weltchor Anglus regis Travancoridis unius cohortis tribunus regi ſuaderet, ut pro recondendo tormentario pulvere militares peras ex pellibus vaccinis confici curaret, rex obſtupefactus quaſi ira exarſit, atque ut ille ſermonem cohiberet, praecepit. Ne vero militari commodo aliquid deeſſet, ſilveſtria animalia cervos, hinnulos, damas, bubalos, uros, rupicapras venatione inſequendo occidi, atque ex eorum pellibus peras confici curavit. Ad hos ergo reges & philoſophos ego loquaciſſimum, & inficetis argutiis totum diſtentum philoſophum noſtrum de Paw miſſionarium mittere vellem, ut inflata ſua mente philoſophiae ſuae oracula funderet, & reges illos ac philoſophos Pythagoricos converteret, atque ſectae ſuae adiungeret. Ipſe in diſquiſitionibus ſuis, id eſt in viſionibus ſuis, *tom.1.ſect.3.pag.99.* Pythagoram accuſat, quod ſapientes Aegyptios & Brahmanes Indos inviſendo inſtar monachi Carmelitae & iudaizantis, dogmata eorum ac vivendi modum inter ipſos degens adoptaverit, ac iiſdem ſerviliter addictus fuerit, quod naturae effectus ſcrutatus non fuerit, ſed ſimpliciter dogmata & inſtituta Aegyptiaca, & Indica aniliter in Graeciam ſecum attulerit. Bona huius eximii viri venia interrogarem: quanam ipſe fronte & forma, quo ſapientiae ſuae genere & armis cum his regibus & philoſophis Brahmanicis congrederetur? Cum primum in conſpectum horum philoſophorum admiſſus fuerit, ſi tamen admiſſus fuerit, ex ipſo quaerent: *cur ad nos veniſti tam immenſo itinere? an ut doceas, an ut docearis?* Si primum, *manſiſſes melius, Caeciliane, domi.* Doctrina tua nos nullatenus egemus, quod ſcis per traducem, & communicationem, a nobis accepiſti, quod doces, nos iam a tribus mille annis docuimus (1). Nos primi philoſophi ſumus & fuimus, novi-

(1) *Tum Dandamis ad Alexandrum: Cur ad nos venisti? quid vis ex nostra solitudine ferre? Quod quaeris,* hoc (divitias) *non habemus, eorum quae possidemus, non indiges. Nos Deum reveremur, homines amamus, aurum spernimus, mortem despicimus, voluptates non curamus. Vos autem mortem timetis, aurum amatis, voluptates concupiscitis, homines odistis, Deum contemnitis.* Palladius *pag.*26. *edit. Eduardi Bissaei.* Vide etiam Plutarchi *Alexandrum magnum*, edition. Francoforti 1580.pag.210. & ſeq. ubi ita diſ-

novitates excludimus, Deum honoramus, naturae leges non evertimus, longinqui temporis uſu, populi exercitatione, & univerſali periclitatione probata inſtituta non dimittimus, loquacitatis & amarulentae mordacitatis expertes ſumus, quieti, tranquilli, pacifici philoſophiae operam navamus. Si ut docearis ad nos veniſti, comptulum, bene cincinnatum, carne & vino bene fartum, crepundiis, aciculis, fibulis & nodulis redimitum philoſophum Europaeum de Paw exue, legem & ridiculas patriae tuae conſuetudines, artemque tuam naturae ne praeponas, a vino & venere abſtine, animatum ne tangas, humi nobiſcum cuba, nobiſcum frequenter ieiuna & limpidam aquam bibe, nudus cum nudis philoſophare. Ita mens tua Europaeis vaporibus offuſcata pedetentim inclareſcet, & diſcuſſis tenebris, quibus involvitur, opportuna erit ad noſtrae philoſophiae dogmata percipienda. Quod ſi hoc diſplicet, apagete cum omnibus tuis Europaeis praeiudiciis, quae dimittere non vis. Hoc certe modo receptus fuit apud Brahmanes Pythagoras, hoc modo excipietur de Paw, & ſiquidem diſcendi cupidus eſt, etiam circumciſionem pati volupe ipſi erit, ſi non, mente perdita & a communi veritatis ſenſu disiuncta, idiota loquax ad ſuos in Germaniam philoſophiae Brahmanicae imperitus revertetur. Sed nullum periculum adeſt ſuſcipiendi itineris. D. de Paw domi ſuae nullo inſpecto terrarum climate, nulla viſa gente, nullis lectis exoticis libris, ne hilum quidem intellecta gentium lingua, nullo gentis morum & indolis periculo facto, Aegyptios, Perſas, Indos, Tibetanos, Sinenſes ex capite, ex philoſophia ſua, ex legibus & conſuetudinibus patriae ſuae examinat & diiudicat, modo ſtridet, modo mordet, in obvios quoſque invehitur, & ad tribunal ſuum iura dictat, quaſi certum iam exploratumque eſſet, dogmata ſua, legeſque omnibus aliis praeſtantiores eſſe, ac toti orbi, omnibuſque hominibus convenire, aut ſequendas proponi poſſe.

diſſerit: *Onesicritum ad eos gymnosophistas misit* (Alexander) *qui celebri fama in ocio vivebant, Onesicritus philosophus erat Diogenis aliquando sectator.* **Is refert:** *Calanum contumeliose admodum & aspere sibi mandasse, ut vestimento posito nudus ipsum audiret, alioquin non esse cum ipso collocuturum, ne si ab ipso quidem Ioue missus fuisset.*

Te conſule, dic tibi quis ſis,
Buccae noſcenda eſt menſura tuae.

Vacca divinitatis, ſeu deae Bhaváni & Laekshmi ſymbolum, & huius ultimae deae ſedes, in caelum aſſumpta fuiſſe, ac in caelo dei Indra habitare perhibetur. Exſtat in Indiis liber *Kavalabbàgyam* inſcriptus, qui de virtutibus & meritis vaccae tractat. Gentiles dum iurant, vaccae caudam tangendo iureiurando ſe obſtringunt, dum morti proximi ſunt, caudam vaccae arripiunt, & ea in caelum vehi volunt, id eſt, animam tranſmigratione in vaccam inducere ſe putant, dum caudam eius tangendo exſpirant. Per hanc actionem & mortem corpus in ſemina naturae reſolvendum, animam ſacro animali tradendo a vili & aerumnoſa metempshychoſi liberari ſperant. Initiatis, ut eos vere dogmati ſuo addictos eſſe cognoſcant, & probent, potus പഞ്ചദെവ്യം. panciadévyam dictus dari ſolet, qui ex his rebus conſtat: I. ex urina vaccae, II. ex ſtercore vaccae aqua diluto, III. ex lacte dulci, IV. ex butyro, V. ex lacte acidulo. Haec omnia miſcentur & initiato potanda traduntur, atque hic potus, *divinus potus* dicitur. Non itaque facile eſt Europaeo homini Brahmanicis ſacris aut philoſophia initiari, niſi ſponte velit huius initiationis legi & hauriendae huiuſmodi potioni ſubiici. Eadem potio datur illi, qui a lege & philoſophia, aut etiam a tribu ſua excidit, dum iterum priſtinum inſtitutum amplecti vult, per hanc enim potionem purgari, & luſtrari debet a crimine, atque denuo probari, ut admitti poſſit (1).

Serpens ſymbolum vitae Indis ſacer eſt, quia ingens anguis *Váſughi* dictus, totum mundum in ſe recluſum continet & animat. Deinde anguis etiam Bacchi ſeu Shivae omnibus vitam tribuentis attributum eſt, unde deaſter iſte ſaepe ſerpentibus amictus exhibetur. Ita quoque anguis caelatus cernitur in tabula marmorea Mitrae Burgheſii in villa Pinciana, quia Mitra ſeu

(1) Non ſola religio & ratio ſymboli apud Indos cultus vaccae cauſſa eſt, calor ingens, telluris ſiccitas, pabuli defectus, butyri & lactis neceſſitas in iis, qui animata edere nequeunt, phyſicae & politicae rationes ſunt vaccam colendi, ſpeciem eius conſervandi, & ne pereat, ab eius nece abſtinendi.

ſeu ſol calore & virtute ſua omnia vivificat. In multis urnis Romanis, quae Bacchum exhibent, idem anguis caelatus conſpicitur, quia Bacchus non ſolum vitae, ſed etiam mortis dominus eſt. Ráma ſeu Bacchus iunior manu anguem in orbitam recluſum tenet, quod ſymbolum idem omnino ſignificat, ſol nempe occidens, & ſol oriens uterque vitae emblema praeſefert. Krshna deus ſeu ſol in eclypſi conſtitutus, duos immanes angues deviciſſe fingitur, unum *Rábu* nomine; qui planeta eſſe ſupponitur, atque hic gigas & ſerpens niger eſſe perhibetur, qui a Vishnu ſeu Krshna, id eſt a ſole occiſus fuit radios ſuos evibrando. Ab hoc ſerpente nigro, qui in Krshna ſeu ſolem in eclypſi conſtitutum, ac proinde nigrum vel fuſcum, quod Krshna ſignificat, virus ſuum emittit, Indi eclypſes ſolares deducunt. Alter gigas, genius & ſerpens *kedu* dictus, ruber eſſe fingitur, atque ab hoc eclypſes lunares ex opinione Indorum oriuntur. Ambo hi ſerpentes Europaeis aſtronomis caput & cauda draconis ſunt, ſeu nodus aſcendens & deſcendens. Hi itaque duo ſerpentes ab Indis, a R. P. Hanxleden & a Waltherio Miſſionario Dano inter planetas (1) numerantur, atque ſolum tempore eclypſis viſibiles eſſe dicuntur. Ex his aliiſque iam patet, quam recte nos res Krshnae ſoli in eclypſi conſtituto adſcripſerimus, eumque Apollinem ſeu ſolem eſſe oſtenderimus. Unde ait Cicero de nat. deor: *Iam Apollinis nomen eſt Graecum, quem ſolem eſſe volunt*. Liquet deinde, cur Indi ſerpentes venerentur, vitae nempe & mortis emblemata ſunt, vitae, quia etiam abſciſſo capite diu ſpiritus animales retinent, mortis, quia virus ſuum emittendo enecant, atque hae duae proprietates ab antiquis etiam ſoli fuere adſcriptae, unde etiam ortus eſt mos ſerpentem cum Baccho, Mitra, Shiva, Ráma, Krshna ſeu ſole unum, aut plures angues pingendi aut caelandi. Indi Malabarenſes ſerpentes venerantur praeſertim cucullatos, quos *nallapámba* ſeu bonos aut pulchros vocant, quamvis atrox & mortiferum virus ſaepiſſime in eos emittant, ex quo, quia antidotum nequaquam praeſto adeſſe ſolet, plurimi pereunt. His ſerpentibus ſoli ſacris lac in vaſe

(1) Vide Waltheri Miſſionarii Dani egregium opuſculum, *doctrina temporum Indica* inſcriptum, ad calcem hiſtoriae regni Bactriani inſertum *pag.* 153.

vaſe bibendum apponunt, tuguriola exſtruunt, lapides in habitaculum coacervant, in lucis ad arborum radices ipſis ſedes parant, id quod nos in hac tabula ex muſeo Borgiano exhibemus.

Simius crinitus niger promiſſam barbam gerens in veneratione eſt & in aulis regum in honore, quia Panem deum ſeu Hanuman Bacchi comitem, ſeu ventum repraeſentat. Elephantes fortitudinis ſymbola magni habentur, quia ſuper octo elephantibus mundum collocatum eſſe Indi fabulantur, qui elephantes eum ſuſtinent, & conſervant. Hi dum locum mutant, terraemotus cauſſa eſſe dicuntur. Scarabaeus recurva cornua habens & lucidis alis inſtructus, ſolis & planetarum ſymbolum eſſe videtur. Quare litterati Indi in poematibus ſuis illi quoque invocationem ſuam, ſeu laudis encomia initio lucubrationum ſuarum dirigunt, & in libro *Sambhavam* ſcarabaeus iſte lucidus ſemper ad heſychaſtarum aſceteria, circa contemplatorum ſedes, id eſt circa planetas volitans inducitur, atque alis ſuis planetas, ſeu contemplatores illuſtrans, atque illuminans exhibetur. Corvi animas defunctorum repraeſentant, quare familiare & ſacrum munus eſt ipſis quotidie oryzam coctam ad edendum proiicere, idque in memoriam animarum, quae mortalia corpora exuerunt. Piſcem & aprum, in quos Vishnu incarnatus fuiſſe fingitur, rupibus ſubterraneis templi Mávalipuram in ora Coromandelica inſculptos vidi, ſed his cultum aliquem ab Indis exhiberi numquam vidi. Haec igitur animalia ſacra ſunt, & varia ſymbola Indici cultus, quae quidem D. de Paw, aliique exponere & illuſtrare conati ſunt, ſed ea illuſtrando maioribus tenebris obvolverunt. Nos, qui ex ſententia, libris, opinionibus hodiedum in India vigentibus, denique ex hodierna rerum Indicarum praxi haec deſcripſimus, ſupervacaneum eſſe iudicamus veterum auctorum teſtimoniis argumentum noſtrum confirmare, ideo cumprimis, quia arctiſſimis limitibus huius opuſculi adſtricti tenemur.

EX

Digitized by Google

EX PRAEMISSIS CONSECTARIA

Indi ſoli, lunae & planetis ſacrificant, *vide huius opuſculi p.4. 5. & ſeq.* Indi ignem adorant, eique litant, *vide pag.9. & ſeq.* Indi lunae ſeu deae Káli vel Bhagavadi victimas humanas & animalia immolant, *pag.14. & ſeq.* Indi malorum geniorum exſiſtentiam ab aſtris deducunt, atque ſtellas mentibus praeditas eſſe autumant, *pag.25. & ſeq.* Indi lingam ſolis generantis ſymbolum ponunt, lunae vero yoni ſeu matricem, atque haec generationis inſtrumenta & emblemata ipſi colunt, *pag.28. & ſeq.* Indi in honorem ſolis ſe lavant, *pag.43.* Indi inſtituta ſua philoſophica & magiſtros ſuos a ſole & planetis deducunt, & ſiderum errantium motum ac vitam imitantur, *pag.57.* Indi geneſim ſuam ſoli, lunae, planetiſque adſcribunt, *pag.62. & ſeq.* Indi reges ſuos a ſole & luna deducunt, *pag.70.* Indi ſoli producendi, conſervandi, & deſtruendi virtutes attribuunt, & primam per terram, ſecundam per aquam, tertiam per ignem repraeſentant, *p.74. 79.85.* Indi lunae duos effectus, ſeu actionem generandi & deſtruendi adſcribunt, & biformem exhibent, *pag.99. & ſeq.* Indi deſtructionem mundi per aquam & ignem adſtruunt, *pag.114.* Indi Bacchum ſolem eſſe docent, atque hunc ipſum diurnum & nocturnum, vitae & mortis dominum conſtituunt & colunt, *pag.119.135. & ſeq.* Indi Budham Mercurium planetam eſſe docent, eique VI. ſcientias attribuunt. *Vide diſſertationem de Budha.* Indi deum Ianum ſeu Gannavadi, Subrahmanya ſeu Herculem, Hanuman ſeu Panem, Káma ſeu Cupidinem a ſole, luna, & ſtellis deducunt, *vide haec ſuo loco digeſta.* Indi animalia aliqua ſoli, lunae, & planetis ſacra eſſe putant, et ea venerantur, *ergo prima religio Indorum ſabaiſmus ſeu militiae caeleſtis cultus fuit, antiquiſſima eſt, ac idololatria eorum ab aſtronomia potiſſimum deſcendit.* Veriſſimum proinde eſt hoc, quod S. Scriptura docet (1), nem-

(1) Iob. cap.31.v.26. *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: Et laetatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quae est iniquitas maxima & negatio contra Deum altissimum.* 4. Reg. cap.21. v.2. *Fecit malum* (Manaſſes) *in conspectu Domini, iuxta idola gentium, quas delevit Dominus a facie Israel, conversusque est, & aedi-*

nempe quod ante Moſis tempus pleraeque gentes ſolem , lunam , ceteroſque planetas coluerint , & quia Moſes Hebraeos praeprimis ab Aegyptiaca ſuperſtitione, cultu & idololatria avocabat, etiam haec in ſua origine ſabaiſmus erat , atque in cultu aſtrorum , in aſtronomia maior ipſius pars conſiſtebat . Diog. Laert. edit. Rom. anno 1594. pag.3: *Aegyptii dicunt deos eſſe ſolem ac lunam, quorum ille quidem Oſiris , haec vero Iſis vocetur* . Et infra : *Leges Aegyptii de iuſtitia inſtituerunt* , *quas ad Mercurium* (Herma , Dherma Budh , vel Touth) *retulerunt auctorem* . Ita Indi , Tibetani, Peguani , Siamenſes , Sinenſes , Iaponenſes . Laert. lib.8. pag. 114. *Pythagoras etiam Chaldaeos* , *magoſque adiit* . Clemens Alex. addit : *Gallos* (Aegyptios) *&* *Brahmanes* . De Pythagora vero idem dicit Laertius lib.8.pag.220: *Solem & lunam & reliqua aſtra deos eſſe docuit* (Pythagoras), *etenim in ipſis calor*, *qui vitae fons eſt*, *exſuperat* ; *lunam vero a ſole illuminari*. Herodotus in Euterpe: *Boves mares eoſdemque mundos* , *ac vitulos univerſi Aegyptii immolant* (ut olim Indi) *feminas* (boves) *eis immolare non licet* , *utpote Iſidi* (dominae) *conſecratas* . *Boves feminas omnes itidem Aegyptii venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum* , nempe ut Indi . Et infra : *Non eoſdem deos peraeque colunt praeter Iſidem & Oſirim* , *quem Bacchum* (obſerva bene) *eſſe aiunt* . *Vocatur autem & hircus & Pan aegyptiace Mendes* (ſamſcrdamice മെണ്ഡഃ menda *hircus ſubruber*) . *Aliis diis immolare ſues ius Aegyptiis non eſt* , *praeterquam lunae tantum & Libero* . *Quin & alium diem feſtum Baccho agunt fere per omnia Graeco feſto ſimilem* , *ſed loco phallorum*, *id eſt ficulneorum veretrorum a collo pendentium* , *ſunt ab eis excogitatae ſtatuae cubitales e nervis compactae* . Indi & phallos ex collo geſtant , & in Bacchicis ſacris ſtatuas iſtas circumferunt . De phallo hoc Aegyptio , de Oſiride ſeu ſole , Iſide ſeu luna , de Oſiridis tribus oculis , de loto, de peplo Iſidis

& aedificavit excelſa , quae diſſipaverat Ezechias pater eius , & erexit aras Baal , & fecit lucos ſicut fecerat Achab rex Iſrael , & adoravit omnem militiam caeli , & coluit eam . Traduxit filium ſuum per ignem , & ariolatus eſt , & obſervavit auguria & fecit pythones , & aruſpices multiplicavit , Hic cultus adhuc anno 698. ante Chriſt. nat. obtinebat , multo proinde frequentiorem antea fuiſſe cenſendum eſt . Vide 3. Reg. cap. 15. 2. Par. c.33. Ier. c.19. 4.Reg. c.17.

dis, denique de triangulo (1) multa tradit Plutarchus *libro de Iſide*, quem conſule. De ſabaiſmo veterum Perſarum vide Thomae Hyde *hiſtoriam Perſarum*, *Parthorum*, *&* *Medorum*; *Oxonii anno* 1760. *pag*.3.4.5.13.23. ubi veteres Perſas ſabios, ſeu cultores planetarum, atque etiam idololatras fuiſſe oſtendit. Quamvis igitur ſive apud Indos, ſive apud Perſas, ſive apud Aegyptios aliqua localia religionis capita ipſis illis terris peculiariter affixa, & a patrio ſolo deſumpta exſtarent, primus tamen ille communis & antiquiſſimus fons religioſi cultus ipſa aſtronomia fuit, & obſervatio ſiderum, a quibus deinde idololatriam ſuam deduxerunt. Etenim ſi religio harum gentium ab aſtronomia non deſcendit, & ipſis in ſuo fonte & origine communis non fuit, qui fieri potuit, ut tot gentes inter ſe disiunctae & longinquae unum eumdemque Budham in tot orbis partibus adorent? Qui fieri potuit, ut bovis vel Apidis cultus unus & idem in India, in Aegypto, in Iaponia obtineret, & Mitra Perſicus pariter bove veheretur? Qui fieri potuit, ut vacca Aegyptiis, Indis & Hebraeis fuerit ſacra, & hodiedum ſit Indis cultus religioſi obiectum? Quonam pacto, qua rerum & gentium communicatione, quibus bellis accidere potuit, ut Mendes hircus Aegyptiis & Menda hircus rufus Indis nomine & omine ſit cognitus, unus denique & idem Manu, Menu, Menes, vel Mannus rex Aegyptiis, Indis, & extremis Scandinavianis primus ſit gentis conditor et inſtitutor, ſi hic idem Manu Noach non eſt, quem ut liber Bhagavadam tradit (2), Vishnu a diluvio univerſali liberavit? Qui fieri potuit, ut Scanda, vel ut alii corrupte ſcribunt

 Sanda

(1) Triangulum iſtum minus recte explicaſſe videtur Plutarchus, dum unum latus Oſirim, aliud latus Iſidem, tertium Orum ſignificare dixit in libro *de Iside*. Mihi multo probabilius eſſe videtur, tria haec latera tres ſolis virtutes indicare, generatricem, conſervatricem, deſtructricem, per quas omnia naſcuntur, conſervantur, & corrumpuntur, ut iterum renaſcantur, atque hoc modo triangulus ille verum omnis vitae eſt ſymbolum, id quod Brahmanes dicunt. Hinc triangulo apud Tibetanos, Indos & Sinenſes ſucceſſit tripus cum lingam vel cono eidem inſidente, & hic tripus cum ſacro cono *thurma* dicto, hodiedum a Tibetanis Lahis in ſolemni pompa vehitur, de quo vide in Alphab. Tib. *p*.212., *&* *tabulam quae eam exhibet*.

(2) Vide grammaticam Samſcrdamicam *pag*.173. *&* *seq*. item huius opuſculi *pag*.6, .69. Aſiatick reſearches *tom*. 1. *pag*.244. De diluvio univerſali quod praleyam ſeu Vellapraleyam id eſt *destructionem mundi per aquas* Indi vocant, vide Amaraſinha *sect*.1. *Sorggavarggam*.

Sanda vel Secander Indis, Perſis, & Scandinavianis commune numen ſit, & unus Hercules, qui tot terras pervaſit? Qui fieri potuit, ut Gannavadi vel Ianus apud Indos numerorum deus ſit, et claviger, ſi hic idem Ianus ab aſtronomia non deſcendit, et Romano ac Graeco Iano anterior non eſt? Qui fieri potuit ut phalli cultus Indos, Tibetanos, Aegyptios, Graecos, Hebraeos inficeret, ſi hic idem phallus in ſua prima ſymbolica inſtitutione ſolis virtutem generatricem non repraeſentabat, aut ſi de repraeſentatione et ſignificatione huius ſymboli illae gentes in prima ſua origine non conveniebant? Qui fieri potuit ut lotos Indis, Tibetanis, Aegyptiis, et Iaponenſibus ſit ſacra, ſi hoc idem ſymbolum ex rerum natura in ipſa ſymbolici cultus origine deſumptum, et ab uno fonte deductum non fuit? Qui fieri potuit, ut Mitra Romanis, Graecis, Aegyptiis, Perſis, et Indis unum ſit numen, ſi Mitra ſol non eſt, primus et antiquiſſimus deorum? Qui fieri potuit ut mundus apud Aegyptios et Indos ex ovo prodeat, ſi de hoc eodem vitae ſymbolo inter primos illarum gentium inſtitutores, aut aſtronomos nulla conventio, aut communicatio interceſſit? An haec omnia, et centena alia ubique terrarum a Baccho fuere inſtituta, docta et inſerta? an a Seſoſtri, aut a Scythis invecta? Sed Bacchus ſol eſt, et Seſoſtris quidem et Scythae varias terras et gentes pervadere poterant, unitatem hanc et conformitatem ſtabilire non poterant. An Alexander ideo ex Graecia in Indias venit, ut Brahmanes religionem doceret, aut diis ſymbola poneret, an non potius, ut nominis gloriam ſtabiliret, Indicas arcas excuteret, et ſpoliis onuſtus rediret? An non potius paſtorali et aſtronomico otio haec invecta et ſtabilita fuiſſe dicendum eſt, dum in tanta rerum luce apertiſſime videmus, omnis fere idololatriae baſim aſtronomiam, et rerum naturalium obſervationem eſſe, atque haec ipſa dogmata, haec ipſa inſtituta Seſoſtris, et Scytharum expeditione, quamvis utramque veram eſſe ſupponas, antiquiora eſſe? Profecto Simplicius *lib. de caelo* litteris prodidit, obſervationes Chaldaeorum aſtronomicas Babylone a Caliſthene ad Ariſtotelem miſſas fuiſſe, et hae communi ſcriptorum calculo et ſuffragio ad annum circiter 2230. ante Chriſtum natum referuntur. Paullo ante hoc tempus Noach

floruit,

floruit, qui certe idem et unus eſt cum Manu, Menu vel Menes Aegyptio et Indico, quem libri Indici a diluvio liberatum fuiſſe prodiderunt. Ad hoc circiter tempus coincidit vita paſtoralis populorum, aſtronomicis obſervationibus apta. Circa hoc tempus Hyſci ſeu reges paſtores ex Arabia irrumpentes Memphim ceperunt, et imperium Aegyptium fundarunt. Circa hoc tempus monarchia Aſſyriorum ſtabiliri coepit, a qua Brahmanes defeciſſe, et in Indiam penetraſſe videntur ex eo, quod in libris ipſorum identidem recurrant bella inter bonos et malos titanes vel gigantes terreſtres habita, quos ipſi *Aſſurer* vocant, legis et religionis inimicos, quos certe ſub illo involucro Aſſyrios populos haberi, ego ſaepe ſuſpicabar. Circa hoc tempus ſabaiſmum ubique obtinuiſſe Iobi liber indicat, et de ſolo inter gentes aſtrorum cultu loquitur. Circa hoc tempus apud Aegyptios et Indos diſtinctio totius gentis in quatuor claſſes vel tribus incepit; nam Indici libri eam Manu regi adſcribunt, et a Noach derivant. Adde his, aetates Indicas in quatuor diſpertiri, et primam quidem കൃതയുഗം krdayugam, vel ſatyayugam ſeu *veritatis & Iuſtitiae aetatem* uſque ad diluvium perduraſſe, ſecundam ദ്വിതിയയുഗം dvidiayugam dictam, a diluvio ſeu prima incarnatione Vishnu in piſcem incepiſſe, tertiam ത്രെതയുഗം tredayugam ſeu *aetatem cupream* triginta annis poſt mortem dei Krshnae, quae ad annum circiter 1000. ante Chriſtum natum reiicienda eſt, finiviſſe, ac circa id tempus കലിയുഗം kaliyugam ſeu aetatem ferream incepiſſe, Indos aſſerere (1).

(2) De primo Athenienſium rege Pandione, eiuſque ſucceſſoribus *vide p.*218. *tom.*8. *operum S. Hieronymi Venetiis anno* 1769. Ibidem S. Hieronymus regnum primi Pandionis ad annum 280. poſt natum Abraham conſtituit, circa tempus, quo apud Iudaeos pontificatum ſuſcepit Phines. Pag.210. *eiusdem operis* Nyſa urbs Indica a Dionyſo anno 250. poſt natum Abraham condita fuiſſe fertur. Quodcumque chronologiae ſyſtema aſſumatur, id ſemper meminiſſe oportet, Indicos Pandavas probabiliter Graecis anſam dediſſe reges Pandiones in regum Athenienſium catalogum aſſumendi; nam & Dionyſi res geſtas in India ad illud tempus Graeci referunt. Epocha ergo ultimi regis Graeci Pandion, etiam

Digitized by Google

Quamvis vero certa epocha harum aetatum ſtabiliri nequeat, attamen evidens eſt illa, quam Indi ad diluvium referunt, ac ab ea primordia inſtitutionis ſuae deducunt. Ad hanc igitur epocham aſtronomia Indica & inſtitutiones civiles ex opinione Indorum referendae ſunt, non autem ultra hoc tempus, quod ſomniat D. Bailly, qui tempus Indicum divinum & humanum confundit, annos geniorum & hominum non diſtinguit, & Indis antiquitatem affingit, quam nec ipſa Indorum hiſtoria patitur. Vide noſtras animadverſiones in librum Bhágavadam *pag.*173. *& ſeq.* in grammatica Samſcrdamica, & Waltheri Miſſionarii Dani *doctrinam Indicam de tempore pag.*180. *&* 181. ad calcem hiſtoriae regni Bactriani a Bayero editae. Conſule etiam Sonnerat *tom.*2. *cap.*XI. *pag.*176. *ſyſteme des Indiens ſur la durée du monde & ſes differens ages*; in quo capitulo haec omnia uberius pertractat, atque exorbitantem illum Indicum annorum calculum cum reliquarum gentium annorum cyclo componere ſtudet.

Haec igitur omnia aperte palamque evincunt, Indos in praecipuis religionis ſuae capitibus ac inſtitutis cum reliquis antiquis gentibus convenire, cum iis ex uno ſtipite deſcendere, primam eorum religionem ſabaiſmum ac idololatriam fuiſſe, neque veram & hiſtoricam eorum originis epocham ultra diluvii tempus reiici poſſe. Pellantur ergo D. Bailly ineptiae philoſophicae pene aniles, & temeraria imbecillitas, quae ſolis hebetibus & inexercitatis imponere poteſt. *Malo indiſertam prudentiam, quam ſtultitiam loquacem*, aiebat Cicero, & haec vitanda, illaque amplectenda eſt omnibus illis, qui vere de exteris & longinquis gentibus ſinceras notitias perquirunt. Sed argumento noſtro non parva vis & valor accreſcet, ſi admittas primigenia haec gentium religionis capita, opiniones & inſtituta, ipſa illarum gentium communicatione & philoſophiae ſtudio conſervata & aucta fuiſſe. Aegyptus enim ſuos habuit ſacerdotes, Graecia ſuos philoſophos, & India ſuos Brahmanes, quorum ſcholam iam dudum antea ſtabili-

pro Indicis Pandavis ſtatui debet, atque 30. annis poſt bellum Indicum Pandavarum confectum, & mortem Krshnae, quartae aetatis ferreae Indicae hiſtoricae initium ſtatuendum eſt. Confer etiam praefationem Stephani Fourmont ad tom.1 libri: *Reflexions critiques &c.* pag.VI. & ſeq. *remarques generales ſur le charactere des chronologiſtes*.

bilitam invenit Pythagoras, & poſt eum Alexander magnus. Vide huius opuſc. *pag* 49 *&* 58., & de communicatione gentium *p.*51. Quia vero non Indi ad Graecos, & Aegyptios accedebant, ſed vice verſa, ac multa vocabula Indica Samſcrdamica apud Aegyptios & Graecos reperiuntur, ſane non levis eſt coniecturae locus, multa quoque religionis & philoſophiae placita ex India in Aegyptum & Graeciam perlata fuiſſe. Emigrationis Indorum ex ſedibus ſuis nullus vetus meminit auctor; quin Plinius, Strabo, Arrianus & Diodorus Sic. *bibl. lib.*2. Indos emigraſſe apertiſſime negant. Unde aiunt Calcuttenſes Angli in libro *Aſiatick reſearches* tom.1.pag.271. *It ſeems more probable, that they* (Aegyptii ſacerdotes) *viſited the Brahmans of India, as the ſages of Greece viſited them, rather to acquire, than to impart Knowledge; nor is it likely, that the ſelf ſufficient Brahmans Would have received them as their preceptors*. Unde ait Strabo: *Apollodorus quidem Parthicarum rerum conſcriptor, cum mentionem de Graecis facit, qui Bactrianam ceperunt, ac de Syriacis regibus, a Seleuco Nicatore praefectis, refert eos cum admodum aucti eſſent Indiam invaſiſſe*. Strabo lib.15. *Praeterea mercatores qui per Nilum & Arabicum ſinum ex Aegypto in Indiam navigant, pari admodum in Gangem uſque perveniunt*. Strabo lib.15. *Indi prope gentium ſoli numquam emigraverunt finibus ſuis.* Plinius *hiſt. nat.*lib.6.c.17. Et poſtea: *Secuta aetas propiorem curſum tutioremque iudicavit, ſi ab eodem promontorio* (Syagro Arabiae promontorio) *Zizerum amnem portum Indiae peteret, diuque ita navigatum eſt, donec compendia invenit mercator, lucroque India admota eſt. Nec pigebit totum curſum ab Aegypto exponere &c.* Plinius cap.23. Et infra: *Ex India navigant* (nempe redeundo) *menſe Aegyptio tybi incipiente* (decembri), *ita evenit ut eodem anno remeent* (prout hodiedum remeant Arabes in oram Malabaricam). *Navigant autem ex India vento vulturno, & cum intravere rubrum mare africo vel auſtro*. Et Arrianus: *Deinde Sinthus fluvius* (unde corruptum Indus) *maris rubri* (oceani Indici) *fluviorum maximus copioſiſſima aquarum vi in mare ſe ſe exonerans. Septem ſunt iſtius fluminis oſtia, ſed exilia admodum atque paluſtria ita ut non ſint navigabilia excepto medio, in quo etiam maritimum eſt emporium barbaricum, cui oppoſita eſt inſula, & a ter-*

& a tergo metropolis Scythiae mediterranea Minnagra nominata (en ergo Scythiam a veteribus intra Indum fluvium collocatam quod bene obſervet D. d'Hancarville). *Parthorum eſt ſubiecta imperio, qui aſſidue mutuo ſe ſe inde expellunt. Naves* (Aegyptiae, & Arabicae de quibus toto libro loquitur) *diverſis locis barbarici emporii ſubeunt &c.* Et infra in eodem Periplo: *Ab his partibus* (a Bactriana ad Indum ſita) *Alexander profectus ad Gangem uſque penetravit relicta Limyrica & Auſtrali Indiae ora. Quamobrem ad haec uſque tempora in Barygazis* (oppidum Baroche eſt hodiedum in ſinu Cambayae exſiſtens, de quo vide diſſertationem D. Wilford pag. 369. in *Aſiatick reſearches*) *antiquae drachmae reperiuntur Graecis ſculptae litteris cum inſignibus Apollodori & Menandri, qui poſt Alexandri obitum ibi rerum fuerunt potiti. In emporium illud* (Baroche) *maxima ex parte deportatur vinum Italicum, Laodicenum, & Arabicum, aes, ſtannum, plumbum ...* *exportatur* (ab Aegyptiis & Arabibus) *ex iiſdem locis nardus, coſtus, bdellium, ebur, onychini lapides, ſericum, molochinum, filum, piper longum. In hoc autem emporium ex Aegypto navigatur menſe iulio qui eſt epiphi.* Idem Arrianus *in Periplo*. Et infra naves Aegyptias per oram Malabaricam & promontorium Comorinum uſque ad Gangem uno quaſi filo deducit, quod ibi vide. Nullum ergo dubium eſt de communicatione Aegyptiorum & Graecorum poſt Alexandri magni tempora. De temporibus quae Alexandrum praeceſſerunt, vide Herodotum *lib.3.& 4.*, librum Eſther *lib.1.cap.8.*, S. Ambroſium *edit. Rom. tom.5. de moribus Brahmanorum*, Dodwell *in Arriani Periplum*, Schmit *diſſertationem de colonia Aegyptiaca in Indiam deducta*, Fourmont *Reflexions critiques ſur l'hiſtoire des anciens peuples tom.2.*, ubi tamen alucinari videtur, quod Colchidem & Phaſim ad Tigrim fluvium collocet, cum mihi certum videatur, Colchidem antiquiſſimum oppidum Coleci vel Colechi eſſe ad promontorium Comorinum ſitum, in quod, ut ex Arriano patet, ex Phaſi, id eſt a Gange, merces Indicae inferebantur, & iis nautis Phoenicibus ac Aegyptiis venumibant, qui fragilibus navigiis promontorium Comorinum ob acerbos & magnos maris fluctus tranſmeare, atque ad Gangem accedere nequibant. Haec proinde omnia ſatis indicant, inter veteres illas

illas gentes communicationem interceſſiſſe, atque valde probabile eſſe, quod in pluribus locis innuimus, Aegyptios nempe, Graecos & Perſas aliqua religionis & philoſophiae capita, inſtituta, & opiniones ab Indis accepiſſe. Pro argutis & acriter intelligentibus haec pauca digeſſimus, loquaciter litigioſos non curamus.

CULTUS CIVILIS

നാലുവൎണ്ണം

NALEVARNNAM

TAB. XXVIII.

QUATUOR TRIBUS

ബ്രാഹ്മണർ BRAHMANES

Quemadmodum Indi pleraque religionis ſuae capita ab aſtronomia deducunt, ita quoque nonnulla civilis vitae inſtituta apud eos ex philoſophiae & aſtronomiae principiis dimanaſſe videntur. Solem, lunam, planetas, ſtellas divinis animatas eſſe mentibus tota credidit antiquitas, de qua re confer Platonem *in Timaeo*, & Ciceronem *de nat. deor.* Inde certe etiam vetus profluxit Indorum error, ut reges ſuos ex ſole & luna progenitos crederent, & hoc ipſum omnibus ſuis litteris, monumentis et libris commendarent. Quare apud ipſos duae regum ſtatuuntur claſſes, nempe സൂൎയ്യവംശം Sùryavamsham ſeu *claſſis regum ex ſole progenita*, & സോമവംശം Sómavamsham, *progenies regum ex luna orta*. Vide de his primum verſum libri eorum ſacri *Bhágavadam* inſcripti (1). Plinius *hiſt. nat.* lib.6.c.17. ait: *Colliguntur a Libero patre ad Alexandrum magnum reges eorum* (Indo-

(1) Vide huius opuſculi *pag.*70., & in grammatica Samſcrdamica textum originalem libri Bhágavadam *pag.*171. *ſtropham* 1.

(Indorum) *centum quinquaginta tres*, *annis ſex mille quadringentis duobus*. Arrianus *hiſt. Ind.* lib. 1. cap. 1. pag. 323. edit. Gronovii: *A Baccho reges numerabant* (Indi) *centum quinquaginta tres*, *annos vero ſex mille quadringentos & duos*. Et paullo ſupra: *Diſcedens ex India Liber Spartembam unum ex amicis regem Indis praefecit*, *quo mortuo ad Budyam eius filium regnum tranſiit*. Libero ergo patri Graeci ſcriptores ex opinione vulgi Indici initia regni, & inſtitutionis civilis Indicae paſſim adſcribunt. Iam autem cum Bacchus ſeu Liber pater, Shiva ſeu Sebeſius, ſol ſit, id quod nos invictis argumentis ſupra demonſtravimus (1), quis neget Indos populari fama reges ſuos a caeleſti mundo deduxiſſe? Deinde admirabile eſt etiam illud, quod Arrianus dicit, *Indis a Baccho Budyam filium ſuum regni ſucceſſorem datum fuiſſe*. Budya (corruptum a Budha) an alius eſſe poteſt a Mercurio ſeu Dherma rege & aſtronomico numine, quod Indis, Tibetanis, et Aegytiis leges et ſcientias dicitur tradidiſſe? Shrirâma, Bacchus iunior ex vulgari Indorum opinione atque Graecorum auctoritate Indiam domuiſſe, leges et iura dictaſſe, Indicas terras diſtribuiſſe, arationem docuiſſe, populum civili cultu perpoliviſſe creditur. Hic vero ipſe Shrirâma ex ſtella Ròhini natus fuiſſe perhibetur in libro Bhagavadam *ſtropha* 8., quam vide in grammatica Samſcrdamica *pag.* 183. Ipſa inſtituta philoſophica Samanaeorum quid aliud ſunt, quam fervidae Indorum imaginationis partus, qui ab aſtronomia et philoſophia deſcendit, cum ſub ſymbolo ſolis, lunae et planetarum Deum ens ſupremum meditari, & adorare ſe dicant, ſoli litent, ſolis generantis emblema lingam collo aut brachio appenſum portent, virtutem denique ſolis creatricem, conſervatricem, et deſtructricem ſub ſymbolo terrae, aquae et ignis publico cultu profiteantur et adorent? Hi ipſi Samanaei, heſychaſtae, ſilentiarii ſeu Muni, contemplatores, et regibus a conſilio ſunt, quia et in caeleſti mundo ſol et luna dii

et re-

(1) Vide huius opuſculi diſſertationem: *an Brahmanica religio a Scythis deſcendat*; item articulum *Shrirâma* inſcriptum, item de Sebeſio vel Sebaſio grammaticam Samſcrdamicam *pag* 28. *& seq.* Macrobium *lib.* 1. *Saturn. toto cap. decimo octavo*. Plutarchum *in Iside*, Herodotum *in Euterpe*. Item Baccum iuniorem affabre in aes inciſum in opere inſcripto: *Pitture antiche di Ercolano tom.* 3. *tab.* 37.

et reges; contemplatores autem et eorum conſiliarii ſunt reliqui planetae, qui illos in caeli latiſundio circumſtant, conſiderant, in ſilentio adorant, eis obſequuntur, conſilio ſuo et lumine proſpiciunt, et viciſſim luce et maieſtate illorum replentur. Haec certe, nec alia fuere Indici religioſi et civilis cultus principia, eaque naturalia, ſimplicia, ab aſtronomia deducta, per quam terreſtris mundus inſtar caeleſtis mundi ſyſtema coordinatus, diſtinctus, et perpolitus fuit. Adde his ingentem regum, philoſophorum, municipiorum, quin et infinitarum popularium perſonarum copiam, quae omnes ſolis et lunae nominibus in libro Amaraſinha deſcriptis, et a nobis allatis, inſigniuntur, atque ab aſtris hodiedum vocantur (1), id quod aperte palamque confirmat ſententiam, quam ſupra *pag.* 73. ex Petro Errico attulimus, nempe primi illius & remotiſſimi aevi patres ac gentes nomina ſua & facta aſtris adſcripſiſſe. Atque hinc certe exorta fuit in veteri hiſtoria ea rerum & perſonarum confuſio, cum plures res aut perſonae in una eademque regione, aut urbe, uno eodemque nomine inſignirentur, ars graphica abeſſet, neque appellativis nominibus omnia palam diſtinguerentur. Hinc ergo eveniſſe credendum eſt, ut plures inveniantur Mitrae, plures Bacchi, plures Budhae, plures Hercules, plures Manu, plures Párvadi, Laekshmi, Iunones, Veneres &c. uni alterive terrae propriae & affixae. In hac tanta rerum & perſonarum confuſione, una tamen certa, conſtans, & univerſalis inter Brahmanes perſiſtit traditio, multis etiam eorum libris firmata, nempe non

(1) Hodiedum in Indiis viris familiaria nomina ſunt haec: *Mitra*, *Mahádéva*, *Krshna*, *Ráma*, *Gòvinda*, *Kumàra*, *Ciangra*, *Subramanya*, *Késhava*, *Màrtanda*, quae quidem nomina, ut ex explicatione horum epithetorum ſupra a nobis allata patet, ad ſolem & aſtra referri iam vides. Ita pariter multa nomina feminarum ad lunam referuntur: *Kàli*, *Pàrvadi*, *Shakti*, *Ishvarì*, *Kòmari*, *Mahéshvari*, alia vero ad tellurem ſeu telluris dominam, ut *Laekshmi*, *Shrì*, *Ramà*, *Vaishnavì*, *Umà &c.* Ita non minus nomina regum, urbium & templorum Indicorum a ſole, aut a luna deſumuntur: Ciandracòtta *lunae urbs*, a quo vocabulo Strabo corrupte ſcribit rex Sandracottus, loco *rex urbis Ciandra*. Rágia Mitra *rex Mitra seu sol*, quod D. de l'Ile pariter corrupte ſcribit: *Ràja Mirda*. Rágia Ráma, quod iterum corruptum fuit in Raia Ranas. Denique hodiedum in Indiis exſiſtentia Rámishváram, *Ràmae domini* (Bacchi iunioris) *templum*. Rámaburam *Ràmae urbs*, Krshnaburam *Krshnae dei urbs*.

Digitized by Google

ſoli, non lunae, non planetis cultum civilem & inſtituta gentis politica adſcribenda eſſe, ſed Manu regi gentis Indicae conditori, quem ob ſua bona opera Vishnu ab univerſali diluvio liberavit (1). Hic ergo Manu, ſive antidiluvianum illud ſit, ſive poſt diluvium ab ipſomet ex obſervatione aſtrorum deductum, ſyſtema iſtud civile genti tradidit, & terrae incolas in quatuor claſſes diſpertitus eſt, in ſacerdotes, in reges, in agricolas, in artium mechanicarum profeſſores. Manu rex eiuſque deſcendentes Indi Brahmanes inſigne illud noſtri aevi commentum, quo omnes homines aequales eſſe perhibentur, ignorarunt. Sed an a vero aberrarunt? An inſtitutio harum quatuor tribuum cum legibus naturae pugnat? An iniqua res diis altare erigere & ſacerdotes conſecrare, populo regem praeficere, agros colere, militiae pro defendenda patria nomen dare, unam claſſem obſequi, alteram vero praeeſſe? Quod ſi natura nos omnes aequales eſſe vult, ede quaeſo, cur nos omnes ſimiles eſſe non vult? Cur uni venuſtatem, alteri tribuit faciem indecoram, uni vires corporis, alteri minutum, anxium & ſolicitum animum, ac debile corpus, uni mentem & ſagacitatem, alteri hebetudinem, uni cor generoſum & benignum, alteri crudele & inhumanum, uni

(1) Diluvium univerſale de quo ſaepe diſſeruimus in vocabulario Brahmanico *sect.1. Sorggavarggam* ita deſcribitur: *Praleyam*, deſtructio univerſalis. *Vellapraleyam*, deſtructio univerſalis per aquã. *Kalpànda* firmitatis, iuſtitiae, moralitatis finis, *Kshaeya* everſio totalis. *Samvarta* deſtructio univerſalis, omnium rerum terreſtrium everſio. In celebri poemate *Bhishmaparvam* dicto conatus malorum geniorum, quibus mundum praecipitem agere, & ſubmergere volebant, viva & aperta narratione deſcribuntur, atque illi terram totam ſubmerſiſſent, niſi ad preces bonorum geniorum Vishnu in piſcem, deinde in teſtudinem incarnatus fuiſſet, ut Manu vel Menu regem Satyavrta, id eſt *boni operatorem* cum octo perſonis ab univerſali deſtructione iſta liberaſſet, ac periclitantem mundum ex aquis ſuſtuliſſet. Ipſe Vishnu deus in Krshna regem hominem incarnatus narrat, avos ſuos Kauravas a diluvio liberatos fuiſſe, atque unum avorum ſuorum corpus ſe aſſumpſiſſe, ut pro Pandavis pugnaret. Vide *quintam & sextam stropham libri originalis sacri Bhàgavadam in grammatica Samscrdamica p.172. & seq.*, vide etiam de Manu rege per Vishnu deum a diluvio liberato ex eodem libro Bhágavadam apud Anglos Calcuttenſes in libro *Asiatick researches tom.1. pag.230. & seq.* Eadem traduntur in libro Indico *Sambhavam* inſcripto. Ergo Indi diluvium univerſale agnoſcunt, Manu regem gentis Indicae conditorem ab illo ereptum fuiſſe credunt, hiſtoriae ſuae principium atque argenteam ſuam aetatem ad epocham diluvii conſtituunt, & inde leges & inſtituta ſua deducunt.

uni animum tranquillum & pacatum , alteri ardentem & ad quaevis ſcelera proclivem , uni ignem , alteri phlegma , uni morbum , alteri incolumitatem , uni corporis labem , alteri ab omni mendo immunitatem ? Haec ſapientes noſtri ex philoſophiae ſuae principiis reſolvant , ſapientiſſimis ſuis lucubrationibus perfectam aequalitatem reſtituant , paſſiones omnes amoveant , veteres deos ſupprimant , novos fingant , ſe ipſos impeccabiles efficiant , ſimulacra ſua altaribus imponant , principiis ſuis totum mundum tranquillum , pacatumque reddant , malum omne phyſicum & morale a ſe & aliis excludant , atque tunc naturam ab ipſis correctam fuiſſe , hanc in hominis formatione peccaſſe , aequalitatem perfectam induci poſſe , Aegyptios , Hebraeos , Indos , Tibetanos , Sinenſes & omnium gentium loquaciſſimos Europaeos , qui & ipſi diſtinctionem tribuum in ſinu ſuo conſervant , in primis civilium ſuarum inſtitutionum principiis longe a vero , iuſtoque aberraſſe , palam profitebor .

Partitionem gentis Indicae in varias claſſes tradit Diod. Sic . *lib.2. biblioth.* , Strabo *lib.15. geograph.* , Porphyrius *lib.4. de abſtinentia* , P. Conſtantinus ab Aſculo *in cod. manuſcript. ad fig.* 73. *& ſeq.* (1) R.P. Norbertus , & R. P. Brito *in cod. manuſcr.* , R. P. Ildephonſus *in cod. manuſcr. num.*20. , Niebuhr *tom.2. pag.*17. , & Sonnerat *tom.1. pag.*64. 74. *edit. in* 4. Omnes iſti pro maiori minorive ſua Indicarum rerum peritia magis minuſve recte tribuum Indicarum inſtituta explicant ; aut intricant , lucem afferunt , aut maioribus tenebris involvunt . Nos Indicae gentis genera & claſſes ex ipſo Brahmanico libro Amaraſinha afferemus , ubi *ſect. Brahmavarggam* ita ſignantur : ബ്രാഹ്മണഃ Brahmana , ക്ഷത്രിയഃ Kshetria , വൈശ്യഃ Veyshya , ശൂദ്രഃ Shùdra . Prima tribus ſacerdotalis , ſecunda regalis , tertia agricolarum , quarta mechanicas artes exercentium hominum eſt . Quatuor itaque tantum ſunt principales tribus , ſed hae ſubdividuntur , atque pro ratione officiorum civilium uſque in 88. claſſes hominum diſpeſcuntur . Quatuor illae , leges , mores , conſuetudines & ſingula-

(1) Vide cumprimis pag.216. & ſeq. *riſtretta notizia delle caste* , ubi etiam multa de partitione gentis Tibetanae & inſtituto Laharum reperies .

gularia ſua inſtituta habent, quae ſequuntur, ſectatores eorum ex una in aliam tribum migrare, aut transferri nequeunt, inter ſe matrimonia inire prohibentur, tribui ſuae & officio adhaerere tenentur. Omnibus ſimul ſumptis commune, ac familiare eſt, Deum ens ſupremum agnoſcere & confiteri, eum ipſum ſub ſymbolo ſolis, ignis, & aquae adorare, virtuti praemium ſperare, peccati vindictam timere, id eſt Shivae vel Vishnu dei gloriam concupiſcere, Shivae dei mortuorum iudicis, & inferni praeſidis metu affici, transſmigrationem animarum ex uno corpore in aliud credere & admittere, vaccam venerari, regibus obſequi, Brahmanes magni pendere, magiſtros ſingulari affectu & devotione colere, corporis lotionibus, precibus, ieiuniis peccata expiare, malos genios timere, pauperibus ſuae tribus peculio & elemoſynis ſuccurrere, hoſpites & peregrinos ſuae tribus benigne excipere, eiſque humanitatis & caritatis officia perquam liberaliter impendere, denique cum alterius tribus feminis nullatenus permiſceri.

Brahmanes a gente & regno alii ſunt Nepalenſes Tibeto proximi, alii Gauri ſeu Gangaridae vel Bengalini, qui ad Gangem habitant, alii Sindhuvitae, corrupte Hindus dicti, ſeu ii, qui Indi amnis accolae ſunt, alii Talingi, alii Mogolitani, ſeu ad urbem Agram degentes, alii Maráſtae, alii Carnatenſes, alii Canarini, alii Tamulici, alii Malabarenſes, alii Mayſſurenſes, alii Madureenſes. Hi omnes ex officio ſuo aut ſunt ſacrificuli, aut ſacri magiſtri *Guru* vel *Ashárya* dicti, aut *Graebaſtae* ſeu uxoribus iuncti, ac rei familiari addicti, aut aſtronomi *Graebasbáſtrl* dicti, aut aſtrologi *Giodisbásbáſtrl* nuncupati.

Quoad ſectas dogmaticas ipſi *primo* diſtinguuntur in Vishnuvitas വിഷ്ണുഭക്തര് Vishnubhakter dictos, ſeu in eos qui ſingulari cultu deum Vishnu, ſeu aquae principium venerantur. Hi iterum in duas ſcholas diſpeſcuntur, nam alii ſunt തത്വവാദി Tatvavádi Vishnuvitae, ſeu മാധ്വ Mádhava Vishnuvitae, qui ſemper veritatem, ſeu ens verum, & ſupremum ſub ſymbolo Vishnu colere ſe dicunt, & inde veridici appellantur, tatvam enim eſt veri-

veritas, & ens verum ac per ſe exſiſtens. Hi etiam Mádhavae vocantur a ſectae huius inſtitutore Mádhava dicto. Secunda Vishnuvitarum ſecta, quae *Rámanáyaguer* inſcribitur, a Rámanáyaga inſtitutore ſuo nomen traxit. Haec Vishnu deum marem feminamque, ſeu hermaphroditum eſſe exiſtimat, potentiam activam & paſſivam uni eidemque principio adſcribit. Poſt obitum praemia & poenas admittit, caelibem vitam agit, uni magiſtro ſubeſt. Hi ſectarii certis ſignis & indiciis in fronte deſcriptis ab aliis diſtinguuntur, ſed cumprimis yoni femineum, ignis & aquae, caloris & humoris emblema colore flavo aut ſubrubro in fronte aut pectore depictum geſtant.

Secunda ſecta eſt Shivenitarum, ſeu ശിവഭക്തർ Shivabhakter, Shiva deum ſolem vel ignem adorantium. Huic creationem mundi, omnium rerum principia, virtutem creatricem, conſervatricem & deſtructricem adſcribunt, atque aquam ſeu Vishnu deum non negant, virtutes tamen illas in ſole ipſo reperiri autumant. His cultus ſui coni, obeliſci, lingam, matrix, triangulus emblemata ſunt. Lunae cornua, ſolis diſcum, Shivae dei oculum in media fronte promicantem, pentagonum, lingam, aliaque eiuſmodi ſigna ipſis ſancta & divina dicta, in ſumma fronte aut pectore deſcripta gerunt. Confer de his ſignis tu ipſe accuratius librum inſcriptum: *Riſpoſta alle accuſe, tom. 2. edit. Coloniae anno* 1709., ubi pleraque haec ſigna affabre in aes inciſa exhibentur (1). Flos lotos, buccinum ſeu concha, & triangulus duplex, ſeu pentagonum etiam inſignia ſunt regis Travancoridis, quae ipſe in vexillis & annulis gerit, et quorum ectypon apud me exſtat. Haec ergo ſine dubio ſolis ex calore & humore gignentis & producentis, ſeu ſolis virtutis creatricis, conſervatricis & deſtructricis, quas triangulus repraeſentat, ſigna, emblemata, & ſymbola ſunt, quae omnia a nobis ſupradicta mirifice confirmant, et nullum amplius incredulitati locum relinquunt.

Tertia Brahmanica ſecta eſt eorum, qui സ്മാർത്തർ Smárta vocantur. Vocabulum hoc indicat hominem mente ſerio intenten-

(1) Vide de his ſignis P. Conſtantini *Notizie laconiche pag.* 214. Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 81. *edit. in* 8., & grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 46. *& seq.*

Digitized by Google

tentum, meditatione abreptum, ſemper cogitantem. Huius ſectae inſtitutor eſſe dicitur *Ciangra Guru*. Philoſophi hi deum Vishnu et Shiva unum idemque numen eſſe contendunt, atque virtutem creandi et deſtruendi uni eidemque ſubiecto inhaerere, denique ambas has virtutes a ſe invicem inſeparabiles et indiſtinctas eſſe autumant. Secta ergo iſta manifeſte indicat, ſub ſymbolo ignis et aquae, inter philoſophos Indicos de alia quoque re quaeſtionem fuiſſe, de virtute nempe ſeu potentia creandi, conſervandi et deſtruendi, veri dei attributis, quae uni eidemque ſubiecto, nempe Deo ſupremo enti inhaerere, a ſe invicem inſeparabilia eſſe, denique attributa ſeu virtutes has in Deo ſola mente et cogitatione diſtingui et ſeparari debere dicebant. Verum enim vero, ſi de ſolo ſymbolo ignis et aquae, aut virtute ſolis generatrice et deſtructrice inter philoſophos illos quaeſtio fuiſſet, quomodo ipſi ignem et aquam unam eamdemque rem eſſe, virtutes denique creandi, conſervandi et deſtruendi a ſe invicem inſeparabiles eſſe, affirmare potuiſſent? Reconditum itaque divinae naturae myſterium, interiores et arcanas divinitatis proprietates lumine naturali ſcrutabantur, et quia attingere nequibant, ſectas varias efformabant, et in opiniones contrarias ferebantur.

Hoc quod dicimus, apertiſſime evincitur ex eo, quod quarta ſecta ſit eorum, qui *Páshándiſtae* vocantur, ſeu eorum, qui nihil credunt, dei attributa negant, athei, et ſectarum aliarum adverſatores ſunt. പാഷണ്ഡം páshánda vocabulum *atheum* ſignificat, ad quam dictionem vocabularium Amaraſinha animadvertit: ദേവവിരുദ്ധസിദ്ധാന്തി dévavirudha ſidhándi *homo Deo contrarius*, *Deo renitens*, *Deum negans*, id quod apertiſſime et planiſſime demonſtrat, philoſophos illos Deum ens ſupremum agnoviſſe, atque ſub involucris illis et ſymbolis de divinis attributis diſputaſſe, denique ex imperfecta idea attributorum, ex varia explicatione et ſententiis, ex eorum ſeparatione, diſtinctione et ignorantia modi, quo enti ſupremo inhaerent, ſectas iſtas varias formatas fuiſſe, hodieque inter eos ſubſiſtere. Terra itaque, aqua, ignis ſeu ſol, ſymbola ſunt, ſed rey era ſub his involucris veri Dei potentia creatrix,

con-

conſervatrix ac deſtructrix repraeſentatur et ab illis philoſophis adoratur. Ishvara Dominus eſt, ſeu ens ſupremum, Shakti autem virtus illius, eſt femina conficta, per quam operatur, illi ſolem, huic lunam ſymbolum poſuerunt, virtutem dei procreatricem per Brahma ſeu terram, conſervatricem per Vishnu ſeu aquam, deſtructricem per Shiva ſeu ignem vel ſolem repraeſentarunt. Hanc philoſophiam D. d'Hancarville inter Scythas quaerat, et ſi poteſt inde deducat (1).

Quinta ſecta eſt eorum, qui Shaktiſtae, vel Parashaktiſtae, id eſt ശക്തിഭക്തർ Shaktibhakter vocantur. Hi ശക്തി Shakti deam, naturam ſeu virtutem illam efficacem, qua Deus omnia condidit, ſupremum numen, et cauſſam efficientem terrae, aquae, et ignis, ſeu Brahmae, Vishnu, et Shivae, matrem denique et uxorem horum deorum eſſe dicunt. Unde etiam ab hac dea *Shaktiſtae* vocantur, et eam per triangulum, per yoni ſeu matricem, per lotum, denique per lunam repraeſentant. Inde etiam dimanat, ut duplicem ei formam affingant, creatricis nempe et deſtructricis, id quod nos ſupra in articulo de *Bhaváni* uberius tradidimus.

Sexta ſecta eſt eorum, qui സര്വ്വജ്ഞ Sarvagnia vocantur. Hi omnia ſe ſcire profitentur, ſed nulli ſectae ex relatis adhaerere volunt. Deum ens ſupremum eſſe exiſtimant, ſed mundum caſu et ſine ſpeciali providentia gubernari, denique virtute ſibi olim impreſſa revolvi & ſubſiſtere putant.

Brahmanes Graehaſtae verum & indiſſolubile matrimonium cum una ſola uxore ineunt. Si haec ſterilis eſt, eam coram iudice & magiſtro ſuo repudiant, aliamque ducunt. Filii maſculi le-

(1) In muſeo Borgiano Velitris praeter monumenta aerea & lignea quae iam ſupra illuſtravimus, exſtant icones Indicae originales novem incarnationum dei Vishnu. Ibidem pariter viſitur icon dei Brahmae, dei Ganésha, dei Hanuman ſeu Panis, dei *Krshna*, deae Káli ſeu Bhaváni, dei Budha, quas quidem omnes iam facile ex iis, quae nos de his deaſtris ſupra attulimus, diſtingues. Omnes hae figurae ſuis numeris ſignantur, atque eas inſpicere ſufficit, ut illas ad huius opuſculi ordinem mythologicum reducere poſſis. Ex eodem muſeo in hac tabula unius Brahmanis ſimulacrum exhibemus. Alia plura quae ibi exſtant, ii qui rerum Indicarum cura & ſtudio afficiuntur, ipſimet inſpicere, & examini ſubiicere poſſunt.

Digitized by Google

li legitimi in bona patris ſuccedunt, filiae accepta dote a ſucceſſione excluduntur. Nemini Brahmanum ſincere ſuae tribui addicto animatum comedere, aut vinum bibere licet. In Malabaria ſeminudi incedunt, prout hic ex muſeo Borgiano eorum ſimulacrum exhibemus. Regum conſiliarii ſunt, & cauſſarum de religione iudices. Omnes ſupremo ſectae aut tribus ſuae magiſtro parent, dum contra ſtatuta ſua aut tribum delinquunt, a ſecta & tribu expelluntur, extra regnum in exſilium aguntur. Brahmanes ſacrificuli & legis doctores ex templi, cui addicti ſunt, reditibus aluntur. Campi & agri ad ſerendam oryzam praecipuis fanis antiquiſſimo iure, quod cum diſtributione gentis in tribus incepit, conſtituti fuerunt pro cultu deorum ſervando & miniſtrorum certo numero alendo. Haec conſtitutio hodiedum ſarta tectaque manet in illis Indiae regnis, in quibus reges gentiles Indi indigenae imperant (1).

ക്ഷത്രിയഃ

KSHETRIA

TAB. XXIX.

DE GUBERNIO ET MILITIA

Secunda Indica nobilis claſſis hominum eſt tribus regalis, quae ക്ഷത്രിയജാതി kshetriagiádi dicitur. ക്ഷെത്രം kshetram, *uxorem*, *agrum*, *corpus*, & *templum* ſignificat. Kshetrier uxore certa carent, niſi ipſi certam ſibi deſpondere velint, agri tempore pacis eis excolendi ſunt, corpore ſuo gerendis bellis inſerviunt, tempore pacis ad deorum delubra ſedes figunt. Hi etiam

(1) Haec de ſacrificulis certo templo addictis, ac de yamanaeis in aſceterio viventibus cumprimis ſunt intelligenda, non autem de iis, qui matrimonii vinculo irretiti vivunt. Unde recte dixerat Porphyrius *lib.4. de abstinentia. Extra urbem commorantur* (yamanaei), *ubi domos & fana a rege exstructa habent, in quibus oeconomi sunt constituti. Ex oryza, & pane* (ex oryzae farina confecto), *& pomis, & oleribus victus apparatur, ad tintinnabuli signum preces effundunt, omnes absque uxore, & posessionibus degunt.*

Digitized by Google

etiam രാജപുത്ര rágia putra, id eſt *regum filii* vocantur (1) Reges itaque Indici ex hac claſſe naſcantur eſt neceſſe, ut regno & gubernio potiri poſſint. Sunt tamen hodiedum aliqui reges Brahmanes, qualis eſt rex Rapolinus in Malabaria, qui ſacris & genti praeeſt. Ex antiquiſſima Indorum inſtitutione rex primus regni miles eſt. Quare horum kshetria vel rágiaputra (quod vocabulum alii corrupte rágiaput, vel rágiapouts ſcribunt) officia in vocabulario Amaraſinha *ſect. Kshetriavarggam* ita deſcribuntur: സന്ധി ſandhi *pax*, ut nempe quantum id quidem fieri poteſt, ſemper paci publicae conſervandae, ac cum vicinis amicitiae foederi ſtudeant. വിഗ്രഹം vigraham *occiſio*, ut dum neceſſitas poſtulat, pace aut bello occidant. യാനം yánam *progreſſio*, ut exercitum legere, luſtrare, caſtrametari, in hoſtem ducere ſciant, ut equo aut elephanto inſidendi, eumque regendi artem calleant. ആസനം aaſanam *ſeſſio*, ut apto loco conſidere, praeſidio ſe, ſuoſque munire norint. ദ്വൈധം *dvaidham*, ut exercitum apte diſtribuere non ignorent, atque regni deſtructionem impediant. ആശ്രയം *aashrayam*, ut exercitui & populo opitulari, ac dum anceps fortuna belli eſt, apte in praeſidia regredi ſciant. Haec regum officia eſſe dicuntur, alia ſunt *media*, quibus pro bono regimine utendum eſſe cenſent. സാമം *ſámam*, ut exercitum populumque ſibi conciliare ſciant. ദാനം *dánam*, ut liberales ſint. ഭേദം *bhédam*, ut recte corrigere, caſtigare, punire norint, ദണ്ഡം *dandam*, ut labore & exercitatione ſua regno proſint & praeſint, രഹസ്യം *rahaſyam*, ut

(1) De his ergo regibus ſeu de viris tribus regiae intelligendus eſt Strabo, dum lib. 15. *Porum* Indicum regem ſexcentis regibus imperaſſe ſcribit: *Addit* (Nicolaus Damaſcenus) *epiſtolam* (ad Auguſtum R. I.) *Graecam fuiſſe in membrana ſcriptam, qua ſignificaretur, Porum eſſe qui ſcriberet, & cum ſexcentis regibus imperaret, Caeſaris tamen amicitiam multifacere.* Strabo lib. 15.

Digitized by Google

ut iura & ſecreta cuſtodiant, arcanum nullum revelent. മന്ത്രം *mandram*, ut antequam opus grave aggrediantur, conſilium capiant, ac ſibi ſuiſque proſpicere norint. പരിക്ഷണം *pariksbanam*, ut prius experimentum faciant, quam bello ſe ſe aut regimini ingerant. ന്യായം *nyáyam*, ut iuſtitiam adminiſtrare norint. കല്പന *kalpana*, ut bonas & rectas leges ſancire ſciant. നില *nilá*, ut & ipſi bene procedant. Regni ſuſtentacula haec ſunt: സ്വാമി *dominus*, രാജ്യം *rágiam* ut hic dominus regnum vere poſſideat, അമാത്യ *amádya*, ut bono utatur miniſtro, സുഹൃത *ſubarda*, ut ſincerus ei adſit amicus, കോശം *cosbam*, ut theſaurum collectum & reconditum poſſideat, ദുൎഗ്ഗം *durggam*, ut bonis ſit praeſidiis inſtructus, ബലം *belam*, ut militari fortitudine ac exercitu gaudeat. Haec ad reges & regna, alia ad ipſum bellicum inſtitutum pertinent. Milite collecto, apparatu bellico conſtituto, exercitu luſtrato, commeatibus pro dapſilibus ſumptibus diſtributis & ſtabilitis, exercitus Indicus olim non per legiones, cohortes, vexillationes, ac turmas congregabatur ut apud Macedonas, ſed ſequenti modo:

I. *ordine* Inſtar velitum conſtituebatur elephas unus, currus unus, equi tres, pedites quinque. Hic ordo vocabatur *patti*.

II. Quem frontem exercitus appellabant, ſtatuunt, 3. elephantes, 3. currus, 9. equi, 15. pedites. Hic ordo vocatur *ſénamugham*.

III. Veniunt 9. elephantes, 9. currus, 27. equi, 45. pedites. Hic ordo dicitur *gutmam*.

IV. 27. elephantes, 27. currus, 87. equi, 135. pedites. *Ganam*.

V. 81. elephantes, 81. currus, 243. equi, 405. pedites. *Vábini*.

VI.

VI. 243. elephantes, 243. currus, 729. equi, 1215. pedites. *Vrdana*.

VII. 729. elephantes 729. currus, 2187. equi, 3644. pedites. *Ciamú*.

VIII. 2187. elephantes, 2187. currus, 6561. equi, 10935. pedites. *Aniguini*.

IX. 21870. elephantes 21870. currus 65610. equi, 109350. pedites: *Akshobini*. Hic ordo claudebat agmen, ſi umquam tale agmen re vera exſtitit.

Hoc itaque ordine antiqua Indica praelia gerebantur, & hoc ordine probabilius regis Pori copiae Alexandro magno occurrerunt (2). Vide Q. Curtium *lib.*8. *cap.*23. Ex hac coordinatione exercitus Indici ſuapte natura ſequebatur, Porum numero militum ſuperiorem, viribus minorem eſſe debuiſſe, atque adeo non Graecorum armis, ſed exercitus ſui defectu, perturbatione, itinerum aſperitate, machinarum onere, animalium hominumque permixtione, ſyſtemate denique ſuo militari proprio victum fuiſſe.

Recentiores Indi Perſicum, deinde Tartaricum, poſtea Europaeum pugnandi modum adoptarunt. Teſtis eſt Nabab Tipu Sultan, qui Gallicam, & rex Travancoridis qui Anglicanam pugnandi artem ſequitur.

Ex principiis diſtributionis totius Indicae gentis in quatuor praecipuas claſſes ſequitur, militem Indicum facile conſcribi. Nam I. claſſis Indica ſecunda regalis ſimul etiam militaris eſt, quae quia hortos & agros in ſui ſuſtentationem aſſignatos poſſidet, ſemper ad belligerandum prompta & expedita eſt, ita ut una epiſtola circulari, uno ſigno ad praelium convolet. II. Indi nudi fere, arcu & ſagittis, lanceis, ſcutis, gladiis, haſtis, ſariſſis, caeſtibus, aclidibus, bipennibus inſtructi hodiedum ad

 bella

(1) *Octuaginta quinque elephantos obiecerat* (Porus) *eximio corporum robore, ultraque eos currus tercentos, & peditum triginta fere millia . . . summa virium in curribus, senos viros singuli vehebant, duos clypeatos, duos sagittarios ab utroque latere dispositos, ceteri aurigae erant haud sane inermes . . . Contra Alexander expedito ac levi agmine strenue invectus est*. Q. Curtius *lib.*8. *cap.*23. & 25. Confer etiam Plutarchi Alexandrum *pag.*210., & *seq. Francoforti* 1580.

bella procedunt. Sclopetorum uſus nec ubique invaluit, nec in eodem regno communis eſt. III. Indicus miles facile alitur, oryza enim, fruges, herbae, & oryzae aqua ſemper illius alimentum fuit (1) & hodiedum eſt. IV. Indicus miles ſobrius antea fuit, opii, & foliorum *kanciáva* ſeu *bangae* uſus, qui inebriat, ab Arabibus poſtea invectus, veris illis antiquis patritiis militibus gentilicis ignotus erat. Europaeus miles ad intemperiem, ad gulam, & potum Indici vini *aràka* dicti profuſus eſt, ſole, aerumnis, itineribus, luxuria morbis facile frangitur & atteritur, atque poſt primam bellicam expeditionem inutilis evadit. Ex hac cauſſa Angli & Batavi Indicum militem legere amant, atque ipſis Europaeis praeferre. V. Indicus miles bello confecto ad propria revertitur, et agros excolit, qui ipſi pro rata antiquitus obtigerunt. Inde minor oppreſſio populi, agricultura frequentior, patria felicior eſſe ſolebat. Stipendiarius miles poſtea inductus fuit, poſtquam nempe Tartari & Europaei in Indiam, terram non ſuam, arma, effuſionem ſanguinis, pulverem pyrium, ſclopeta, pyrobolos, tormenta, iuris alieni infractionem, regum diſſidia, horrorem & mortem intulerunt (2). Ceterum in utramque partem diſputantium opiniones tu ipſe accuratius expende. Vide Chriſtiani Funcii breviarii hiſtorico-politici quadripartiti *cap. 9. de regnis Indicis pag. 560. & ſeq.*, epiſtolam D. Charpentier de Coſſigny anno 1784. ad D. Sonnerat exaratam, Gonzales de Oviedo, & Maffaei *commentarium de rebus Indicis*. Stato civile e politico di Bengala. *tom. 1. pag. 21.* & alios ſcriptores paſſim.

Kshe-

(1) *Indi in victu frugales sunt praesertim in castris, nec multa turba gaudent. Ornatu plurimo* (in adornando capite) *utuntur, a furtis magnopere abstinent . . . Vinum non nisi in sacrificiis* (Bacchicis) *bibunt, potum ex oryza conficiunt sicut ex hordeo. Cibus magna ex parte sorbilis est.* Strabo lib. 15.

(2) Confer de Europaeorum acerbitatibus Indicis librum inſcriptum: *Stato civile, politico, e commerciante del regno di Bengala.* tom. 1. & 2. anno 1780. ſine nomine auctoris & loci. Raynal *histoire philosophique du commerce de deux Indes.* tom. 1. *Quid nobis o Alexander bello invicem pugnaque opus est, si neque aquam nobis, neque victum necessarium ereptum venis? quae sola hominibus cordatis pugnandi necessitatem imponunt. Ceteris seu opibus seu divitiis si te praesto, paratus sum tibi benefacere, sin iis te inferior sum, affectus beneficio gratias agere non recuso.* Verba Taxilis regis Indici in Plutarchi Alexandro *pag. 211.*

Kshetrier antiqui ſola ſindone induebantur, atque ſoleis pedes, capita linteis vinciebant, prout & hodie vinciunt. Zonam humeralem, quae audiendae, non autem explicandae divinae legis auctoritatem ipſis confert, ex humeris pendentem, ut Brahmanes gerere poſſunt. Reges in aedibus delubro proximis a philoſophis inſtituebantur, & hic mos hodiedum in Tibeto, & in Malabaria obtinet; nam ibi iuvenis Ticho Lama in aſceterio Laharum, heic in aedibus delubro vicinis reges Coccinenſes & Travancorenſes inſtituuntur (1). Tribus haec regalis in pluribus Indiae locis defecit, atque nunc gregarii milites shudrae & nayres ſunt, tertia nempe tribus, quae ſecundae illi quaſi extinctae ſuccedit. Nec haec, nec illa vero & legitimo matrimonio obſtringitur, ſed arbitrio & affectu omnia aguntur, ita ut aſſumpta mulier in torum viri repudiari poſſit, quin & mulier ſuſceptum amatium derelinquere cum libuerit. Quare mulier domi ſuae inviſitur, & raro ad domum viri traducitur. Ius eam inviſendi pendet a conſenſu ipſius mulieris, atque a conditionibus, quas ipſa viro imponit. Sed mos antiquus eſt prima vice ſindonem dare induendam, quam ſi mulier accipit, in deſideria viri conſenſum praebuiſſe, atque iure & conſuetudine obſtringi praeſumitur, & haec ipſa conſuetudo vim legis habet. Incerta venus, mulieris hoc modo deſpondendae, atque iterum repudiandae libertas, pro locorum & circumſtantiarum neceſſitudine concubinarum, ſeu mulierum huius regalis & militaris tribus libera ex utraque parte electio et adoptio, nulla patris cura in filios, quos ſubinde nec quidem novit, gravis et certa cauſſa videri poſſet extinguendae huius tribus, atque adeo ſingularis eſt, ut vix eam apud aliam quampiam orbis gentem reperire liceat. Verum diuturna, certa, & antiquiſſima hac conſuetudine evincitur, opinionem contrariam falſam eſſe; nam tribus

(1) Vide in libro *Asiatick researches* pag. 207. & ſeq. § 8. *An account of a journey to Tibet*. Codicem manuſcriptum R. P. Ildephonſi a Praeſentatione *num* 20. *in bibliotheca S. Congreg. de P. F.* Notizie laconiche *pag.* 216. *& seq.* Regis Travancoridis effigiem in veſtitu publico & ſolemni in hac tabula ex muſeo Borgiano Velitris exhibemus. Hic princeps Ráma Varmer meus olim ſingularis Maecenas, ex matre, e nobiliſſima familia regum Còlatiri ſeu Coláſtri deſcendente, natus, verus Kshetria eſt, atque a Brahmanibus Triciuricenſibus omni diſciplinarum Brahmanicarum genere inſtitutus fuit.

tribus iſta ſemper ſubſiſtit, & probabilius ſemper ſubſiſtet, quo uſque religio gentilis Indica, et primitiva gentis inſtituta vigebunt, neque ab exteris evertentur.

Filii ex tali toro nati ventrem et conditionem matris ſequuntur, atque iure & conſuetudine ipſi mulieri remanent, in domo matris educantur, in bona avunculi ſuccedunt, nulla habita patris ratione, cuius ſoror, ſi adeſt, a ſe ſuſceptos filios pariter alere, educare, et in ſucceſſionem fratris ſui deducere debet. Crimen eſt, tribus non ſuae viro commiſceri, et ſiquidem hic inferioris conditionis ſeu claſſis eſt, mulier de ſcelere convicta exteris vendi, et in mancipium tranſire ſolet. Nos omnia haec accuratius digeſſimus in epiſtolis Auguſtae Vindelicorum editis, quas conſulat, cui placet. Regum filii itaque in regnum et bona patris non ſuccedunt, ſed primogenitus ſororis ipſius regis, qui avunculo ſuccedit, atque ſecundus rex dici ſolet; ut ſoror regis reginae honoribus cumulatur, excluſis regiis filiis et matre, quae eos ex rege ſuſceperat. Hi ad alimenta poſtulanda, non autem ad dignitates ius habent. Et tales ſunt hodiedum regis Coccinenſis, hoc eſt regis *Perumpadapil*, et regis Travancoridis *Ráma Varmer* filii, quos ego ipſe ſaepe videram, dum in aula huius ultimi regis ſaepe verſarer. Legis huius et conſuetudinis ratio, ut ipſi quidem aiunt, eſt, ut ſanguis regius et militaris illibatus conſervetur, ne bona familiarum per feminas ex una familia in aliam tranſeant, ut viri a filiorum et uxorum cura immunes, ad bella gerenda expeditiores ſint, denique ne uxores, ſi verum matrimonium inter milites intercedat, longa maritorum abſentia incontinentiae exponantur, nec alienos filios ſuppoſititii patres alere teneantur.

൧൨൮

Digitized by Google

വൈശ്യർ

VAYSHYER

TAB. XXX.

Tertia nobilis claſſis hominum Indica eſt tribus വൈശ്യ ജാതി vayshyagiádi dicta. Huius officia ita deſcribuntur in vocabulario Amaraſinha *ſect. Vaiſhyavarggam*. കൃഷി krshi *agricultura*, പശുപാല്യം pashupályam *armenti paſtio*, വാണിജ്യം vánigiam *mercatura ſeu agreſtium rerum venditio*.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris
Et teneram ferro ſollicitavit humum. Tib. lib. 1.

Primus apud Indos arationem Shrirâma ſeu Bacchus iunior docuiſſe perhibetur, atque ideo aratrifer ſeu Síravánni dicitur. Concinit Arrianus, qui Liberum patrem primum fuiſſe docet, qui apud Indos aratro boves iunxerit, Indos errabundos collegerit, & ex vita paſtorali ad civilem traduxerit. Verum opinio haec refellitur ex eo, quod, ut ex hoc libro Amaraſinha luculenter patet, agricultura, & paſtoralis vita in una eademque gente ſimul conſtituatur, & in ipſum ſyſtema legale & civile Indicum referatur, ac proinde quod Manu regi, cui partitio Indicae gentis adſcribitur, inſtitutio utriuſque ſit attribuenda. Profecto cum Shrirâma ſol ſit diurnus, atque tota Indicae religionis, quin & morum conſuetudinumque multarum baſis ex ſiderum obſervatione, non illa quidem, quae per tubos fit, exquiſita, ſed ex naturali & ſimplici caeli inſpectione deducatur, anne prudenter ſupponi poteſt, vitam paſtoralem ac agriculturam primam ac maximam neceſſariam ſcientiam ab aſtronomia ſeiunctam fuiſſe, alium a neceſſitate inſtitutorem habuiſſe, denique unam altera antiquiorem eſſe? Naturalis ergo, ſimplex, & rectus ordo legiſlationis poſtulabat vel apud primos illos humani generis

Digitized by Google

neris inſtitutores, ut ubi ſacerdotes colendis diis addicti, et reges gentis praeſides, ibi quoque agricolae, armenti paſtores, & terrigenarum productionum diſpenſatores haberentur. Admirabilis iſte ordo naturae humanae congenitus, primaevam ſimplicitatem gentis, & ipſam remotiſſimam antiquitatem huius legis apertiſſime demonſtrat. Ii qui agros excolunt, iis qui non colunt dapſiles productiones, frumentum, oryzam, lac, butyrum vendant eſt neceſſe, & dum ſacerdotes altari, reges publicae paci conſervandae ſerviunt, dum hi bella gerunt, alia tribus agros colit, & de victu illis providet (1). Nobilis eſt prima & ſecunda claſſis, ſed nobilis eſt etiam tertia, quia cum illis intime coniuncta, neceſſaria, honeſta, ac praecipua regni baſis eſt. Nulla hic illius commercii, quod paſſiones promovet, luxum auget, regni vires enervat, mentio, ſed omnis legislatio mira ſimplicitate abſolvitur, agrum arare, armentum paſcere, rerum agreſtium mercaturam facere, tertiae nobilis claſſis vita, labor, & functio eſt (2). Mehercle non eſt, quod Europaei homines his gentibus inſultent, eaſque barbaras vocitent, quando ipſum Europaeum legale ſyſtema praeſtantiam illius non attingit, nunc ruit, nunc attollitur, ſimplici & ſalubri illarum gentium inſtitutione iam a tribus mille & amplius annis, certa, intacta, tuta, incolumi, & immutabili perſiſtente.

Templa gentilica & chriſtiana ac fundi iis adſcripti a cenſu immunes ſunt (3), & eccleſiae quidem chriſtianorum S. Thomae *Naſráni* dictorum in Malabaria a tempore regis ചെരമാൻപെരുമാൾ Ceramperumal, hoc eſt a ſaeculo fere ſexto ab omni taxa, onere, cenſu,

(1) Strabo lib. 15. *Secundum* (dicendum eſt tertium) *genus est agricolarum, qui plurimi sunt, & pacatissimi in maxima operandi licentia & immunitate militiae . . . eodem tempore & eodem loco alii pugnant, & cum hoste periclitantur, alii arant, vel fodiunt sine ullo periculo, cum illos pugnatores habeant, & cum regio tota sit regis, ipsi eam conducti operantur in quarta fructuum parte.*

(2) *In legibus magnam simplicitatem esse, vel ex eo argui potest, quod non multum sint litigiosi* (Indi), *nam nec commissi, nec depositi ulla iura habent, nec testibus indigent, nec sigillis, sed simpliciter credunt. Domum saepe incustoditam habent, quae omnia sunt continentiae.* Strabo lib. 15.

(3) Exſtat apud me palmeti & eccleſiae Verapolitanae conceſſionis fundi inſtrumentum, quod ex lamina cuprea lin-

cenſu, aut exactione regia exemptae & immunes fuerunt (1). Communis, immemorialis, conſtans, & certa inter ipſos gentiles eſt ſententia, regula & axioma, Ishvarae ſeu *domini* bona concutienda non eſſe, neque tangi debere, quod numini conſecratum eſt. Quis igitur non dicat praeſtare inter gentiles vivere, quam ſtultis nonnullorum Europaeorum novatorum ineptiis, legibus, & inſtitutis perpoliri? Academiae, in quibus iuniores Brahmanes educantur, atque ad grammaticam Samſcrdamicam, ad ritus & liturgiam, ad aſtronomiam, aliaſque ſcientias, quas communi vocabulo ശാസ്ത്രം sháſtram vocant, inſtituuntur, pariter ſua praedia & reditus poſſident, ab omni onere exemptos. His percipiendis Brahman praeficitur ab officio ſuo *ſnádaga* dictus, qui ſumptuum quoque rationem magiſtris academicis ac communi-

lingua Malabarica vulgari exarata deſcriptum aſſervo. Rex Coccinenſis gentilis princeps illud Patribus conceſſit, & en illius fidelem verſionem:

„ Dignatio verbalis regis ad Patres
„ Verapoli exſiſtentes. Ergo palmetum
„ Táttáracéri dictum quod nos in diſtri-
„ ctu Verapolitano poſſidemus, & nunc
„ in eo exſiſtentem eccleſiam Chriſtia-
„ nam a quacumque exactione, taxa,
„ cenſu, vel alio onere a nobis, noſtris
„ heredibus, ſucceſſoribus, & mini-
„ ſtris impoſito, vel imponendo exem-
„ pta & immunia facimus, & vobis a ſu-
„ perficie terrae uſque ad profunda aqua-
„ rum terram illam damus, & vobis
„ propriam facimus, atque ideo etiam
„ hoc conceſſionis, exemptionis, & ap-
„ propriationis inſtrumentum ſeu epiſto-
„ lam dedimus vobis. Huius palmeti li-
„ mes ad ortum eſt fluvius ad ortum
„ ſitus; limes ad auſtrum eſt palmetum
„ Mundencéri cuius limitem borealem
„ tangit; limes ad occaſum eſt palmeti
„ Márába dicti limes occidentalis a quo
„ verſus ortum limes occidentalis; limes
„ ad ſeptemtrionem eſt palmetum Ma-
„ niyandra, eius nempe limes auſtralis.
„ In his quatuor limitibus contenta
„ omnia uſque ad profunda aquarum vo-
„ bis dominium & proprietatem facien-
„ do concedimus & damus, & ne ex
„ his aut circa haec noſtri heredes, ſive
„ alius quiſpiam aliquod ius, praeten-
„ ſionem, exactionem, taxam, aut
„ cenſum facere, aut exigere poſſit, ab
„ omni onere exempta facimus, ut ita
„ libere poſſitis ritus religionis veſtrae
„ peragere, & palmeto illo, & omni
„ & toto quod continet frui, cum ſit
„ res veſtra, quam vobis damus, dan-
„ do confirmamus, ac vobis propriam
„ facimus. Hoc ergo ita ab urbe Collam
„ anno octingenteſimo ſexageſimo men-
„ ſe virginis mandatum & decretum per
„ omnia conformiter ad verbum regis in
„ palacio Cerekel exſiſtentis, ego Rámen
„ manu propria deſcripſi.

Annus urbis Collam 860., eſt annus noſter 1673. menſis virginis eſt noſter ſeptember. Itaque a condita urbe Coullon vel Collam Malabarenſes ſuam aeram civilem deducunt. Vide Alph. Malabar. *pag.*21.

(1) Vide opus inſcriptum: *Iohannis Facundi Raulin Caeſaraugustani hiſtoria eccleſiae Malabaricae*. Romae 1745. pag.8. & alias paſſim.

tati യോഗം *yògam* dictae reddit. Haec inſtitutio hodiedum in academia Triciuricenſi in Malabaria obtinet, ubi antiquae gentilicae religionis forma ſub regibus gentilicis incolumis perſeverat, poſtquam in ſeptemtrionalibus Indiae partibus primigeniae Indicae conſtitutiones, religio, mores, iura, per Tartaros, Arabes, Anglos everſa, corrupta, permixta, & violata fuerunt. Quare impoſſibile eſſet hic totius Indiae feudalium iurium, conſuetudinum, ac veterum inſtitutorum canonem ſtatuere, cum India variis dominis pareat, quorum primus labor & conatus, dum Indos ſubegerant, ſemper fuit, veteres abolere, & novas condere leges unice in commodum & emolumentum ſuum tendentes. Inde everſio Indicae gentis, ac horrenda illa optimi ſoli vaſtatio, angariis, cenſibus, exactionibus exhauſta oppida, imperia violenta, obſequia coacta, regimen populorum non ex legum praeſcripto, ſed ex arbitrario & caeco motu, ita ut liceat, quidquid lubet. Haec ego non ſemel vidi, & Indici auri ſacram famem, quae Europaeos cumprimis torquet, admiratus ſum, rationes violentas, iniuſtas, inhumanas, quas ad ſe ſe explendam adhibebat, tacitus conſiderabam & deteſtabar. Quare non inſulſum fuit illud regis Travancoridis reſponſum, quod cuidam Europaeo dederat, qui atrocitatem cuiuſdam exactionis obiiciebat: *atrocitatem* (inquit) *& violentum imperium vos me docuiſtis.*

In Malabaria praeſenti rerum ſtatu ex decem modiis ſeminis, quod in centum modios oryzae fructum auget, tres modii ſeminis, id eſt triginta modii oryzae a centum detracti, regi perſolvendi ſunt. Decimationem hanc മുപ്പാര *muppara* vocant. Huic legi antiquiſſimae vayshyer, shúdrer, nayres, chriſtiani S. Thomae dicti, indigenae Arabes *mapule* nuncupati, alii denique omnes, qui agros a rege acceptos excolunt, ſunt ſubiecti. Nulli, exceptis ſupradictis templis, eccleſiis, academiis, ac yamanaeorum aſceteriis, ius proprietatis in agros aut palmeta datur, quin ex antiqua conſuetudine infimae tribus nequidem praedia poſſidere poſſunt, ne relictis artibus, aut ſtatu ſuo priori cum aliis tribubus dignitate, dominio, ambitione, puritate ac nobilitate confundantur, atque hac ratione legale ſyſtema Indicum infringatur.

Arvum

Arvum ligneo aratro ſubigitur, non autem ferreo vomere; nam in pleriſque Indiae plagis humus tenera eſt, et facilis aratu. Occae nullus uſus. Ad ſarritionem et runcationem ſarculo opus non eſt; nam oryza in humilibus & aqua refertis agris creſcit, zizania manu evelluntur, atque exſtirpantur. In multis Indiae plagis duabus vicibus in anno et in eodem agro ſeminant, & duabus vicibus metunt. Ut agri feraciores ſint, ſcrobes in medio agri certis ſeiunctas limitibus effodiunt, atque reſectis arborum ramuſculis, foliiſque replent, quae cum putreſcunt, ſolo miram fecunditatem, virtutem ac vigorem tribuunt, & ſemini ac ſegeti vires addunt, quo fit ut novalis & vervacti ac denique requieti agri vim ac fecunditatem ſemper poſſideat, nec eidem requieſcere ſit neceſſe. Dum pluvialis aqua deeſt, ex ſtagnis, fluviis & paludibus hauſtro vel ſitula perticae alligata aquas hauriunt, atque eas per canales & incilia in agros derivant, id quod apud Sonnerat uberius deſcriptum reperies (1). Verum ut alias ſaepiſſime, ita & heic alucinatur, dum agriculturae Indicae ſcientiam ab exercitatione gentis orae Coromandelicae iudicat & perſtringit, cum ignorare haud potuerit, oryzae copiam ex Bengala & ora Malabarica advehi ad Coromandalenſes Indos alendos, ac proinde in Bengala & Malabaria, agriculturae Indicae ſcientiam obſervandam, & diiudicandam eſſe, non autem ex iis locis, ubi terra arida & inanis, gens denique ipſa plus conficiendis & tingendis ſindonibus ac commercio, quam agriculturae addicta eſt.

Agriculturae cauſſa iam a vetuſtiſſimis temporibus per Brahmanes ephemerides ſeu calendaria, quae പഞ്ചാംഗം panciángam vocant, confecta fuiſſe cenſendum eſt. Arrianus *in Indicis*: *Vaticinantur* (Brahmanes) *de temporibus anni, aut ſi qua publica calamitas immineat. De rebus autem privatis non vaticinantur, ſive quod divinandi rationem ad res minores pertinere non putent, ſive quod indignum credant circa minutiora haec laborare*. Strabo lib. 15. *Praeterea Indos valde ſtudioſos eſſe circa artes . . . Bragmanas phyſiologiam & aſtronomiam exercere*. Q. Curtius lib. 8. *Siderum motus ſcite obſervare*. Et iterum Strabo lib. 15. *Nearchus de Sophi-*

(1) Sonnerat tom. 1. pag. 189. ed. in 8.

ſtis ita loquitur: *Brahmanes in civitatibus verſari*, *& reges ſequi*, *& eorum conſiliarios eſſe* (ut hodie ſunt), *ceteros vero quae ad naturam pertinent*, *contemplari*. Ad naturam autem & aſtronomiam pertinebat ex ſolis motu, quem moveri hodiedum putant, reiecto aut non admiſſo ſyſtemate Copernicano (1), per duodecim ſigna zodiaci, quae ſol perluſtrare ipſis videbatur, annum in duodecim menſes diſpertiri, prout hodiedum diſtinctum videmus in eorum libris, ac praeſertim in antiquiſſimo libro Amaraſinha *ſect. Sorg-gavarggam*, ubi *aries*, *taurus*, *gemini &c.* ex ordine recenſentur. Vide de his Waltheri *doctrinam Indicam de tempore pag.* 153. *in hiſtoria regni Bactriani*, & chronologiam Scythicam veterem eiuſdem Bayeri *in commentariis academ. Petrop. tom.* 3. *pag.* 302. *edit. Petrop.* 1732., ubi initium regum Scythicorum ad annum 644. ante Chriſtum natum reiicit, & ſatis quidem illiberaliter, ita ut de illa epocha mihi omnino dubitandum eſſe non videatur. Confer etiam *grammaticam Latino Tamulicam R. P. Conſtantini Ioſephi Beſchi typis Trangambaricis editam cap.*5. §.4. *pag.*158. *& ſeq. de diebus*, *menſibus*, *& annis Indicis*, et Sonnerat *tom.*1.*p.*216. ubi aſtronomiam apud Indos antiquiſſimam ſcientiam eſſe adſtruit, & uberius deſcribit. Ad naturam pariter & aſtronomiam pertinebat ſolis, lunae, ceterorumque planetarum meatus, influxum, coniunctiones, actiones obſervare, ac quamnam cum terreſtri mundo, cum agricultura, ſecunda & neceſſaria ſcientia, connexionem haberent, conſiderare, atque inde ſerendi, & metendi tempus ſtatuere, fauſtos & infauſtos dies calculo notare, aut in folia palmarum ſtilo ferreo referre, ex aeris & ſiderum motu pluvias aut ſerenum tempus praedicere, aſtris denique, quae divinis animata mentibus eſſe putant, & ut deos adorant, vim ſpecialem ac virtutem adſcribere, quemadmodum omnes aliae gentes diis ſuis certam efficaciam ac energiam adſcribunt (2). Profe-

(1) Non videtur eſſe certum ab antiquis Brahmanibus terram in mundi centro collocatam fuiſſe, quin Calcuttenſes Angli potius ſuſpicantur philoſophum Indicum Yavan Ashárya attractionem docuiſſe, & ſolem in mundi centro conſtituiſſe. Vide pag.430.

(2) Vide *notizie laconiche* ad fig.49. 50.51.52.53.54. Ibidem ex Nepalenſium doctrina horum planetarum ſimulacra exhibentur, boni malive in terreſtria influxus, fauſti & infauſti hebdomadis dies ex ordine notantur & recenſentur. Confer etiam Sonnerat *tom.*2. *pag.*211. Ex imperitia linguae ſacrae apud ambos plura ibidem corrupta, manca, obſcura, ſine ingenio, ſine litteris dicta reperies.

Profecto antiquos Brahmanes aſtronomiae peritos fuiſſe, atque planetis varias virtutes ac in terreſtria influxum attribuiſſe, ipſa nomina quibus in libro Amaraſinha planetae inſigniuntur palam & aperte indicant (1). ചനി ciani vel ശനി shani *Saturnus*, ſtricte & proprie ſignificat *humidus*, *frigidus*. Idem vocatur ശനൈശ്വരൻ shaneyshvara *humiditatis dominus*. Vide Amaraſinha ſub voce ശനി *shani*. Ex quo vocabulo ſolo iam erroris convincitur D. Court de Gebelin, qui totum fragmentum *Sanchoniatonis* corrumpit, inepte ad Saturnum transfert, & allegoriam illam ineptius ad inventionem agriculturae traducit (2). ഗൌരി gauri *Gangeticus*, *ad Gangem vel ex Gange fluvio natus*. മന്ദൻ mandá *lentus*, *tarde incedens*, nempe ob orbitam maiorem, quam motu ſuo circa ſolem revolvendo tardius perficit. പംഗു pangu *claudicans*, *tardus*. കാലൻ *tempus*, *multum temporis ad revolvendum inſumens*. Saturnus ergo *tempus* dicitur allegorice, ſenex fingitur, ſubinde falcem gerit, quia emblema temporis eſt, ob diuturnam moram in ſuo circulo perficiendo. Subinde etiam anguis eidem affingitur vitae ſymbolum, quia ut alii planetae, hic etiam vivificator eſt, & in terreſtria influit. A Malabarenſibus & Tamulenſibus തപസ്സ tabaſſa, id eſt *contemplator* eſſe & fuiſſe perhibetur, quia nempe ut Budha ſeu Mercurius, ſolem deum contemplatur, & circa eum revolvitur. Hermes ſeu Dherma vel Budha Saturni conſiliarius eſt, quia ſoli primo Indico deo proximus eſt, unde *omniſcius*, *mens*, & *intelligentia* eſſe fingitur, et Saturno a ſe longius diſtanti viam monſtrat circa ſolem revolvendi, et orbitam ſuam perficiendi, quare etiam Mercurius *nuntius deorum*, *viatorum magiſter*, & *Saturni ſcriba* eſſe perhibetur. En ergo

(1) Vide epiſtolam Porphyrii ad Anebonem in fronte Libri Jamblichi.

(2) *Allegories orientales, ou fragment de Sanchoniaton, qui contient l'hiſtoire de Saturne*. A Paris 1773. *pag*. 6. & *seq*. Fragmentum *Sanchoniatonis*

ergo omnium Graecarum & Latinarum fabularum de Saturno originem, en certum veteris Brahmanicae aſtronomiae argumentum! Ex his, et ſupradictis iam facilis et certa redditur ratio, cur *Saturnus in vincula coniectus* fuiſſe, *temporum auctor* eſſe, *deorum princeps*, a *Iano* aſtronomico numine *hoſpitio exceptus*, cum *Ope frugum auctor eſſe*, *laneos pedes habere*, *filios devorare*, *falcem portare*, *caeli pudenda abſcidiſſe*, *ſphaeram pro aqua habere*, *a filio planeta Iove pulſus & vinctus fuiſſe*, *maleficus eſſe*, *plantationis diſciplinam inſtituiſſe* a veteribus perhibeatur. Vide Macrobii *Saturn. lib.* 1. *cap.* 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10. Ex hac ipſa Brahmanica aſtronomia etiam patet, cur Mercurius ſeu Budha *non ambulans* dicatur, ſcilicet meatus Mercurii ob exiguitatem ſuae orbitae minor eſt, et minori tempore perficitur circulo Saturni, qui a ſole ultimus planeta eſt et deorum minorum princeps. Hoc eodem modo in eodem vocabulario luna *frigida*, *humida*, *domina*, *fuſca*, *recurva*, Iupi-

tonis etiam affert Stephanus Fourmont. Hic illud ad Iobum, Abraham, Iſac, Iacob, alioſque in S. Scriptura illuſtres viros, ille ad agriculturam ac ad aſtronomiam traducit Ambos me etiam tacente liber Amaraſinha confutat. Ut lector veram Saturni Indici notionem aſſequatur, ipſum huius deaſtri ſimulacrum, prout illud ab Indo quodam Nepalenſi depictum in codice originali R. P. Conſtantini ab Aſculo ſub figura 54. extat, in hac tabula exhibemus. En quomodo illud deſcribat ipſe ille Miſſionarius Nepalenſis: *Un gallo forma il sedile al idolo Sonitzonal* (corruptum a Shanyáshiciánal Saturni dies) *sabbato*. *Un tal Idolo ha il corpo di fosco* (nempe ob defectum luminis in planeta Saturno) *colore*, *con un tridente*, *e con una fascia gialla*, *con che tiene avinto il gallo*. Supra dixerat de Brahaſpadi ſeu de Iove planeta: *Divinità che fu di stirpe de' Bramoni*, & de Shucra ſeu Venere planeta ſubiungit: *ancor questo è di ranco de' sacerdoti*. Nullum itaque dubium ſupereſt ab Indis planetas, ut monachos, contemplatores, ſacerdotes, ac ſolis conſiliarios repraeſentari, quemadmodum Brahmanes ſacerdotes terreſtres regum conſiliarii ſunt. Budha itaque *venerabilis* eſſe dicitur, quia ſoli deo proximus eſt. Vide *pag.* 155. *huius opuſculi*. Hic idem *omnia dereliquit*, quia monachus ſeu aſceta eſſe fingitur, *omniscius est*, quia deo proximus, *Dhermarágia seu rex beneficus est*, quia ipſe dei ſolis virtutem, ac beneficia diſtribuit, *beatus est*, quia deo vicinus, *concupiscentiae victor*, quia ſolis dei ſanctitas in eum redundat, *sex scientias possidet*, quia eas a deo ſole accepit, *disertus est*, quia apud deum ſolem oratoris munere fungitur, *hesychastarum praeses est*, quia planetis praepoſitus, ſeu primus a ſole eſt. Ex his ipſis epithetis patet, cur idem Mercurius etiam apud Graecos *belli & pacis minister* ſit, cur *nautarum deus*, cur *domi custos*, cur *pastorum deus*, cur *Cupidinis victor*, *cur Trismegistus*, id eſt rex, philoſophus, & monachus, denique cur *legislator*, *religionis*, & *scripturae inventor &c.* Vide Macrobium, qui tamen vehementer fallitur, dum Mercurium ſolem eſſe putat.

Digitized by Google

Iupiter *vaſti corporis planeta*, *contemplator & magiſter*, venus ഉശസ്സ് *uſhaena* ſeu *ſtella continuo naſcens*, *vel ſtella matutina* dicitur. Quae omnia evidenter probant, veteres Brahmanes aſtronomiae peritiſſimos fuiſſe, eamque ſcientiam una cum fabulis aſtronomicis et allegoriis orientalibus in Graeciam et Latium perlatam fuiſſe, ac denique inter nos ex inſcitia linguarum, ac viciſſitudine temporum et revolutionum hoc immenſum chaos fabularum efformaſſe, quod hactenus nemo diſcuſſit, et quod plurimos mythicos abſorpſit. Horum geniorum ſeu planetarum aetas differt ab aetate hominum; atque chronologia caeleſtis hiſtoricam et humanam terreſtrem annorum numero ſuperat. Secundum illam priorem Indi remotiſſimam antiquitatem ſibi arrogant, et horum ſomnia ſecutus eſt Bailly, quem refutatum vide in grammatica Samſcrdamica *pag.*173. *& ſequentibus* (1).

DE USU NUMMORUM APUD INDOS

Strabo lib.15. de Indis differens ait: *Indos auro & argento non uti*, *quamquam metallis abundent*. Et iterum ex Nearcho, qui Alexandri magni naves in Indiam deduxerat, & eam peragraverat, dicit: *Epiſtolas in Sindonibus ſcribere* (Indos) *benefullatis*, *alienis non uti*, *aere fuſo uti*, *percuſſo nequaquam*. Pauſanias *In veteris Graeciae deſcriptione* edit. Florent. 1551. lib.3. pag.117. ait: *Quin & hoc ipſo tempore* (quo ſcripſit Pauſanias) *ab Indis referunt*, *qui ad ea loca navigarunt*, *pro Graecorum*, *quae illuc comportatae fuerint*, *rebus*, *reponi Indicas merces*, *nummum vero eos plane ignorare*, *etſi abundat ea pars orbis terrae auro & aere*. Arrianus *in Periplo maris Erythraei* ait: *Ad haec uſque tempora in Barygazis* (in Baroche) *antiquae drachmae reperiuntur*, *Graecis inſculptae litteris cum inſignibus Apollodori*, *& Menandri*, *qui poſt Alexandri*

(1) Unus dies geniorum ſeu deorum caeleſtium conſtituit unum annum noſtrum humanum & terreſtrem, unus autem annus geniorum continet noſtros annos 365. Quatuor aetates caeleſtes continent duodecim mille annos geniorum caeleſtium, & ſecundum hunc calculum Indi chronologiam texunt, atque antiquitatem ſuam fabuloſe ſupputant.

Digitized by Google

xandri obitum ibi rerum ſunt potiti. Plinius hiſt. nat. *lib.6. cap.22.* Claudio Imperatore regnante Annii Plocami libertum, qui in Aegypto vectigal a fiſco redemerat, aquilonibus raptum navi in Indias, et quidem, ut mihi examinato locorum ſitu a Plinio relato certum videtur, in inſulam Ceylan ſeu Taprobanem delatum fuiſſe ſcribit. Ibi a *Rachia*, hoc eſt a രാജ്യഃ rágia ſeu rege liberaliter exceptus, cum e victigali collectos nummos regi oſtendiſſet, hic varietatem nummorum, et quod plures variis iconibus inſigniti ad unius tamen Claudii Imperatoris dominium referrentur, valde admiratus eſt, ac poſtea Romam legatos miſit, qui cum rege illo et Romanis amicitiae foedus inirent. Admiratio haec regis iſtius Indici, cum ſupra allatis teſtimoniis ſat luculenter probat: I. Nummos Graecos, alioſque olim in Indias perlatos fuiſſe. II. Commercium Indicum praeprimis permutatione rerum olim exercitari ſolitum fuiſſe, ita ut merces Aegyptiae, Graecae et Arabaciae pro Indicis et viceverſa commutarentur. III. In India olim nummorum Indicorum uſum frequentem non fuiſſe, praeſertim vero intra terras et longius a mari; ubi hodiedum inter incolas montium Gates dictorum, nummi vix ac ne vix quidem cogniti ſunt, in civili etiam cultu et familiari incolarum uſu rerum permutationem in mercando obtinuiſſe. Lege Arriani Periplum, et hoc quod dicimus, locupletiſſima auctoritae et exemplis ſtabilitum offendes. Adde his, quod cum ex Herodoto per Darium, ex Iuſtino per Semiramidem, ex Strabone, Plinio, et Arriano etiam per Cyrum ſeptentrionales Indos ſubactos fuiſſe, certiores reddimur (1), in Indiis olim nummi Aſſyrii et Per-

(1) Herodotus *lib. 3. pag. 96. item lib. 4. pag. 114. edit. Colon.* 1526. Plinius lib.6. cap.16. *Ultra Sogdiani, oppidum Panda, & in ultimis eorum finibus Alexandria* (probabilius Barygaza ſeu Baroche, vide Arriani Periplum) *ab Alexandro M. conditum. Arae ibi sunt Herculi & Libero patri constitutae, item Cyro & Semiramidi, atque Alexandro.* Iuſtinus lib.1. *Postremum illi* (Nino) *bellum cum Zoroastro rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas invenisse. & mundi principia, siderumque motus* (nempe in Bactriana ad fluvium Indum ſita) *diligentissime spectasse . . . Sed & Indiae bellum intulit* (Semiramis) *quo praeter illam & Alexandrum M nemo intravit* (fortaſſis ultra & trans Indum fluvium. Strabo lib.15. *In initio cum ii, qui Darium dolo occiderant, ad capiendam Arrianam*) regnum cuius metropolis *Pattan* vel *Patna* urbs hodiedum exſiſtens, olim Arriano Pluthana vel Pultana dicta

et Perſici, ſi eae gentes nummis utebantur, reperiri debuerint, ac proinde, quod multi nummi exteri fuerint, ſeu aliunde invecti, quemadmodum et hodie in Indis plurimi Perſici ac etiam Veneciani nummi circumeunt, qui in illas terras ab Arabibus ex Cairo et Mocha, et Perſis ex ſinu Perſico in oram Malabaricam navigantibus perferuntur (1). Verum haec omnia non obſtant, quin et India ſuos olim habuerit nummos, et quidem ſibi peculiares ac originales, qui facile ab omnium aliarum gentium nummis diſtinguuntur. Triangulum, lingam aut conum, partem pudendam ſeu matricem Bhaváni deae, lingam ipſum in yoni collocatum, apud Indos & Tibetanos iam ab antiquiſſimis temporibus in veneratione fuiſſe, hodieque coli, ex ſupradictis novimus; ii ergo nummi, qui haec ſymbola & ſigna praeſeferunt, veri ſunt Indici nummi, & talis eſt nummus argenteus Bhavani deae yoni repraeſentans, qui cum aliis multis Indicis nummis in muſeo Borgiano Velitris exſtat. Solem, lunam, planetas, aſtra, ab Indis uti olim ſemper, ita & hodie adorari, toto hoc opere docuimus, & hoc idem confirmant multi Indici nummi, qui ex una parte lunam bicornem, ex alia vero iconem Shivae dei tridente inſtructi ac eius uxoris Párvadi repraeſentant, qualis eſt nummus aureus *Viráguen*, qui communiter *Pagode de Mangalor*, hoc eſt oppidi Mangalaburam nummus nuncupatur. Vide Sonnerat *p.*258. *tom.*1. *edit. in* 8. Quin idem Sonnerat non ſolum Indicum nummum lingamico portento inſignitum exhibet, ſed etiam in ſeptentrionali Indiae parte, quam ego non peragravi, hodiedum veteres nummos duodecim zodiaci ſignis diſtinctos dari narrat, qui certe a nobis ſupradicta apertiſſime probant & evincunt, neque amplius aliquem dubitandi locum relinquunt. Omnes hos veros & originales Indicos nummos ex hoc noſtro opuſculo certo & facile cognoſces & diſtingues, atque ab adulterinis, aliarumque

gen-

dicta (*impetum fecissent, optimum fore existimavit* (Alexander) *si eos persequeretur & aboleret*. Et ſupra dixit: *Inde tamen* (ex India) *ex uno loco, & ab uno rege Pandione* (nempe rege *Pándi* ſeu Madure toti orae Malabaricae imperanti, in cuius finibus erat piſcatio margaritarum, hodiedum in ora piſcaria ad promontorium Comorinum fieri ſolita, de qua etiam Arrianus.) *& alio Poro legati cum muneribus ad Caesarem Augustum venerunt*.

(1) Vide librum inſcriptum: *Museum Cuſicum Borgianum Velitris pag.*37.38.

gentium nummis in Indiam perlatis, & hodiedum ibi exſiſtentibus tuto diſcernes. Nam nummi originales Indici praeter ſupradicta ſigna & indicia, ex una parte aut deae Laekshmi divitiarum praeſidis, aut deae Bhavani ſeu lunae ſymbolicae, quam Bhágavadi & corrupte Pagode appellant, aut denique triadis Indicae, aut ſolius Shivae dei ſimulacrum, aut denique ſtellas ſine ulla epigraphe exhibent. Hi veri Indici nummi ſunt antiquiſſimi, quia Indicae religionis & civilis cultus principiis congeniti, neque aliunde in Indias illati fuerunt. Quia vero nulla epigraphe gaudent, nullaque regum ſimulacra praeſeferunt, neque regum Indicorum ſeries, nec certa, vera & hiſtorica aliqua aetas aut epocha ex illis inquiri aut ſtatui poteſt. Quare quouſque ex aliis Indicis monumentis nihil certius proferatur, epocha regis *Sálivagana*, qui mortuus eſt anno Chriſti 78., & a cuius morte Indi ipſi (1) epocham ſuam hiſtoricam & aſtronomicam deſumunt, iis, qui Indicas res perſcrutantur, ſequenda eſt. Nummi Graeci, Parthici, Bactriani, Perſici, Arabici & Indici recentiores, qui regum effigie aut aliqua epigraphe diſtinguuntur, ad hiſtoriam Indi-

(1) De epocha aſtronomica Indico-hiſtorica haec habet R. P. Conſtantius Ioſephus Beſchius linguae Tamulicae peritiſſimus vir in grammatica Latino Tamulica Trangambariae typis miſſionis Danicae edita anno 1738. cap. 5. *Alium quoque modum annos numerandi sequuntur Indici astronomi. Epocham sumunt ab anno mortis cuiusdam regis, nomine Sàlivaganan, qui mortuus est anno Christi 78., qui erat duodecimus saeculi Indici . . . Iuxta huiusmodi calculum fiunt hic observationes astronomicae. Hanc epocham vocant Sàlivàgana Sagàptam, a nomine scilicet illius regis, & a* Sagam, *nomen illius regni & tandem ab* aptam, *quod est Grandonice annus, quasi dicerent, annus a quo regnavit Sàlivaganen.* D. Wilford in animadverſionibus in civitatem *Tagara* Indicam in libro *Asiatick researches pag* 373. regem hunc ex doctrina Indorum ſeptemtrionalium *Salbahan* vocat, atque in civitate *Pattan* circa medium primi ſaeculi reſediſſe oſtendit. Eiuſdem regis & aerae Indicae meminit Niebuhr *tom.* 2. *pag.* 26. Sonnerat *tom.* 2 *pag.* 192. & 193. *edit. in* 8., denique codex manuſcr. R. P. Norberti, & R. P. Ildephonſi a Praeſentatione, ita ut de aera regis *Salbahan* vel *Sàlivagana* inter Indos nullus ſuperſit dubitandi locus, cum Indi meridionales & ſeptemtrionales de hac unanimiter conveniant. Haec de aera hiſtorica Indica ex doctrina ipſorum Indorum, at ex Strabone, Plinio, Arriano, aliiſque ſcriptoribus Graecis & Indicis evidenter demonſtrari poteſt, regum Indicorum aliquam ſeriem veram iam ante Alexandri M. tempora, & multo magis poſtea exſtitiſſe, unde etiam Bayer in hiſtoria regni Bactriani Meandrum regem Indiae & Bactrianae ad anuum 195. ante Chriſtum natum collocat, & initia regum Scytharum ad annum 644. ante Chriſtum natum conſtituit *pag.* 302. *Chronologiae Scythicae.*

Indicam illuſtrandam mirifice conferre poſſunt, & hi praeſertim in ſeptemtrionalibus Indiae plagis hodiedum inquirendi ſunt, quia Indici mercatores & principes numorum tenaces ſunt, & praecipua inter Parthos, Graecos, Perſas & Indos bella ad fluvium Indum, ad oppidum Barygaza, Agra, Dely, ac ad fluvium Gangem geſta fuerunt. Anglorum ergo, qui magna agrorum parte, & rerum ibidem potiuntur, haec ſolertius inquirendi munus eſt, & Indicas res illuſtrandi, quas tamen numquam illuſtrabunt, niſi diligentius linguae Samſcrdamicae ſtudio incumbant. De nummis coloniarum recentioribus, ac praeſertim de Luſitanis, qui Goae hodiedum nummis Indicis permixti circumferuntur, vide ad annum 1579. Caſpari Balby navigationis *part.7. cap.24. p.82.*, et Sonnerat *tom.1. pag.256. & ſeq.* De annulo regis Ceylan, in quo Iani ſeu Indici dei Ganésha effigies exhibetur, videſis *tab.II. eiuſdem part.7. navigat. Balby*, qui annulus cum eo, quo utitur hodie rex Travancoridis ad obſignandas epiſtolas, in medio lotum florem cum inſcriptione deo Vishnu conſecrata in haec verba: ശ്രീപത്മനാഭൻ *Shripatmanábhen* exhibente, iam ſatis indicat, Indicos reges etiam in ſigillis ſuis non ſuas effigies, non aeram, aut epocham ſuſcepti regiminis, ſed deorum ſimulacra & ſymbola praeſeferre, ac proinde cultum quidem & religionem gentis, ſed non ſeriem regum ex iis inquiri poſſe (1).

(1) De regibus medii aevi confer libellum inſcriptum: *De imperio magni Mogolis ſive India vera commentarius*, *Lugduni Batavorum* 1631. pag.141 *de moneta*, *& numerandi modo*, pag.157. *de Indiae regibus*, pag.162. *genealogia & series regum Indiae e Perſicis Petri Texeirae*, pag.166. *ex narratione Indorum*.

Digitized by Google

MUSEI BORGIANI VELITRIS

TAB. XXXI.

Duodecim nummos Indicos veros, quorum cauſſa nec anceps eſt, nec errandi periculo ſubiecta, in muſeo Borgiano Velitris exſtantes, in hac tabula exhibemus.

Primus *num.* 1. *fig.* 1. *in tab.* eſt nummus argenteus rarus & inſignis, qui ex regno Nepalenſi Indico in muſeum Borgianum illatus fuit. Is ſphaericus eſt, ex una tamen parte paullulum in ovalem figuram declinans. Concavus interne, convexus externe, unum fere digitum denſus, dimidii globuli ex una parte teretem formam exhibet. Ex ea parte qua concavus eſt, non ſolum per ſuam peripheriam, ſed etiam per lineas ſpirales, ipſamque centri conformationem luculentis indiciis oſtendit, nummum illum Bhaváni deae conſecratum eſſe, utpote qui eius partem pudendam ſeu ipſum yoni femineum repraeſentat. Lingam & yoni non ſolum apud Tibetanos, ſed etiam apud Indos venerationis obiecta eſſe ex eo, quod omnis generationis principia, ſeu virtutis generativae ſolis & lunae emblemata ſint, nos ſupra *pag.* 31. 32. 33. docuimus. Confer Clementis Alex. cohort. ad gentes num. 5. & 6. pag. 19. edit. Venet: *Quae porro & cuiuſmodi ſunt myſticae illae ciſtae? . . . Nonne haec omnia ſeſamae, pyramides, glomi, placentae variis ſignatae umbilicis, grana ſalis & draco Dionyſii Baſſari ſacramentum? . . . Quid Themidis nonne recondita ſymbola iſta ſunt? Origanum, lychnus, gladius, pecten muliebris, quod honeſtum ac myſticum eſt mulieris pudendi nomen*. Et infra: *Puſionem a Titanibus diſcerptum, eiulantem mulierculam, parteſque corporis, quas pudor nominare non ſinit, impudentiſſime venerantur*. Supra dixerat: *Duo iſti* (Cabiri) *fratricidae, ciſtam illam ſecum auferentes, in qua Bacchi pudendum incluſum erat, in Tuſciam detulere, mercis egregiae mercatores, ubi cum exſules agerent, luculenta admodum pietatis doctrina Etruſcorum animos informarunt, dum ciſtam iis ac veretrum nova religione colenda tradiderunt*. De Sebaſio, Sebeſio, id eſt Shiba, vel Shiva deo, ſeu Baccho, vide

ea quae

ea quae nos tradidimus in grammati ca Samſcrdamica *pag.*28.29. 30. *&* 31., atque ex ibi dictis, & ex hoc Clementis Alex. loco iam aperte colligitur, lingamicum cultum non ſolum apud Indos & Graecos obtinuiſſe, ſed hunc ipſum ex India in Graeciam & Latium perlatum fuiſſe ex eo, quod Arnobius eum primo a Baccho in ſua Indica expeditione inſtitutum fuiſſe aſſerit (1), & Macrobius Sebaſii templum in Scythia & Thracia conſtituit, quas regiones cum vera India a veteribus confuſas fuiſſe, extra dubium eſt. Vide ſupra diſſertationem *de Shriráma*, & *an religio Indica a Scythis deſcendat*.

Secundus muſei Borgiani nummus aureus (*fig.* 2.) vulgo *golmor* dictus, & cuius uſus hodiedum in regno Bengala obtinet, ſphaericus eſt, atque ipſam lotum ſeu nymphaeam foliis explicatis toto ſuo typo repraeſentat. In loti centro ſeu calice exſtat triangulus omnis generationis principium, & trinae ſolaris virtutis emblema. In medio trianguli punctum prominet omnis virtutis centrum, ex quo deus Brahma, Vishnu, Shiva exierunt, qui ideo ſemper loto inſidentes, ac tamquam ex loto prodeuntes finguntur. Triangulus ipſe, ut ſupra iam indicavimus, etiam Bhaváni deae, id eſt lunae, ſeu etiam naturae, potentiae nempe & virtutis generatricis, quam ശക്തി Shakti & Bhavàni, id eſt virtutem, et vim generatricem vocant, muliebrem partem ſeu matricem repraeſentare poteſt, unde etiam triangulus hic in loto exſiſtere fingitur, quia & lotus ex calore & humore generantis naturae ſymbolum eſt. Lotos enim in aqua naſcitur, aquae ſeu humoris, & ſolis ſeu caloris proles eſt. Porro hunc nummum non Scythicum, non Tibetanum, non denique alterius alicuius gentis, ſed verum, atque originalem Indicum nummum eſſe, non tantum ipſa haec ſymbola Indica, ſed, quod Scythicarum rerum fautoribus ora occludere debet, inſcriptio illa, quae in ipſo numi centro ad ambitum trianguli exſtat, apertiſſimae & planiſſime indicat, probat, et convincit. Haec enim epigraphe exarata eſt litteris Nagaricis ſeu Vanarenſibus in hac forma श्री, & extra centrum in ipſis loti foliis श

&

(1) Confer de myſterio Lingam & yoni Iamblichi Chalcidenſis. *pag.*21. *edit. Oxonii* 1678.

& क, id eſt *Srì*, *Sa*, *Ka*, quae litterae quia ſolitariae ſunt, ſeu initiales, quae integras voces non exprimunt, conie&turae, non autem certitudini locum dant, primam illam श्री *Sri*, quae in centro tribus vicibus recurrit, deae Laekshmi opulentiae & nummorum praeſidi conſecratam eſſe. Hanc Samſcrdamici ab omni corruptione immunem ita ſcribunt: ശ്രീ Shri, quae uno licet ductu expreſſa, verum vocabulum & epithetum eſt deae Laekshmi, quod vide ſupra *pag.*94. & 98. Verum gentilitia lingua Nagarica vel Vanarenſis litterae ശ്ര Shr, ſupponit स्र Sr, unde loco ശ്രീ Shrí, ſcribit, स्री Sri, atque hoc modo epigraphe illa centralis in nummo illo eſt expreſſa. ശ്ര Shri Bacchi nomen eſt, atque *felicem*, *beatum*, *opulentum*, ac *celebrem* ſignificat, ശ്രീ Shrí cum ultima i producta, deae Laekshmi ſeu iunioris Bacchi uxoris nomen eſt, atque *felicem*, *beatam*, *divitem*, & *celebrem* denotat. Ex hac igitur epigraphe ſequitur, nummum illum Baccho & uxori eius ſacrum eſſe. Quia vero loto & triangulo inſignitus eſt, inferendum eſſe videtur, eum ſenioris Bacchi, id eſt nocturni ſolis, generatoris & ſatoris emblema continere, ac proinde ſoli diurno & nocturno, terrae ac lunae ſeu deae Laekshmi & Bhavani, quae duae ſunt Bacchi uxores fictitiae, ſimul conſecratum eſſe. Nummus ille valet quatuor ſcuta Romana, & quia ex obrizo conſtat, ſummi pretii eſt (1).

Tertius nummus aureus (*fig.* 3.) muſei Borgiani eſt ipſa quarta pars unius *golmor* ſeu duo ſcuta Romana. Huius uſus obtinet in Bengala, in regno Nepal, in Vanáres, ſed cumprimis in urbe Pattan, quod vocabulum corruptum eſt eſt a പട്ന patna, vel പട്ടണ pattana, quod regalem urbem, ſeu illam in qua rex reſidet, ſignificat. Eadem ipſa urbs, ശ്രീനഗര Shri-

(1) Quatuor tantum ſcuta Romana valet, quia dimidius golmor eſt.

Shrinagari ſeu *Bacchi urbs*, vel *opulenta & celebris civitas* antiquitus vocabatur. Quae duo epitheta iam ſatis indicant, urbem Pattan, de qua Arrianus, antiquitus regum aulam & regni caput fuiſſe, id quod recte docet D. Wilford *pag 373. in libro Aſiatick reſearches*, dum regem Salbahan ſeu Sálivagana circa medium ſaeculi primi ex urbe Tagara in urbem Pattana ſedem ſuam tranſtuliſſe aſſerit. In hac ergo urbe, ubi mercatorum commeatus confluebant, ut inde Indicas merces Barygazam ſeu in oppidum Baroche transferrent, & ibidem navibus imponerent, primos Indicos nummos aureos cuſos fuiſſe, ipſa ratio ſuadet. Nummi aurei Borgiani, quorum quinque eiuſdem typi ſunt, ex utraque parte lotum florem foliis explicatis exhibent, & in centro ex una parte ſacrum conum punctulis amictum, qui radiorum formam ſupplent. Ex alia parte fulmen triceps, aut etiam tridentem in loti calice repraeſentant, utrumque enim Shivae ſeu Mahadévae vel Bacchi nocturni & ſenioris attributum eſt, & conus quidem, quia lingam ſeu phallum repraeſentat, tridens vero & fulmen inſtrumenta ſunt Bacchi deſtructoris, quae is manu geſtat, unde etiam ശൂലി Shùli *ſeu tridente inſtructus*, ഭീമഃ ſeu *terribilis* വൃഷധ്വജഃ Vrshadvagia *ſeu pluviam, fulmen & tonitru producens*, denique ഭവഃ Bhava *ſeu exſiſtere faciens* in vocabulario Amaraſinha ſcribitur, quae epitheta omnia unice ad ſolem referri, hebes ſit, qui non videat. Confer huius opuſculi *pag*.86.87.88.89. Hi iidem nummi litteris Nagaricis Indicis inſcripti ſunt, atque eadem epigraphe eiuſque ſignificatione gaudent, quam ſupra ad nummum ſecundum attulimus. D. d'Hancarville, cui cum hodierno philoſophorum grege in Scythia inter tigrides & urſos vagari placet, omnes hos nummos cono & tridente, aut fulmine vel fulgure inſtructos ex Scythia derivat, atque ex iis apud Graecos artium originem, indolem, & progreſſum inquirit. Vide apud eum *p.1. tab.1. nummorum* conum, fulmen, & ſolem exhibentium, & *pag.36.* triangulum, lunam & ſtellas repraeſentantium, denique tabulas ad calcem operis adiectas, quarum explicatio quantum valeat, ex ſomniis D. d'Hancarville iam

le iam ſupra allatis, atque ex hac ipſa horum nummorum Indicorum in muſeo Borgiano Velitris exſtantium illuſtratione iam ſatis ſuperque patet.

Nummi aurei വിരാകൻ viráguen, vulgo *pagode* dicti, *figura 4. & 5.*, qui eiuſdem typi ſunt, collocati, probabilius dei Vishnu & deae Laekshmi informia ſimulacra praeſeferunt, neque aliqua epigraphe gaudent. Sphaerici ſunt & denſi, monetaque communis quae hodiedum in Indiis circumfertur. De ea vide Sonnerat *pag.*256. *tòm.*1. & Spilbergii navigationis *part.*7.

Nummus aureus *num.6.* pariter *viráguen* dictus, ſphaericus & denſus, ex una parte deum Shiva, deam Kali, & Párvadi ſatis informem praeſefert, cuius ſymbolum ex adverſa nummi parte exſtat luna bicornis, nummi hi ordinarie octodecim iulios Romanos valent, & civitati *Mangalor* adſcribuntur.

Nummus aureus *fig.*7. viráguen, vulgo *pagode* dictus, ex una parte deam Bhagavadi, quae eadem eſt cum Párvadi, & ex alia, quae convexa eſt, ſtellam exhibet, quae quidem duo emblemata ſolis & lunae ſymbola ſunt. Nmumus hic urbi Madraſt in ora Coromandelica, ſeu potius ipſi principi & domino municipii Arcate primo attribuitur, nullam tamen nec hic, nec praecedens epigraphem praeſefert.

Nummus aereus *fig.*8. ex una parte ſatis manifeſte deam Laekshmi repraeſentat, ex alia vero elephantem affabre excuſum. Antiquo Indico iure ſoli reges & templa gentilica elephantes poſſidere poſſunt, & quia haec eadem templa maxima praedia ex ipſa gentis civili inſtitutione adſcripta habent, nonnulla ex iis aereos nummos iure proprietatis & dominii cudere poterant. Hic igitur nummus Indicus templi alicuius gentilici nummus diſtinctivus eſſe videtur. Sed hae coniecturae ſunt, quae in ſola rerum praxi aliquod fundamentum habent;, nummus enim epigraghe caret, ex qua certo aliquid inferri poſſit.

Nummus argenteus *fig.*9. eſt ſphaericus ut alii, ex argento Nepalenſi conſtans, & ut mihi videtur characteribus Nagaricis vulgaribus ſeu gentilitiis inſignitus, quorum uſus eſt in regnis ſeu provinciis regum Catmandu, Pattan & Badagao, de qui-

Digitized by Google

quibus confer R. P. Conſtantini ab Aſculo *notizie laconiche pag.* 141. *& ſeq.* Nummus hic quarta pars rupiae Nepalenſis eſt, ſeu quadrans floreni, quem quinque iulii Romani conſtituunt. രൂപ്യ rupya vocabulum Samſcrdamicum proprie *argentum* ſignificat. Vide vocabularium Amaraſinha ſub voce വെള്ളി *velly*. Hoc itaque nomen genericum improprie ad ſignificandos nummos argenteos Indicos, quos nunc *rupias* vocant, translatum fuit; *rupia* ergo corruptio eſt ab alienigenis invecta ad nummos argenteos deſignandos: nam ſi puritatem Indici idiomatis & ipſam vocis originem inſpicias, Indi nullum habent vocabulum quo rupiam ſeu nummum argenteum, cuius uſus nunc obtinet, compellare poſſint. Ex quo ſane arguo, verum id eſſe, quod ſupra docuimus, nempe nummorum argenteorum uſum Indos olim ignoraſſe, & rupiarum uſum tardius, fortaſſis ſub Tartaris invaluiſſe, nam & Perſicis litteris pleraeque inſignitae ſunt, & ſymbolis Indicis omnino carent.

Nummi argentei duo *fig.* 11. orae Coromandelidis, vulgo *panam* vel corrupte *fanon* dicti, ex una parte deam Laekshmi exhibent, quae ambabus manibus lotum florem geſtat. Ex adverſa parte lunam duplicem bicornem exhibere videntur. Nummus aureus *kalien* dictus *fig.* 11. in regno Travancoridis hodiedum obtinet. Sed poſtquam reges Travancorenſes argenteos nummulos ചക്രം *ciacram* dictos pro maiori populi commodo & negotiatorum uſu excudi curarunt, nummuli aurei kalien dicti uſus exſolevit. Viginti quinque ciacram unam conſtituunt rupiam, & quinque kalien pariter unam, ex quo fit, ut nunc in regno Travancoridis rationes & computi per modum quidem & formam nummorum kalien inſtituantur, reapſe autem quinque ciacram loco unius kalien perſolvantur. Nummulus iſte kalien multis punctis refertus eſt, & ni fallor ex una parte glirem dei Ganésha vehiculum exhibet.

Nummus ſtanneus *fig.* 12. ſphaericus & cervo volante aut alio chimerico animali inſignitus obtinet in ſola civitate Tavài in regno Ava. Circa hunc nummum obſervanda ſunt ea, quae per-

ſcripſit ille idem Miſſionarius, qui eum Romam miſit. Is ita diſſerit: *Moneta di ſtagno che nella ſola città di Tavài del regno di Ava ſerve alle picciole ſpeſe del mercato ſecondo l' antico uſo di quella città, allorchè formava uno ſtato a parte. Chiamaſi in Barmano, ſiccome ogni medaglia* danga. *Ci ſi vede impreſſa da un lato una di quelle figure chimeriche dette Tò in Barmano, che ſoglion avere i peſi di tutto il regno d' Ava, queſta rappreſenta un cervo volante.*

Dall' altra parte ſi leggon tre parole Páli in caratteri d' iſcrizione, ma riuſcite con ordine inverſo, perchè ſcritte nel modello dirittamente. Le tre parole ſembrano queſte: nagará mahá ſakha, mercatus magnum adminiculum, *ma io non oſo farne per ſicura nè tutta la lezione, nè tutta l' interpretazione.*

നഗരം nagara & നഗരി nagari in ſacra litterali lingua Samſcrdamica ſignificat *urbem*, *civitatem*. നഗരിവാസി nagarivâſi *civem*, vel *incolam civitatis*. Vide vocabularium Amaraſinha *ſect.* പുരവർഗ്ഗം *puravarggam* & dictionarium R. P. Hanxleden ſub voce *nagari*.

മഹാ mahá Samſcrdamice ſignificat *magnum*, മഹത്വം mahatvam *magnitudo*, മഹാത്മ്യം mahátmyam *magnitudo animi*, *magnanimitas*. മഹോദരം mahòdaram *hydrops*, *venter magnus*.

സഹായം ſaháyam, *auxilium*, *adminiculum*, സഹായി ſaháya vel ſaháyi *auxiliator*, ſaháyikunu *auxiliari*. ശക്തി shakti *virtus*, *potentia*, ശക്തിമാൻ shaktimán *vir potens*, *fortis*, *virtute & fortitudine praeditus*.

Stante itaque inſcriptionis illius characterum veritate ſenſus inſcriptionis eſt: *civitatis magnum adminiculum*, *vel civitatis magna potentia*.

ടംക danga ſignificat *malleum*, *terebrum* vel *inſtrumentum* quo

quo nota, typus, effigies, figura, aut ſignum aliquod in metallum, menſuram, aut pondus imprimitur, unde dimanat ടംകകാശ dangakásha *nummus percuſſus*, *ſigno aut typo aliquo inſignitus*.

Nummus itaque ille regni Ava vocabulo generico vocatur *danga*, id eſt *nummus percuſſus*, *nummus typo inſignitus*. Ille idem *civitatis magnum adminiculum* vel *urbis magna potentia* inſcribitur (1). En ergo certum & evidens argumentum linguae litteralis Samſcrdamicae uſum in regno Ava obtinere; en certa Indicia linguam *Pàli* vel *Bàli* nihil niſi Samſcrdamicae ſacrae Indicae dialectum & corruptionem eſſe. Hoc nos in grammatica Samſcrdamica docuimus pag. 8., hoc idem docet D. Chambers in libro *Aſiatick reſearches pag.* 158. 159. *& ſeq.* Hoc ex nummis Borgianis elicuiſſe & ſtabiliviſſe ſufficiat, atque irrefragabile argumentum & monumentum ſit pro omnibus illis, qui gentium Indicarum monumenta & ſymbola ſcrutantur, ac ex iis hiſtoricae certitudinis aliquid deducere volunt.

ശൂദ്ര

SHUDRA

TAB. XXXII.

Quarta nobilis Indica tribus eſt ipſa artificum, ſeu opificum claſſis, quae ad regni ſuſtentacula non minus ac aliae tres accenſetur, atque ideo nobilitatis honore in ipſa ſua inſtitutione donata fuit. Aurifices, metallorum fuſores, fabri ferrarii & lignarii, floreorum ſertorum textores, pictores, medici, ſartores, vates, incantatores, auſpices, ſindonum textores, aliique non pauci opifices huic claſſi ſunt adſcripti. Infamis & ignobilis eſt illa, quam പറയൻ pareya, & പെലയൻ peleya vocant; nam prima illa claſſis cadavera animalium curat, quae ſive in puteum illapſa perierunt, ſive naturali morte vivere deſie-

(1) Eiuſdem typi duo alii Avenſes exſtant nummi in Muſeo Borgiano, & codex corticeus exaratus lingua Bàli.

runt. Vaccas ipſi excoriant, quaſcumque pelles deglubiunt, carnes edunt. Hi itaque ob hoc ipſum officium in libro Amaraſinha ചണ്ഡാലഃ ciandála & നിഷാദഃ nisha, id eſt *inſimi & abominabiles* vocantur. Horum ſortem more ſuo valde deflet D. de PaW. Sed an in patria ipſius excoriatores, et foricarii meliori conditione & fortuna gaudent? Ita pariter Peleyas quos ipſe inepte *Poulicbys* vocat, Aegyptiacam coloniam eſſe putat. Sed quaenam huius commenti ratio eſſe poteſt? Mancipia ſunt, ſeu claſſis infima hominum, quae ab antiquiſſimis temporibus lege & conſuetudine formata fuit ex iis, qui ob crimen aliquod contra tribum aut legem Indicam patratum, ex tribu ſua & dignitate exciderunt, ac in mancipia tranſierunt. Hi cum ſpeciem ſuam cum feminis ex nobili tribu eodem modo ob crimina delapſis propagarent, claſſem hanc infimam conſtituerunt, quae ad haec uſque tempora durat, & ſemper perdurabit, quouſque antiquum ſyſtema Indicum legale in India obtinebit. Quare hodiedum dicitur പെലയാടുന്നു peleyádunu, id eſt *a tribu excidere*, *contaminari*, *infamiam incurrere* ſive cum muliere ex aliena tribu peccando, ſive alio inhoneſto ac turpi modo tribum ſuam amittendo.

Opifices omnes ſuos tribunos habent, quos കുലശ്രേഷ്ഠഃ kulashréshda vocant. Artes, ſive liberales, ſive illiberales ſint, communi vocabulo ശില്പിശാസ്ത്രം *sbilpisháſtram* inſigniuntur. Earum profeſſores ordinis & publicae tranquillitatis tenendae cauſſa in varias claſſes diſtinguuntur, & omnes ſuis tribunis ſubſunt. Hi iudices ordinarii ſunt ſuae tribus, atque cauſſae omnes, quae quoquo modo tribum attingunt, ad tribunum referuntur, in congreſſu ſeniorum examini ſubiiciuntur, ex veteri more & conſuetudine dirimuntur, et dum cauſſa anceps eſt, per pluralitatem votorum abſolvuntur. Igitur tribuni officium eſt, ſimultates et odia in familiis pullulantia extinguere, naſcentes motus ſupprimere, iura tribus ſuae tueri, de bonis, quae in litem delapſa ſunt, ſententiam ferre, pauperes ſuae tribus puellas ex com-

communitatis peculio in matrimonium collocare, de ineundo matrimonio nuntium ſuſcipere, ſi coniuges convivere nequeant, aut ob unius partis ſcelus ſeparari poſtulent, matrimonium dirimere, delinquentes corrigere, aut ſi reſipicere nolint, regem admonere, ut auctoritate publica e tribu expellantur, atque aut in ipſa patria, aut alienigenis pretio, quod ad regem refluit, venumeant, et in mancipiorum numerum adſcribantur. Haec iura tribunorum hodiedum in Malabaria obtinent, quamquam audacius infringi ceperunt, poſtquam in veterem patritiorum militum locum, ſtipendiarii, atque etiam alienigenae lecti et conſcripti fuerant; quandoquidem hi regum auctoritatem acrius tueri, et miniſtri ſaepe non audita tribuni ſententia arbitrario iudicio privatos circumvenire, praecocius praemio afficere, aut ardentius caſtigare inceperunt (1).

Caelandi, ſculpendi, et fuſilium artem a remotiſſimis temporibus apud Indos ſemper exſtitiſſe, luculenter indicant antiquiſſima illa templa de quibus diſſeruimus (2). Quamvis vero in delineando humano corpore, ac cumprimis in maioribus ſtatuis fingendis, nec Graeca adſit vivacitas, nec Romana correctio, in minoribus tamen figuris pingendis, bellis repraeſentandis, in curribus triumphalibus, ac templorum frontibus exornan-

(1) Conſule de his librum inſcriptum: *Stato civile, politico, e commerciante del regno di Bengala, tom.2. cap.3.4.5. item tom.1. cap.1.2.3.4.*

(2) Templum Elephantae, cuius aliqua monumenta nos ſupra paucis attigimus, ab Alexandro Magno exſtructum fuiſſe, referunt recentiores nuntii in navigationibus Spilbergii & Balbi *part.7. cap.20.pag.78.* Verum quomodo id fieri potuerit haud facile intelligo. Antiquum illius inſulae nomen Indicum eſt *Kalpuri*, id eſt *civitas rupium* vel *urbs lapidea*. Vide Anquetil du Perron. Hoc nomen Niebuhr corrupte ſcribit *Galipouri* ex Anquetilio. Vide *tom* 2. *pag* 42. Qui ergo fieri potuit, ut Alexander tam brevi tempore, quo in Indiis verſatus eſt, urbem illam excitare potuerit, bellicis praeſertim curis totus diſtentus? Deinde cur nullum ibi exſtat Graecum numen? Cur nullum Alexandri M. ſimulacrum? Cur deaſtri illi omnes nudi, & more Brahmanico, cum ſymbolis religionis Indicae exhibentur? Quis exſtruxit templum Illoura, Salcette, Rámishvaram ad inſulam Ceylan ſitum; quandoquidem Arrianus, aliique Graeci ſcriptores apertiſſime negant Alexandrum M. auſtralem Indiae partem attigiſſe? Templum ergo illud Alexandri M. aetate antiquius eſt, & unum ex primis Indicis delubris. Sed neque poſtea illud a Graecis conſtructum fuit, ſubacta enim a Romanis Aegypto, Graecis commercium Indicum prohibitum fuit, quin & ipſi reges Indici eos a littoribus ſuis & emporiis arcebant. De quo vide in libro *Asiatick researches pag.373.*

nandis, mira Indorum elucet dexteritas, pulchra et grata ſimplicitas, ac denique elegans varietas, quae certe in antiquis Aegyptiis monumentis numquam viſa fuit. Si in maioribus ſtatuis ſculpendis ars, et correctio deeſt, id certe non ex gentis indole aut mentis imbecillitate naſcitur, ſed quia ſtatuae, idola, ſimulacra & ſymbola, ita arcanae philoſophiae regulis alligata ſunt, ut nonniſi ex ſententia, et philoſophorum placitis, ſectae opinionibus, ac recondito ſacerdotum myſterio, fingi, ſculpique poſſint, quibus ſufficit, ut dei notionem et philoſophiae reconditum myſterium exprimant, excluſa etiam membrorum proportione, aut penicilli correctione, qui illis regulis myſticis ſubiicitur. Sic e. g. nihil incorrectius ſtatua aut ſimulacro deae Lackshmi, quae plerumque detortis, inverſis, et foede divaricatis pedibus ſedens exhibetur. Hoc tamen nequaquam fit abſque myſterio; nam Laekshmi tellus eſt, quae parit, pariendo alit, et animat, ex quo fit, ut velut magna mater pariendo exhibeatur. Certe cum ego ipſe nonnulla ſimulacra, ut ea in Europam perferrem, per gentilem virum ex aere fundi curaſſem, et formam incorrectionis eorumdem arguiſſem, artifex reſpondit: *Se a praeſcripta forma recedere non poſſe, ne legis & conſuetudinis temerarius contemptor eſſe videatur, ne coram ſacerdote erroris redarguatur, ne denique apud ipſum ſuae tribus tribunum nigro calculo notetur*. Quare omnibus pictoribus, fuſoribus et ſculptoribus lege cautum eſt, ne ſimulacra vendant, priuſquam ea ſacerdotis examini ſubiiciant, ut ab eo approbentur, luſtrali aqua conſecrentur, atque in idolorum numerum referantur. D. de Paw, dum ſtudiis philoſophicis obſequitur, atque gentium hiſtoriae lumen affundere adlaborat, ipſemet ad ineptias pene aniles deflectit. Quis neſcit artes apud Indos minus profeciſſe, quam profecerint in Europa? Sed an hoc adeo magnum ſcelus eſt, ut ipſe putat? An omnis hic defectus in Indorum indolem reiiciendus erit? An non potius inde exoritur, quod Indi novitates excludant, vetuſtis opinionibus illigati ſint, religioni ſuae libenter addicti vivant, aliena non appetant, nova vitent, ſtrictis legibus vinciantur, minoribus quam nos neceſſitatibus exerceantur? Mira caeli clementia, aer ſalubris, ſoli fertilitas, oryzae ubertas,

tas, vitae facilitas et ſobrietas, indumentorum nulla fere neceſſitas, clima ob aeſtum ſolis meditationi incommodum, corporis imbecillitas, patriae conſuetudinis ſumma tenacitas, in apathiam et inertiam proclivitas, mulieribus exigua placendi cura, ipſarum in publica officia nullus aut levis influxus, nullum femineum in viros dominium, ambitio minor, luxus levis, peregrinarum mercium nullus fere uſus, aut neceſſitas, verae, genuinae, et intrinſecae cauſſae ſunt exigui inter Indos artium progreſſus. D. de Paw partitionem gentis in claſſes, regum violenta imperia, artibus nulla praemia, integras denique opificum turmas regum famulitio addictas, quae liberam non habeant artem ſuam exercendi facultatem, incuſat, et ex his defectum artium arguit. Sed an in Europa artificum induſtriae ſemper regum praemia reſpondent? an in civitatibus praeſertim maritimis integrae opificum turmae regum famulitio non ſunt addictae et quae libera carent pro aliis laborandi facultate? An in Europa multis opificibus ſtatum commutare, et induſtria ac virtute ſua ex claſſe, cui adſcripti ſunt, emergere, ac honoribus cumulari licuit? Clima ergo frigidum, quod nervos conſtringit, & ad laborem incitat, neceſſitas, quae cogit, luxus ingens, qui promovet, ambitio et cupiditas, quae volat, intemperantia, quae numquam ſaturatur, mulierum vis et ambitio, quae numquam quieſcit (1), luxuries, quae omnia profundit, nova videndi et periclitandi pruritus, caeli temperies ipſa meditationi opportuna, novitatis enthuſiaſmus, augendae nominis gloriae cupiditas, benevolentia regum, quae in aliquibus regnis artium cultui praemia conſtituit, in Europa artes excitat, auget, ſuſtinet, et conſervat. D. de Paw climata terrarum mutet, indoles gentium reformet, unum, qui in Europa obtinet, vivendi morem omnibus Aſiae regionibus inſerat, atque poſtquam haec omnia ſtabilierit, tunc gentes illas ex aequo comparare, inter ſe conferre, bilance examinare, alias deprimere, alias extollere, has albo, illas nigro poterit calculo notare. Sed miſſa faciamus haec omnia.

Indi,

(1) Vide *lettre a Monsieur Sonnerat 1784. par. Mr. Charpentier de Cossigny pag.* 19. 20. Hiſtoire du comerce de deux Indes. *tom.* 1.

Indi, quod iam olim obſervavit Strabo (1), artis medicae non ſunt ignari, ſed quia metempsychoſeos dogmati ſunt addicti, a quacumque ſanguinis effuſione ſummopere abhorrent. Quod quidem dogma, quamquam alioquin falſum, quia tamen miti climati & genti ingenitum, non parum confert ad moralem Indorum characterem formandum. Inde enim promanat mira gentis manſuetudo, mitis indoles, in homines aeque ac animalia humanitas, ne dicam caritas, quae uſque ad ſuperſtitionem eos propellit. Rariſſimae proinde inter eos violentae neces, frequens inter gentiles indigenas, quos ſemper ab alienigenis diſtinguere oportet, in eos, qui malis premuntur, commiſeratio, in criminibus caſtigandis quaedam benignitas. Inde pariter conſuetudo proceſſiſſe videtur, ut venae ſectionem a medica arte excludant, aut nonniſi in extrema neceſſitate adhibeant, ut partum caeſareum ignorent, aut reiiciant, ut clyſtere uti renuant, et quod herbarum ſimplicium uſu, commixtione, et potu curare nequeunt, de illo minuti et anguſti deſperent, aut aniliter et ſuperſtitioſe tollere ſatagant.

Gens enim iſta ut magnorum animi motuum expers eſt, ita quoque inertiae et imbecillitatis corporeae vitia habet. In ſuperſtitionem facilis, malorum patiens, diis ultra modum addicta, eorum oracula vexat, et quamvis in ſe curanda negligentior, dum nec deos ſibi propitios, nec medicinam prodeſſe videt, ſub malis, quibus premitur, placide ſuccumbit, atque Ishvarae ſeu deo Vindici ſe ſe facile commendat. Infirmae gallinae inſtar pleroſque anima et ſenſu deiici vidi, et multos alios ſubacto iam per vim morbi corpore, ſine ullo fere in facie mortis indicio tranquillos, et pacatos obire. Exceptis ſupradictis infirmitatibus, etſi medicae & chirurgicae artis defectu laborent, vix aliqui ſunt morbi, quibus Brahmanes mederi ignorent. Ingens apud eos exſtat medicorum librorum farrago, et pueri ipſi a teneris unguiculis herbas, earumque proprietates dignoſcere norunt, ita ut decennales iuvenculos, ut peritos botanicos ſuſcipere debeas et ad-

(1) *Medicinam plurimum per cibos* (decocta *léham* dicta) *perfici, non autem per medicamenta* (nempe mineralia), *ex medicamentis maxime unctiones probari* (ut hodie) *& cataplasmata, cetera maleſitii non esse expertia.* Strabo lib. 15.

et admirari . Mira in ipſis libris medicis herbarum analyſis, proprietatum deſcriptio longinqui temporis uſu & periclitatione firmata & perfecta. Verum haec, quae ad muſeum Eminentiſſimi Principis non pertinent, & in quibus nos nec ſatis exercitati ſumus, aliis diſcutienda relinquimus, atque ad aliorum ſententias lectorem perlibenter mittimus (1).

Indos iam ab antiquiſſimis temporibus artem graphicam noviſſe auctor eſt Strabo, qui eos epiſtolas ſcripſiſſe narrat *in ſindonibus benefullatis*. Plinius hiſt. nat. lib. 13. cap. 11. ſcribit: *In palmarum foliis primo ſcriptitatum, deinde quarundam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici coepta, aut ceris. Pugillarium enim uſum fuiſſe etiam ante Troiana tempora, invenimus apud Homerum*. Hic ordo etiam apud Indos obtinuiſſe videtur. Sicca palmarum folia, eaque frequentiſſima & prompta, natura ipſa ſuggerente, ad ſcriptionem & artem graphicam Indos invitare debebant. Inde apud Indos graphicae artis antiquitas, & libri ex foliis palmarum confecti, qui dum funiculo per duo foramina ex utraque foliorum compage tranſeunte, duabus tabulis, quae folia palmarum continent, conſtringuntur, ഗ്രന്ഥം grantham vocari ſolent. Ab his ergo libris lingua Samſcrdamica nomen *grantham* improprie obtinuit, cum intus ipſi ſcripturae apices & lingua, qua antiqui libri conſcripti ſunt, Samſcrdamica ſit. Horum codicum, non corticeorum, ut arbitratur Stephanus Fourmont, ſed ex palmarum foliis contextorum, ingens copia exſtat in bibliotheca regia Pariſienſi.

 Pauci

(1) Confer de his librum *Asiatick researches tom.1. pag.408. & 428.* Sonnerat *tom.1. pag.74. chap.5.* De la diviſion des caſtes, *& pag.174. chap.9.* Des arts & metiers des Indiens. Niebuhr *tom.2. pag.17.* Exſtat in bibliotheca regia Pariſienſi inter codices Indicos manuſcriptos *fol.434. num.51.* codex *Adaravavedam* inſcriptus, qui de quarta Indorum lege ſeu de functionibus quartae tribus tractat. Illi ergo qui linguarum Indicarum periti ſunt, hunc codicem conſulere poſſunt. In eadem bibliotheca omnis generis Indici reperiuntur manuſcripti codices de omnibus pene argumentis, quae nos attigimus, tractantes. Vide *catalogum codicum manuscriptorum ex typographia regia Pariſiis anno 1739.*

Digitized by Google

Pauci aſſervantur in ipſo muſeo Borgiano Velitris, nonnulli in bibliotheca S. Congregationis de Propaganda Fide. De his Indicis libris confer grammaticam Samſcrdamicam *pag. 62. & ſeq.*, librum *Aſiatick reſearches* pag. 340. §. 18. *On the literature of the Hindus, from the Samſcrit, communicated by Goverdhan Caul, with a ſhort commentary.*

Libris ex palmarum foliis, praeſertim apud ſeptemtrionales Indos, ubi palma rarior, ſuccedere debuerant libri chartacei, ſeu, ut Strabo ait, *ex ſindonibus benefullatis* contexti. Texendarum ſindonum apud Indos antiquiſſimus eſt uſus, quod patet ex Arriani Periplo. Ex goſſypio proinde, ex quo ſindones conficiebantur, folia pariter rudia parabantur, quorum ſuperficies poſtquam detrita & perpolita fuit, varia arte & modo libri compingebantur. Inſpice in bibliotheca S. Congregationis codices chartaceos Tibetanos, Peguanos, Indicos, Sinenſes, & ipſum diploma magni Lhamae Tibetani in ſerico deſcriptum. Rex Travancoridis, dum ad graves viros ſcribit, more Europaeo charta utitur, epiſtolam complicat, ſigillo ſuo ſignat. Dum ad ſubditos ſcribit, foliis palmarum utitur. En regis epiſtolam anno 1787. ad Epiſcopum & Patres Miſſionarios Verapolitanos ſcriptam, cuius autographum apud me exſtat.

[illegible]

വരാപ്പുഴെ മെത്രാനും പാതിരിമാരും കണ്ടു

[illegible] വായിച്ചു [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

കാൎയ്യം ഉൾപ്പെട്ടിക്ക തിരുവുള്ളക്കേടു തിരിവുണ്ടെങ്കി

യവലിയവകെ എഴുത്തുകണക്ക് പിറചൂട്ടം പെരുമാൾ മാ

ദേവനെഴുത്ത്

ശ്രീ പത്മനാഭൻ

Epiſtola

Verapolitano Epiſcopo Patribuſque videnda.

A vobis miſſam epiſtolam legi, audivi, & negotium percepi. Ibidem nunc ſuccedentium rerum eventum perſcripſiſtis. Non credo legis veſtrae (Chriſtianae) *conſuetudini abſque motivo impedimentum aliquod ponendum fore. Si tale aliquid acciderit, de omnibus vos audiam, negotium dirimam, & abſolvam. Ita ex ſuae Maieſtatis praecepto epiſtolam ſcripſi ego magnus ſecretarius Pira Ciüdum Perumál Mádéven.*

Shripatmanábben

Foris eſt ſcriptum. (regis ſignatura m. p.)

വരാപ്പുഴെ മെത്രാനും പാതിരിമാൎക്കും വരുന്ന തിരു

വെഴുത്ത്

Verapolitano Epiſcopo Patribuſque veniens regis reſcriptum.

Librorum chartaceorum uſui laminarum cuprearum uſus fortaſſis coaevus, quia iura, leges, privilegia, aliaque monumenta graviſſima foliis palmarum & ſindonibus tuto commiti nequibant. Plures tales laminas inſcriptionibus Samſcrdamicis refertas afferunt Calcuttenſes Angli in libro *Aſiatick reſearches pag.* 123. 131. 279. 357. In prima: *A Royal Grant of land, engraved on a Copper plate, bearing date Twenty-three years before Chriſt &c.* conceſſio illa territorialis, quomodocumque aera Indica ſupputetur, certo ante ſaeculum primum conſtituenda eſſe videtur. Ad quod obſervandum, quod etiam animadvertit Niebuhr *tom.* 2. *pag.* 27., Indos ſeptemtrionales, non ſolum aeram Sálivagana, de qua ſupra locuti ſumus, admittere, ſed communiter etiam aera regis

Digitized by Google

വിക്രമാദിത്യ *Vikramàditya* uti. Huius aerae annus 1848., eſt noſter annus 1791. quo ego haec ſcribo. Itaque cum in tabula illa cuprea ab Anglis allata rex ദേവപാല dévapála vel ഗോപാല gopála, quod vocabulum ipſi corrupte *deb paal*, & *gopaal* ſcribunt, verius anno 33. aerae Vikramáditya regis territorium illud conceſſiſſe videatur in ipſo illo inſtrumento, quis neget illud ad ad annum 23. ante C. N. referendum eſſe (1)? In hoc ipſo monumento സുഗത Sugueda, id eſt Budhae ſeu Mercurii, deae Laekshmi, Ràmae, Rávanae, quin et ſectarum philoſophicarum, & tribuum a nobis allatarum ſit mentio. Habent ergo etiam Indi ſua monumenta, & ex his, atque eorum libris iam non dubitanter, ſed certo inferimus, linguae litteralis Samſcrdamicae uſum antiquiſſimum eſſe, ac denique ea, quae ex libro Amaraſinha toto hoc opere docuimus, in ſua firmitate et robore permanere.

Indi in foliis palmarum ſtando, ambulando, ſedendo, quin et iacendo ſine ullo brachiorum fulcro ſtilo ferreo celerrime ſcribunt. Amanuenſium copia ingens, nec minor codicum manuſcri-

(1) Vikramaaditya aliqui patrem Sàlivagana vel Salbahan regis fuiſſe ex traditione Indorum perhibent, ut Niebuhr *tom.2. pag.27.*, ubi is utriuſque nomen corrupte ſcribit: *Shach Liwàn*, & *Radsia Wir Wikrum Mandsy*. D. Wilford in libro *Asiatick researches pag.* 374. varias corruptiones nominis *Sálivagana* affert, & nomen Vikramáditya ipſemet corrupte ſcribit *Bickermaiit*, quem a rege Salbahan praelio ſuperatum fuiſſe refert. D. Wilkins in eodem libro *pag.*129. ſcribit *Beekromaadectyo*. Denique *p.*142. hoc idem nomen *Vicramáditya* ſcribitur, & hoc linguae Samſcrdamicae purae & originali convenit. Vikram vel Vicram *excessus*, áditya *sol*, unde regis verum nomen *excessivus, maximus sol*. Quiſcumque fuerit rex iſte, ad rem ſufficit, in monumentis Indicis ab illius morte aeram Indicam hiſtoricam ſcribi, ita ut aera illa tuto ſtatui poſſit. Atque aera haec fere in omnibus laminis cupreis in India repertis recurrit, ut illas inſpicienti patebit, proinde in perſcrutandis Indicis monumentis unacum altera aera regis *Sálivagana* tenenda eſt. Praeterea alucinatum fuiſſe credo R.P. Conſtantinum ab Aſculo, qui huius regis Vikramáditya aerae principium ſtatuit ad annum 250. poſt Chriſtum natum, contra communem Indorum traditionem, & haec ipſa monumenta, quae ab Anglis afferuntur. Is ſcribit *Bicramadiet*, quod iterum nomen corruptum eſt. Vide *pag.*146. in libello manuſcripto *Notizie laconiche* inter codices bibliothecae S. Congregat. de Propagand. Fide.

Digitized by Google

nuſcriptorum, in quibus tamen legendis et diſcernendis ſumma prudentia opus eſt. De qua re confer grammaticam Samſcrdamicam *pag.62. & ſeq.* Indici ſcribae in foliis palmarum ſcribentis iconem ex muſeo Borgiano hac tabula exhibemus. Haec nunc pro opuſculi ſcopo, qui illuſtrandorum monumentorum in muſeo Borgiano Velitris exſiſtentium erat, inter tantas Indicarum rerum aſperitates et anguſtias temporis, dicta ſufficiant, et in litterariae reipublicae emolumentum, ſi poſſunt, cedant.

SLOGAM (1)

വാഞ്ഛാസജ്ജനസംഗമേപരഗുണേപ്രീതിർഗുരൌന

മ്രതാവിദ്യായാംവ്യസനംസ്വയോഷിതിരതിർല്ലോ

കാപവാദാദ്ഭയംഭക്തിശ്ശൂലിനിശക്തിരാത്മദമനേസം

സർഗ്ഗമുക്തിഖലേയേഷ്വേതേനിവസന്തിനിർമ്മലഗുണാസ്തേ

ഭ്യോനരേഭ്യോനമഃ

Váncia ſagena ſamgamé paragunè prídirguraù namadà vidyáyam abhyáſanam ſva yòshidi radi-r-lòga pávadál bhayam bhakti shakrinni shakti r átma damané ſamſargga mukti kaley yèshvè tèni vaſandi nirmala guná ſtèbhyo narèbhyo namá.

Hone-

(1) Diogenes Laert. *de vitis philos. in prooemio pag.2. edit. Rom.* ait: *Gymnoſophiſtas per aenigmata, & breves ſententias philoſophatos eſſe aiunt: deos colendos, nihil agendum mali, fortitudinem exercendam.* Hic idem philoſophandi modus hodiedum in Indiis obtinet. Breves illae ſententiae *Slogam* dicuntur, & talis eſt haec, quam hic afferimus. Ingens harum ſententiarum copia apud Indos exſtat, & has etiam ipſi pueri a teneris unguiculis ediſcunt, atque ſecundum eas mores ſuos componunt. Nec minor copia apophtegmatum, per quae Indi mores fingunt. Vide in opere inſcripto: *Georgii Pachymeris Michael Palaeologus*, ex bibliotheca Barberina interprete Petro Poſſino Romae 1666. pag 548. *Octo ſalutaria monita & ſpecimen ſapientiae Indorum*, R.P. Vincentii Mariae S. Catharina Senenſi *Viaggio all' Indie lib.3. cap.15.* d' alcuni libri morali de' Brahmani, *& cap.16.* ſentenze morali e civili &c. Sonnerat *tom.1. pag.243. cap.13.* Apologues des Indiens. De modo conſtruendi has ſententias ſeu Slogam vide grammaticam Samſcrdamicam *pag.158. & ſeq.*

Honeſtarum ac gravium perſonarum conſortium ama, alteri ut bene fiat, exopta, & tu ipſe benefacito, praeceptorem & magiſtrum tuum venerare, ſcientiis operam nava, tuae tantum uxori iungitor, peccata mundi fuge & deteſtare, Creatori devotus eſto, animi paſſiones cohibe, malorum conſortium devita. Illi viro, qui haec fecerit, laus ſit & adoratio.

O. A. M. D. G.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM

A

Abdicatio omnium rerum Brahmanicae philoſophiae, antiquae & modernae culmen. *pag*.56.57.58.

Ablutiones corporis in Indiis neceſſariae, ad religionis ritum fuere relatae *pag*. 42. 43. a ſuperſtitione non vacant. *ibidem*. In honorem ſolis & planetarum fiunt. *ibidem*. Per eas a peccatis expiari poſſe Indi credunt. *pag*.42.44.

Abraham. Brahma deum Indicum patriarcham Abraham eſſe exiſtimavit S. Epiphanius, Fourmon, Poſtellus, P. Bouchet aliique. *Vide pag* 44. 78. 92. 183. Scriptores hi refelluntur ex etymologia vocabuli Brahma, ex allegorica eius ſignificatione, ex functionibus huic deo attributis, ex origine ſabaiſmi, ex inſtitutionibus civilis & religioſi cultus Indici. *V. pag* 106. 74.75.76.77.78.79. 28.62. 64.70. 69., & integram diſſertationem inſcriptam: *Ex praemiſſis conſectaria*.

Abraſio capillorum relicta Caprona ſeu Cudumi Brahmanicae initiationis ritus. *pag*.45. Abraſio integra antiae ſeu Capronae philoſophicae & perfectiſſimae initiationis ritus. *pag*.56.

Abſtinentia Brahmanum ab animato, a vino, a venere, allio, cepis, rapis, piſcibus, carne. *pag*.47. 49.52 53.55.

Academiae Brahmanicae hodiernae & antiquae *p* 48.49. Praedia & bona academica a cenſu, exactione, & angariis exempta ſunt. *pag*.230. 231. Alienari nequeunt *pag*. 132. Ab uno curatore ſeu oeconomo adminiſtrantur, *pag*.231.55. In iis ſtudendi modus *pag*.48.52.53.54. 55.231.

Accipiter, aliis aquila, Vishnu dei vehiculum *pag*. 83. Aeris ſymbolum *pag*.196.197.

Advenarum ſacrificium. *pag*.28.29.

Aeris deus Indra vel Dévendra, quomodo exhibeatur, quae eius attributa & officia? *pag*.180.181.

Aghni vel aggni germanico ore prolatum deus ignis. Ignis ipſe *p*.9. Adoratur ab Indis *pag*.9.12. Eius uxor. *pag*.9. *V. Homam*.

Agricolae tertia nobilis Indica hominum claſſis. *pag*. 229. *& ſeq*. Quomodo agros excolat *p*.233. Quae alia illius officia *pag* 229. Quem regi perſolvat cenſum? *pag*.232.

Agricultura poſt ſacerdotium & militarem artem prima nobilis ſcientia. *pag*.229. *& ſeq*.

Amaraſinha liber claſſicus Brahmanicus ſeu Vocabularium ſacrae & litteralis linguae Samſcrdamicae *p*.1. 74.113. Etymologia vocabuli Amaraſinha *pag*.194. libri huius antiquitas. *ibidem*. Nomina deorum quae refert ex corona *rudrákshum* dicta Indi recitant. *pag*.193. 88. Diſquiſitionum in Indicas res in hoc opuſculo contentarum baſis & fundamentum. *V. Cuiusvis diſſertationis caput*.

Amrdam, nectar ſeu ambroſia caeleſtis ſymbolum beatitudinis pro qua dii inter ſe pugnant. *pag*.24. 181.

Angli.

Digitized by Google

Angli. Societatis aliquorum litteratorum virorum Anglorum in regno Bengala, & urbe Calcutta in diſquiſitiones Aſiaticas propenſio & ſtudium *pag*.191.189.168.160. 147.129.118.117. Auctores ſunt libri inſcripti: *Aſiatick reſearches*. *pag*.7. Non ſatis periti ſunt linguae litteralis Samſcrdamicae. *pag*.182. Diligentius huius linguae ſtudio incumbere debent. *pag*.241.

Anima. Animam immortalem credunt Indi. *pag*.17.6.11.19.18. Pro defunctis orant. *pag*.17.19. Retributionem boni & mali credunt & docent *pag*.19.177.178. A peccatis expiari poſſe credunt. *p*.105. 178.6 11.19.35.36.37.41.42. Ex uno corpore in aliud migrare docent quouſque perfecte ſatisfaciat pro culpis in priori generatione commiſſis. *pag*.20.30.58.114.178. 179.184.187.189.

Animalia ſacra apud Indos. *pag*.195. & *ſeq*. Quaenam cuiuſvis animalis colendi ſymbolica ratio. *p*.195 & *ſeq*.

Apis ſeu bos Indis ſacer *p*.197. Quae illius vocabuli etymologia *p*.198. Non ita aniliter & ſuperſtitioſe adoratur ab Indis ut adorabatur ab Aegyptiis *ibidem*. Primus Apis Aegyptius ex India in Aegyptum deductus ex opinione Phylarchi *ibidem*. Apidis feſtum in India. *pag*.197. Apidis ſymbolica ſignificatio. *ibid*.86.87. Shivae dei ſeu ſolis vehiculum eſt. *pag*. 197. 86. 87. Mitrae Perſici vehiculum *p*.12. Apis cur cornu ovum impetat ac perfringat? *pag*.164.165. Apidis ſepultura ſeu exequiae. *pag*.198.

Aqua antiquis numen *pag*.183. mundi principium ex aqua. *pag*.167. 166 81.90. Elementum aquae ab Indis colitur. *pag*.163.167.113. 90.91. Per aquam mundi deſtructionem futuram eſſe credunt Indi. *p*.163.114 Aquae elementum mas & femina apud Indos. *pag* 112. 111.78. Indorum philoſophia & religio circa ignis & aquae elementum verſatur *pag*. 112. 167. 166.113. Aquae luſtrandi, & a peccatis expiandi virtutem ineſſe putant. *pag*. 105. 35 36. 43. 44 56. Aqua mundi victrix in diluvio univerſali, *pag*.79.84.

Aquila vide *accipiter*.

Aries vide *hircus*.

Artes. Ars pingendi & caelandi apud Indos myſticis regulis alligata *pag*.252. Ars graphica apud Indos antiqua. *pag*.251. cauſſae cur apud Indos artes non progrediantur. *pag*.253 Ars medendi apud Indos. *pag*.254.255. Artium nomen genericum in lingua Samſcrdamica. *pag*.250.

Artificum variae claſſes apud Indos. *pag* 249. Omnis artificum claſſis ſuum tribunum habet. *p*.250 251.

Arthanári hermaphroditus ſeu mas & femina eſt deus Shiva apud Indos. *pag*.86. Talis exhibetur in delubro inſulae Elephantae *pag*.86. Huius rei ſignificatio. *pag*.89.107.112.

Aacháryа magiſter qui orandi ſeu liturgiae methodum tradit. *p*.48.49. Diſtinguitur a magiſtro ſeu Guru qui ſententias docet. *ibidem*.

Aſtronomia. Antiqui Brahmanes aſtronomiae periti erant. *pag*. 233. & *ſeq*.134.140.191.192.193.194.150. 173.205.203. Religionem & inſtituta ſua ab aſtronomia deducunt. *pag*.205.70.71.72.73.25.

Aſura. Titanes vel gigantes Indici. *pag*.24. In bonos & malos diſtinguuntur. *ibidem*. Ab aſtronomia ſeu

Digitized by Google

ſeu caeleſti mundo deducuntur. *ibidem*. Gigantes terreſtres & mortales, quinam ſint. *pag*.25. Ubi congregentur. *pag*. 26. Fortaſſis Aſſyrii populi ſunt. *pag*.209.

Athei an dentur inter Brahmanes. *pag*. 220. Vera athei definitio ex libro Amaraſinha. *ibidem*. In quonam hic atheiſmus conſiſtat. *ibid*.

Attributa entis ſupremi & veri Dei Brahmanes praeclare definiunt. *pag*.65.66.

Ava & Pegu regnorum religio Brahmanica *p*.114. 115.116. 117. 118. 59. Budham & Gaudamam planetas colunt. *ibidem*, & *p* 162. Linguae ſacrae Samſcrdamicae uſus antiquiſſimus in regnis Ava & Pegu ſeu lingua Páli vel Báli filia eſt linguae Samſcrdamicae. *pag*.248.249.117.116.115.114.

Auguſtus Rom. Imp. Indicos legatos regis Pandionis excipit. *p*.239.51.

B

Bacchus Indicus idem qui Shiva & Shrirāma. *pag*.87.124.125. 126. 127. 128. 129. 130. 131.132. 133.134. 137.138.139.140.141.142.143.144. Bacchus diurnus & nocturnus. *ibidem*. Bacchus ſol eſt. *ibidem*. Vitae & mortis auctor. *ibidem*. & *pag*. 164. 165. 166.178. 188. 189. Bacchanalia. *ibid*. Bacchae Indicae. *ibid*. Bacchi ſymbolum bos. *ibid*. Vide *Apis*.

Bailly originem cultus & religionis Indicae ex Scythia & Syberia derivat. *pag*.44. Erroris revincitur. *pag*.106.117.108. 109. & *ſeq*. Item *p*.119. & *ſeq*. Item *p* 135. & *ſeq*.

Bellum. Belli apparatus & ordo apud veteres Indos. *p*. 224. 225. Apud modernos. *p*.226.

Bhágavadam codex ſacer Indicus *p*.70. 149.166.

Bhaváni dea eadem quae Párvadi, Káli, Mahéshvari &c. *p*. 98. Shivae dei ſeu Bacchi, id eſt, ſolis uxor. *p*. 99. Eadem luna *ibidem*, & *ſeq*. Genitrix & deſtructrix ſeu duplicis formae dea. *ibidem*. Iſis Indica *p*.103.106. Meru montis habitatrix *p*.129.130 131.133. Mater Herculis Indici. *p*.190. & *ſeq*. Eius feſtum in India. *p*.186. 187. Vacca eius ſymbolum. *p*.199. Matrix ſeu yoni eius ſymbolum, quod Indi & Tibetani venerantur. *p*.33.34. 242., & *ſeq*.

Borgiae Stephani Cardinalis Eminentiſſimi ſingulare ſtudium & diligentia in Indicis codicibus aliiſque monumentis inquirendis, & aſſervandis ad hiſtoriam gentium illuſtrandam. *p*.IV. & V. Item *p*.75.12. 54. 242. & *ſeq*. *p*.256.

Bos Shivae deo ſeu ſoli immolari ſolitus. *p*.13. Shivae dei vehiculum. *p*.90. Vide *Apis*.

Brahma primus deus Indicus *pag*.74. & *ſeq*. Eſt terra procreatrix. *ibid*., & *p*.106.107.68. Primus omnium parens. *p*.73. Eius ſtatua ex Bardeſane. *p*.78.112. Diſtinctus a Baccho. *p*.118.111.112. Brahma dei vehiculum eſt cycnus. *p*.196.76.

Brahmanes prima Indica hominum claſſis. *p* 77.217. & *ſeq* Eorum officia. *p*.221. Sectae *p*.218. & *ſeq*. Inſtituta. *p* 50. & *ſeq*. Initiatio *p* 45. & *ſeq* Duo apoſtatarum genera. *p* 48. Regimen circa diaetéticam. *p*.98.

Brahmacidri primum Brahmanicum inſtitutum & initiatio ad continentiam. *p*.46.47.

Bruchus vel Scarabaeus Indis ſacer. *p*.204.

Budha Indicus deus. *p*.154. Eius epitheta ex libro Amaraſinha. *p*.155. Horum epithetorum uberior explica-

Digitized by Google

plicatio. p.235.236. Budhae nominis variae corruptiones. p.156. 157. Eſt Hermas Graecus & Thout Aegyptius. ibid Eſt planeta Mercurius. 156.158.159. 160. 161.162. 235.236. Budhae nativitas. p.63. 158.160.

C

Calani philoſophi Indici ad Alexandrum M. litterae p.9. Eiuſdem ad Oneſicritum reſponſum. p.201. Eiuſdem mors. p.6.

Calendaria iam ab antiquiſſimis temporibus apud Brahmanes in uſu. p.233.234 235.236

Calor. Caloris in India effectus. p.101.253.254.

Canicula aſtronomicum ſignum Mitrae ſeu ſoli affingitur. p.183.

Capricornus zodiaci ſignum ex quo natus deus Cupido p.186.

Caprona ſeu cudumi nobilitatis & ſacerdotii ſignum. p.45.46.

Carrotarum eſus Brahmanibus interdictus. p.22.

Caſtigare & praemio afficere dei Shivae & yámae munus p.88.139.177. 178.

Catalogus codicum manuſcriptorum biblioth. regiae Pariſ. p.38.61.74. 255.

Ceramperumal rex totius Malabariae eccleſias Chriſtianorum S.Thomae nuncupatorum ab omni cenſu, onere, & exactione eximit. p 230. 231.

Cercopitheci, vide *Simiae*.

Ceylan inſulae ſitus. p.131.135. Rex Vimaladhermasúryada p.1. In ea uſus linguae Samſcrdamicae. ibid. Gemmis & margaritis referta. p.138. Pluto ſeu Rávana rex illius. ibid. Bacchus ſeu Shrirámá contra eum bellum movet. pag.143. Sol ibidem occidere ſeu aquis immergi creditur. ibid. Budha ſeu Mercurius Ceylanenſium deus. p.160. 161.162. Iani cultores ſacerdotes Tiruvamsha dicti cum Samanaeis, Talapoinis, aliiſque Indicis philoſophis ac ſacerdotibus conveniunt. 170. & pag.59. Ciaka ſeu Iacca Ceylanenſium numen, vindex, daemon. p.26. Diverſus eſt a Budha. p.160.161

Chartae uſus apud Indos antiquus. p.255.256.

Ciſtae myſticae Bacchi quid contineant? p.242.

Clementis Alexand. auctoritas adducitur. p.11.48.101.148.153.167.242.

Conſiliarii ſolis ſunt planetae. p.24.25. 71.156.159.182.236.235.

Cultus ſolis & planetarum. pag.1. & ſeq. 205. & ſeq.

Cupido deus ſeu Kámadéva deſcribitur. pag.185. & ſeq.

Cycnus vide *Hamſa*.

D

Dáda vel potius Dháda ſignificat parentem, quod nomen attribuitur Brahmae deo ſeu terrae omnium rerum parenti. p.62.69

Daemonum varia genera apud Indos. p.23. & ſeq. Quomodo pellantur. p.27. Dei Shiva & dei Yáma miniſtri ſunt. p.177.178. & p.188.

Decimae ſeu cenſus ex agris regibus dari ſolitus. p.232.

Dei veri exſiſtentiam Indi credunt & agnoſcunt pag.64.65.66.67. Eumdem invocant. ibid. & 220. Eiuſdem attributa. Vide *attributa*.

Dévaguel, ſeu ſemidii p.182.183. Eorum praeſes deus Indra vel Dévendra. ibid. & ſeq. Duae claſſes deorum maiorum & minorum. ibid. Eorum pugna contra Gigantes. p.24.83.

Devendra vel Indra dei deſcriptio. *p*.180.
Dherma idem qui Herma ſeu Mercurius. V. *Budha*.
Dhermadèva huius vocabuli corruptio & depravatio per D. d' Hancarville. *p*.120.121. Eſt deus Yáma. *ibid.* Non eſt deus Bacchus. *ibid.* vera eius deſcriptio. *p* 177. *& ſeq.*
Diluvii univerſalis traditionem Indi in libris ſuis conſervant.*p*.83.84.216. Ad tempus diluvii epocham argenteae aetatis conſtituunt. *ibid.* Manu regem ſeu Noach ab illo per Vishnu deum ereptum & ſervatum fuiſſe docent. *p*.216.209.207.
Diſcipuli Brahmanici ad ſilentium tenentur. *p*.48. vide *Academia*. Dum ſcholam intrant ſacrificare debent. *p*.9. Item *p*.92. Item *p*.172.
Dionyſus idem qui ſol & Bacchus. Vide *Bacchus*. Eius cultus quando inceperit in urbe Nyſa. *p*.209. Nominis etymon. *p*.132.

E

Ebur ab antiquis Aegyptiis, Arabibus, & Graecis ex Indicis emporiis Barygaza, Colchide, aliiſque orae Malabaricae locis exportatum. *p*.212.128. Eburnei dentes Dario ab Aethiopibus, hoc eſt ab Indis veris in ſubiectionis teſtimonium munera portabantur. *p*.125.
Eccleſiarum chriſtianarum praedia a cenſu & angariis inter gentiles exempta. *p*.230.
Eclypſes ſolis & lunae unde deducant Indi. *p*.203.152.
Effigies ſuas Indici reges in nummis & annulis ſuis non gerunt. *p*.240. 241.
Elementa aquae, ignis, & terrae Indi adorant. *p* 81.111.112. mares & feminas eſſe fingunt. *p*.78.111.112.107.
Elephas prudentiae & fortitudinis ſymbolum *p*.174.173. Octo elephantes ex opinione Indorum mundum ſuſtinent. *p*.204. Pori regis elephantes. *p*.225.
Elephantae inſulae antiquum & verum Indicum nomen. *p*.252. Eius templi antiquitas. *ibid.* Non eſt ab Alexandro M. exſtructum. *ibid.* Varia illius templi idola deſcribuntur. *p* 78.86.136.137.168.174.
Emporia antiqua Indiae Baroche ſeu Barygaza, Colchis verius Coleci vel Colechi a quo Colchis corruptum fuit, oſtia Indi, Tagara, & Patna vel Pattan. *p*.211.212.237. 238.239.240.245.51.
Epiſtolas Indi ſcribunt in foliis palmarum, & rudi charta. *p*.255.256. Regis Travancoridis epiſtolae. *ibid.*
Epochae mundi philoſophicae ex vi & duratione elementorum deductae. *p*.79.
Epochae hiſtoricae & verae apud Indos. *p*.209.210.234.240.257.258.
Epulae in anniverſariis Indicis. *p*.22.
Equus dei Vishnu in ſua decima incarnatione. *p*.162.
Etymologia vocabuli urbis *Nyſa* *p*.132. 133. Vocabuli montis *Imau*. *p*.129. 130. Vocabuli *Dhermadèva*. *p* 121. Nominis *Mûrti*. *p*.105. Nominis *Sida*. *p*.138. Nominis *Krshna*. *p*.146 Nominis *Budha*. *p*.155 Nominis *Vikramáditya*. *p* 258.
Examen philoſ. Peguani ſeu cuiuſdam Talapoini ad amplectendum philoſophicum inſtitutum. *p*.115.116.
Expiationes Indorum quot modis perficiantur *p*.35.36.37.
Excoriatores quinam ſint apud Indos. *p*.249.250.
Exſequiae Apidis. *p* 198.

F

Familiae ſeu variae claſſes hominum apud Indos. V. *Tribus*.

Faquirii ſacerdotes ſunt Mahumedáni, & vocabulum hoc falſo attribuitur philoſophis gentilicis Samanaeis. *p*.60.

Fanon moneta Indica. *p*.247.

Feſtum lunae ſeu deae Kàli. *p*.186.187. Feſtum ſolis. *p*.188.

Ficus banàna fecunditatis ſymbolum. *p*.107. Ex trunco huius arboris ſeu potius plantae natus deus Brahma, Vishnu, Shiva. *ibid.*

Fornacis deae inſigne monumentum in muſeo Borgiano exſtans illuſtratur. *p*.12.

Fourmont Stephanus auctor catalogi codicum manuſcriptorum bibliothecae regiae Pariſienſis laudatur, & refellitur. *p*.230. 255.182.183. 210.

Fulmen deo Shivae, id eſt ſoli, & deo Indrae, id eſt aeri attribuitur. V. *Shiva* & *Indra*.

G

Gaengadévi id eſt Gangis dea eadem quae Pàrvadi vel luna. *p*.100.99. Allegorice ita dicitur, quia Gangis caeleſtis ſeu roris caeleſtis, quo omnia procreantur, auctrix eſt. *Ibid.* & 102.103. 109. Haec eadem antiquis viatoribus daemon Bengalinus dicta. *p*.15. Probabilius eſt Diana Taurica. *p*.13. Eidem victimae humanae immolabantur. *p*.13. & *ſeq.* Eius feſtum. Vide *feſtum*. In flumine & mari ſolemniter lavatur. *p*.105. Variolas immittere creditur. *p*. 100. 101. Eadem generatrix & deſtructrix. *p* 98 & *ſeq.*

Gannavadi vel Ganeshae dei Iani Indici deſcriptio. *p*.170. & *ſeq.*

Ganges fluvius terreſtris regnum Bengalinum fecundum reddit, atque hic idem Ganges terreſtris, roris caeleſtis, quem ſol & luna exſtillant, ſymbolum eſt. *p*.102. 109.110. 129.130. 88. 89. Aqua Gangis luſtrat & a peccatis expiat. *p*.44.99. 104.

Garudha, vide *aquila*.

Gattes montes qui a promontorio Comorino verſus boream excurrunt & totam Indiam in duas partes diſpeſcunt *p*.238.

Gaudama vel Godama Peguenſium numen. *p*.114.115. videtur eſſe Mercurius ſeu Budha, in quem Vishnu accidentaliter incarnatus fuit. *p*.114. 115.116. 117. Item 154. & *ſeq.* V. *Tabulas*.

Gauri. Plerique dii Indici Gauri ſeu Gangetici vocantur ob rationes de *Gange* adductas. V. *Ganges*.

Gebelin. Viſiones D. Court de Gebelin circa planetam Saturnum. *p*.235. Ex libris Indicis pelluntur & diſſipantur. *p*.236.

Geneſis mundi ex libris Indicis. *p*.61. & *ſeq*.

Gembhu vel Giambhu, aliis corrupte Iamba, Zamba, vel Yamba dictum, locus ſeu terra eſt nativitatis & originis Indicae gentis, ubi ſe creatos fuiſſe autumant Indi. *p*.135. in figura circulari ſub littera *h*, & *p*.134.

Geographia vetus Brahmanica totius Indiae. *p*.135. & *ſeq.* Ex ea liquet, Bactrianam & Indoſcythiam, quam nonnulli Graeci ſcriptores ab India diſtinctam eſſe putant, ad veram Indiam referri. *ibid.*

Georgius. R.P. Georgius acta S.Coluthi, & fragmentum Evangelii Sancti Iohannis muſei Borgiani illuſtrat. *p*.v. Idem auctor eſt Alphabeti Tibetani, cuius auctoritas adducitur. *p*.23.31.49.78.142.145. 147.154.159.

Gigan-

Gigantes qui & quales ex doctrina Indorum. *p.* 25.

Grammaticae Tamulicae R.P. Conſtantii Ioſephi Beſchii mentio ingeritur. *p.6.* 240.

Grammatica Samſcrdamica litteralis linguae Brahmanicae vulgo Samſcret dictae edita Romae an. 1790. *p.* 1. 104. 87. 155 173. 176. 207.

Grantham libri ſunt Indici, a quibus lingua litteralis Samſcrdamica improprie *Grantham* vocatur. *p* 255.

Guru nomen Samſcrdamicum magiſtri ſcientias tradentis. *p* 48. Item nomen dei Gannavadi. *p.* 171. 172.

Gueber Perſae exſules in Indiis degentes ignem adorant. *p.* 12.

Gubernandi regulae quae apud reges Indicos? *p.* 223. 224.

Gymnoſophiſtae Indici tempore Alexandri M. *p.* 201. Eorum regulae & inſtituta. *p.* 52 *& ſeq.*

Gyrum mundi & rerum humanarum, qui fit per generationem & corruptionem Indi per circuitum circa templa, & per Ciacram ſeu rotulam aut ſceptrum, quod deus Vishnu conſervator mundi manu tenet, repraeſentant. *p.* 30. 20. 80. 81. 107.

H

Hamſa Cycni & ſolis nomen. *p.* 1. Hamſa regum nomen. *p.* 2 196. Animal Indis ſacrum. *p.* 196. Animal aquaticum. *p.* 136. Cuius rei ſit ſymbolum. *p.* 136. 196. Brahmae dei vehiculum. *p.* 76.

d'Hancarville varia eius ſomnia pelluntur & diſſipantur. *p.* 108. 109. *& ſeq. p.* 119. *& ſeq. p.* 164. 165. 221. 174.

Hanuman idem qui Pan ſeu ventus. *p.* 143. 134. 127 138. 139. 190.

Hanxleden. R. P. Iohannis Erneſti Hanxleden Malabariae Miſſionarii e S. I. linguae Samſcrdamicae peritiſſimi viri dictionarium Malabarico Samſcrdamico Luſitanum citatur. *p.* 2. 64. 109. 113. 121. 138.

Hercules Indicus Graecis Bacchus, Shiva vel ſol. *p.* 57 72. 73. 87. 89. 90. 124. 125. 127. 131. 132. 133. 138. 141. 142.

Hercules Indicus verus a Graeco Hercule ſeu ſole diſtinctus. *pag.* 190. *& ſeq.*

Hereditas. Filii regum Kshetria non ſuccedunt in bona patris, ſed in bona avunculi & matris. *p.* 228. 227.

Herodoti auctoritas adducitur. *p.* 50. 124. 125. 192. 206. 212.

Heſiodi auctoritas ex Plutarcho. *p.* 167.

Himala mons idem qui Meru & Imau. *p.* 124. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. Solis, Bacchi, ſeu Dionyſi domicilium. *ibid.*

Hircus victima in ſacrificio ſolis. *p.* 5. Hircus Menda rufus idem qui Mendes Aegyptius. *p.* 206 207.

Homam holocauſtum ignis. *p.* 9. *& ſeq.*

Homeri theodotia de elementis. *p.* 112.

Hum & om particularum, ex quibus orationes gentilicae conſtant, explicatio. *p.* 7.

Hyde Thomas non recte arguitur ab imperitis criticis. *p* 2. Veteres Perſas ſabaiſmo addictos fuiſſe docet. *p.* 183. 207. 134.

I

Ianus vide *Gannavadi*.

Ieiunia Indorum. *p.* 41. 42. Etiam reges ad ea obſervanda tenentur. *p.* 40.

Ignis. Ignem Indi adorant. *p.* 9. *& ſeq.* Eidem ſacrificant. *ibid.* Huius cultus ratio. *ibid.* Ignis uxor Svàhà. *ibid.* Dei ignis officium. *p.* 184. Igne expiari poſſe credunt Indi. *pag.* 6.

Ex

Ex igne omnia naſci & in ignem omnia reſolvi autumant. *p.*91.167. Ignis domeſtici dea eſt Laekshmi. *p.*12.97.98. Ignis & aquae elementa maſculi & feminae. *p* 111.112. Duas in Indiis ſectas conſtituunt. *p.*112. 163. Ea & Perſae & Chaldaei adorabant. *p.*113.167. Finis mundi per ignem. *p.*163. Gymnoſophiſtae in ignem ſe praecipitabant. *pag.*6. Ignem ſacrum ſacrificulus domi alere & cuſtodire debet. *ibid.*

Ildephonſus a Praeſentatione Carmelita Diſcalceatus Malabariae Miſſionarius opus voluminoſum ſcripſit de lege Indorum. Codex manuſcript. in bibliotheca S. Cong. de P. F. *num.*20. Huius codicis auctoritas adducitur. *p.*11. 26 31.39. 106.107 143.130.135.

Imaus vel Imau vide *Himala*.

Incarnationes dei Vishnu ſunt novem. *p.*83. Incarnatio eiuſdem in Budha *p.*160. Incarnatio eiuſdem decima in equum. *p.*162.

Indi fluvii oſtia. *p.*211. Præcipua antiqua bella ad Indum fluvium geſta. *p.*241. Zoroaſtri obſervationes aſtronomicae ad Indum fluvium in Bactriana. *p.*238. Indorum in fluvium Indum religio. *p.*35. Verum Indi fluvii nomen eſt Sindhu. *p.*124.

Indiae antiquae mappa geographica Brahmanica. *p.*135. Indiae everſio moralis. *p.*232. Fertilitas. *p.*233. Indiae clima. *p.* 253.254.

Indorum religio eſt ſabaiſmus. *p.* 205. 70. 71.72. 73. 25. Sectae. 218. vide *ignis & aqua*. Partitio Indicae gentis allegorica & hiſtorica. *p.*72., Civilis. *p.*217. Mores. *p.*252.253. 254. Item 218. Leges. *p.*214.215. 216.140.141.25. Gubernium. *p.* 223. 224. Militia. *ibid.* Artes & opificia. *p.*249. *& ſeq.* Agricultura. *p.*229. *& ſeq.*

Indoſcythia, vide *India*.

Indra dei deſcriptio. *p.*180.

Initiationes Brahmanicae. *p.*45. *& ſeq.*

Iupiter V. *Indra*.

Iupiter planeta quis & qualis. *p.*8.24. 71.159.236.

K

Kála nomen bovis quo vehitur Shiva deus. *p.*90. Vide *Apis*,

Kalendaria Brahmanica. *p.*233. *& ſeq.* Vide *Calendaria*.

Káli eadem quae Párvadi, Proſerpina vel luna. Vide *Gaengadévi*.

Kaliyugam aetas ferrea. *p.*209. 153. 150.

Kámadéva concupiſcentiae deus. Vide. *Cupido*.

Kamſa avunculus dei Krshna. *p.*150. A deo Krshna occiſus fuit. *p.*148. 150.

Kalmuki vel Calmuki cum magno Tibeti Lama religionis cauſſa communicant. *p.*193.

Kàrtà Dominus verus Deus ens ſupremum apud Indos. *p.*68. Deum hunc heſychaſtis apparuiſſe Indi fabulantur. *p.*83.

Kàrtiga conſtellatio probabilius urſa minor. *p.*191. Ab ea deus Subramanya ſeu Hercules Indicus educatus. *ibid.*

Krshna vel Crshna deus non eſt Chriſtus. *p.*146. *& ſeq.* Eſt fur, occiſor, bellator, in urbe Madhu natus, eſt ſol in eclypſi conſtitutus, eſt verus aliquis Indicus rex, a morte eius incepit aetas ferrea. *ibid.*

Kshetria. Vide *militia, gubernium, reges.*

L

Laertii. Diogenis auctoritas affertur. *p.*259.206.167.

Laekshmi deae mythica deſcriptio. *p.*93.

*p.*93. *& ſeq.* Eſt dea Ceres, Ops, Tellus, Venus. *ibid.* Dea divitiarum, fecunditatis, & opulentiae. *ibid.* Máva arbor fertiliſſima eius ſymbolum. *ibidem*. Dea nocturni & domeſtici ignis. Vide *ignis*. Eadem in nummis Indicis. *p.*244. 246.

Lama. Ticho Lama Tibetanus in aſceterio educatur. *p.*227. Calmuki eum religionis cauſſa inviſunt. Vide *Kalmuki*. Diploma Lhamae Romae aſſervatur. *p.*256.

Legati Indici Romam miſſi. *pag.*238. 239.6.51.

Leges Brahmanicae tres. *p.*46. Legis duae partes. *p.*5. A quonam Indi leges ſuas deducant. *p.*69.70.71. 72.113.207. 208. Legum ſimplicitas. 229.230.

Ligna novem ſpecierum in ſacrificio yágam *p.*5.

Lingami cultus & ſacrificium. *p.*31. *& ſeq.* Solis generantis ſeu virtutis generativae ſymbolum. *p.*34.219. 220.221.102.103.104 110. 125.126. 133.188. Idem in nummis 239.242. 243.245.

Liturgicae preces Indorum. *p.*29.

Lotiones corporis expiatoriae. *p.*43. V. *Ablutio*, *aqua*.

Lotus ſive nymphaea deſcribitur. *p* 120. Matricis ſeu virtutis generativae ex calore & humore procreatricis ſymbolum. *p.*32.33.34. 219. 220. 221.102.103.104.110.125. 126.133. 188.239.nummis Indicis impreſſum cernitur *p.* 242. *& ſeq.* Lotum ſeu nymphaeam coloribus & forma ad rem noſtram adumbratam vide *tom.3.num.*761. in opere inſcripto: *Phytanthoza Iconographia auctore Iohanne Weinman*. Ratisbonae anno 1737. Item de loto vide Porphyrium *epiſtola ad Anebonem*, & Iamblichum. *lib.de myſteriis ſect.*7.*cap.*2.

Luna adoratur ab Indis. *p.*3. Lunae ſacrificium. *p.*7.8. Luna generis maſculini ſubinde, alias feminini. *ibidem & p.*25. A ſole & luna reges Indici deſcendere dicuntur. *p* 25. 70.214.215. Luna bicornis in nummis Indicis. *p.*239. Lunae duo effectus gignere & deſtruere. Eadem benigna & nociva.*p.*101. Luna mundi mater. *p.*102.35. Iſis, Párvadi, Káli &c. eadem quae luna ſymbolica. *p.*98. *& ſeq.* Eadem frigida, humida, fuſca. *p.*235. Sol eam in capite portat.*p.*86. Lunae victimae humanae immolatae, vide *Gaengadevi.* Vide Porphyrii epiſtolam ad Anebonem.

Luſtrationes per aquam. *p.*36.105.

M

Macrobii auctoritas affertur. *p.*25.35. 57.86.87.101.139 155.159.166.187. 158.172.

Madhu celebris Gigas. *p.*25. Dei Krshnae adverſarius. *p.*148. Rex aliquis Indicus. *p.*151.

Madura urbs Indiae. *p.*151.149.

Maduré regnum Pándi hodiedum exſtans. *p.* 105 Vide *Legati Indici*.

Malabaria oryzae ferax. Vide *Agricultura*. Vaccae cultus in ea.*p.*199. Eius incolae. V. *Cenſus*, *decimae*.

Manichaeiſmus an ſit Indorum religio? *p.*88.154.161.167 205.

Manu rex & legiſlator Indorum. *p.*62. 69.80.140.193.207.209.216.

Mappa geographica Indiae D. Guilelmi de l'Ile quoad vocabula Indica caſtigatur. *p.*215.131 129.134. Antiqua mappa geographicaBrahmanica. *p.*1.51

Mars planeta eſt muni ſeu heſychaſta, felix & bonus. *p.*8.25.71. 159.191.

Máva ſeu Mangueira deae Laekshmi ſacra. *p.*97.

Máya

Máya vocabulum eſt Samſcrdamicum *p*.114. Budhae ſeu Mercurii mater. *p*.114.158.

Matrix ſymbolum terrae, lunae, naturae generantis. *p*.32.33.34. Vide *Lingam*.

Matrimonia Indorum quae & qualia. *p*.221. *&* *ſeq*.

Mercium Indicarum permutatio. *p*.212.

Mercier. Abbas Bartholomaeus Mercier de S. Leger olim bibliothecarius S.Genovefae Pariſiis *p*.27.90.

Mercurius vide *Budha*.

Meru vide *Himala & Imau*. Item. *p*.258.32.130.131.

Metempſychoſim credunt Indi. *p*.18.19.20.30.42.45.49.98.177. *& ſeq*.184.202.

Militia. Milites Indici veteres. *p*.223.224. Eorum officia & diſciplina. *ibid*. Exercitus ordo. 224. 225. Cur Porus ab Alexandro M. bello fuerit ſuperatus. *p*.225. Miles Indicus facile legitur & conſcribitur. *p*. 225. 226. Militaris claſſis matrimonia. *p*. 227. Filii eorum non ſuccedunt in bona patris. *p*. 228. Militum ſobrietas in bello. *p*.226.

Mitra ſol Indicum numen *p*.1. Eius vocabuli corruptio. *ibid*. Mitrae Burgheſii inſcriptio in tabula marmorea illuſtratur *p*.12.86.134.194.195.

Muni ſeu ſilentiarii, heſychaſtae, magiſtri & conſiliarii ſunt planetae. *p*.8.25.57.64.70.71.72. 114.155.156.157.158.159.214.

Muſei Borgiani Velitris *tabulae liturgicae*. Tab.I. pictura exhibens ſacrificium ſolis. *p*.1. *& ſeq*. Tab.II. pictura Indica autographa exhibens holocauſtum ignis. *pag*.9. *& ſeq*. Tab.III. pictura Indica autographa exhibens ſacrificium Túkam. *p*.13. *& ſeq*. Tab.IV. pictura Indica autographa exhibens deum Ciardhàva *p*.23. *& ſeq*. Tab.V. pictura Indica autographa. *fig*.I. exhibens lingam. *fig*.II. exhibens triangulum in centro loti. *p*.28. *& ſeq*. Tab VI. pictura Indica exhibens Brahmanicam expiationem. *p*.35. *& ſeq* Tab VII. pictura Indica autographa *fig*.I. exhibens unum Sanyàſi, *fig*.II. exhibens unum Samanaeum. *pag*.50. *& ſeq*.

Muſei Borgiani *tabulae mythologicae*. Tab.VIII. pictura Indica autographa exhibens deum Brahma cum 4. faciebus & mentis barbatis cycno Indico inſidentem. *pag*.74. *& ſeq*. Tab IX. tria ſimulacra ex aere, *fig*.1. deus Vishnu, *fig*.II. deus Vishnu, *fig*.III. deus Shriràma. *p*.79. *& ſeq*. Tab.X. pictura Indica autographa *fig*.I Shiva bovi inſidens, *fig*.II. Shiva figuram humanam calcans. *p* 85. *& ſeq* Tab.II. duo ſimulacra ex aere. *fig*.I. Saraſvadi dea, *fig*.II. eadem. *pag*. 91. *& ſeq*. Tab.XII. tria ſimulacra ex aere. *fig*.I.II. *&* III. dea Laekshmi. *p*.93. *& ſeq*. Tab.XIII. & XIV. *fig*.I. ſimulacrum ex aere deae Bhadrakàli ſeu Pàrvadi, *fig*.II. pictura Indica autographa eiuſdem deae Kàli. *pag*.98. *& ſeq*. Tab.XV. *fig*.I. ectvpon trinitatis Indicae ex alia effigie, *fig*. 2. Simulacrum ex plumbo auro oblitum Godama numinis Peguani. *p*.105. *& ſeq*. Tab.XVI. *fig*.I. lotus marmori inſculpta, *fig*.II. pictura Indica autographa montium *Himala*, domicilii ſolis & lunae ſeu Shivae & Pàrvadi. *pag*.129. *& ſeq*. Tab.XVII & XVIII. *fig*.I. Simulacrum ex aere dei Shriràma & uxoris eius Sida, *fig*.II. pictura Indica autographa dei Shriràma & Sida, *fig*.III. pictura autographa Ràvana gigantis cum 10. capitibus, & 20. brachiis,

chiis, *fig*.4. Simulacrum ex aere dei Hanuman.*p*.135.*& ſeq*.Tab.xix. duo ſimulacra ex aere, *fig*.I. deus Krshna butyrum geſtans, *fig*.II. deus Krshna repens. *p*.146. *& ſeq*. Tab.xx. *fig*.I Simulacrum ex aere deus Budha, *fig*.II. pictura Indica autographa templi Iagarnat.*p*.154. *& ſeq*.Tab.xxi. pictura indica autographa decima incarnatio dei Vishnu in equum calighi. *pag*.162. Tab.xxii. *fig*.I. ex aere in fronte libri, *fig* II. ſimulacrum Indicum ex ligno, *fig*.III. pictura Indica autographa eiuſdem dei Gannésha. *pag*.170 *& ſeq*. Tab.xxiii. pictura Tibetana autographa exhibens tribunal dei Yàma. *pag*.177 *& ſeq*. Tab.xxiv. pictura Indica autographa exhibens deum Indra. *p*.180. *& ſeq*.Tab.xxv. pictura dei Cupidinis ſeu Kàmadèva. *fig* II. taliſma Indico Tibetanum ex marmore. *p*.180. *& ſeq* Tab.xxvi pictura *fig*.I. exhibens deum Subramanya cum 6. capitibus, *fig*. II ſimulacrum eiuſdem dei ex aere cum 6. brachiis pavoni inſidens. *p*.190 *& ſeq*. Tab.xxvii. pictura Indica autographa arboris & ſerpentium ſacrorum. *pag*.195.*& ſeq*.

Muſei Borgiani *tabulae cultus civilis*. Tab. xxviii. pictura Indica. *fig*. I. exhibens Brahmanem cum ſuis ſignis ſacris. *fig*.II. exhibens mulierem Brahmanicam. *pag*.213. *& ſeq*. Tab. xxix. pictura Indica autographa hodierni regis Travancoridis Ràma Varmer cum ſuis inſignibus. *p*.222. *& ſeq*. Tab.xxx. pictura Indica autographa exhibens Saturnum. *p*.235. Tab.xxxi. Nummi Indici in muſeo Borgiano proſtantes. *p*.242. *& ſeq* Tab.xxxii. pictura Indica autographa. *fig* I. exhibens tribum infimam Peleya, *fig*.II. exhibens ſtilum, librum & ſcribam Indicum. *p*.259.

N

Nagar vocis etymologia *civitas*, idem quod Patana vel Patna. Vide *Pattan*.

Nagaricae litterae *p*.243.244.245.246.

Navigatio Aegyptiaca, Graeca, Romana in Indiam *p*.51.211.212.237. 238.

Niebur viatoris Dani auctoritas affertur. *p*.7.26.39.76.86.89.106.135. 136.137.170.168.

Nini in Bactrianam irruptio *p*.238.

Notizie laconiche R.P. Conſtantini ab Aſculo Miſſionarii Nepalenſis codex manuſcr. citatur *p*.33.75.85. 89 100.106.114.129.157.180.258.

Noah probabilius idem qui Manu. Vide *Manu*.

Nummorum uſus apud Indos quando invaluit. *p*.237. *& ſeq*. Nummi Indici quibus ſint ſymbolis inſigniti *p*.242. *& ſeq*. Ex iis elicitur, linguam Samſcret in regno Ava obtinere. *p*.249. Cultum lingamicum & Indorum venerationem in lotum iidem confirmant *p*.242.143. Nummi regni Ava illuſtrantur *p*.248.249.

O

Orationum Indicarum formulae *p*.10. 27.26.20.43.65.

Om particulae explicatio *p*.7.

Obſtinatio Brahmanum in vetere religione ſervanda *p*.85.

Oppidum Coleci, Coſheci, vel Colechi Gallico ore prolatum probabilius eſt Colchis veterum *pag*.212. Confirmatur haec ſententia. *p*.105.

Ops, vide *Laekshmi*.

Origo deformitatis idolorum Indicorum *p*.88.252.

Ovum vitae ſymbolum ex quo mundus prodivit *p*.67.164.165.166.

Digitized by Google

P

Pan ſeu Hanuman venti deus fiſtulae & cytharae inſtitutor *p*.138.139. 142.143.144.145.190.

Pàndi regis legati ad Auguſtum *p*.239.

Pandavarum & Pandion regum Athenienſium origo, bella, epocha. *p*.147.148.149.150.151.152 153.209.

Pàrvadi, vide *luna*, *Bhavani*, *Kàli*, *Gangadévi*.

Pareja tribus infima *p*.249.250.

Pattan vel Patna urbs Indiae *p*.238. 240.244.245.

Paw (D. de) querelae philoſophicae *p*.17. Refellitur *p*.48.49.50 119.134. 162.200.201.202.204.224.250.

Peccatorum gravitas & diſtinctio apud Brahmanes *p*.38.39.

Peleya infima tribus Indica an coloni ſint Aegyptii *p*.249 250.

Pegu & Ava regnorum religio, lingua, & nummi. Vide. *Ava & nummi*. Item. *p*.114.115.116.117.118.

Peregrinationes expiatoriae Indicae *p*.35. *& ſeq*.

Peripli maris Erythraei auctor citatur *p*.50.51.105.211.212.237.

Pinzen philoſophi Peguani. Vide *Pegu*.

Piſcatio margaritarum. Vide *Maduré*, *Pandi*, *Coleci*.

Planetae, vide *Muni*, *aſtronomia*.

Plinii auctoritas affertur *pag*.51.124. 118.150.211.238.

Pluto, vide *Révana*, *Ceylan*.

Plutarchi theodotia *p*.3.11.35.40.81. 91.94.103.111.143.144 167.198.201.

Pori bellum cum Alexandro M.*p*.225.

Porus alter rex poſterior. Vide *legati & p*.223.

Promontorium Comorinum *p*.212.105. 186.52.

Proprietates dei Brahma, Viſhnu, Shiva *p*.68.

Philoſophia Indorum ſub involucris traditur. *p*.48.166.163. Philoſophia moralis *p*.259.

Philoſophi Indici. V. *inſtituta*, *initiatio*, *aqua*, *ignis*.

R

Rágia rex vocabulum a Plinio corruptum. *p*.238.

Rágiaputra regum filii nomen eſt regalis tribus ſeu claſſis Kshetria dictae. *p*.223. *& ſeq*. Eorum regulae & inſtituta. *Ibidem*. Vide *militia*, *milites*.

Rábu & Kédu planetae quinam ſint. *p*.203.

Ráma, vide *Shriráma*.

Rámáyenam liber Indicus citatur *p*.143.153.145.

Révana rex inſulae Ceylan eſt Pluto cum quo Bacchus pugnavit *p*.134. 138.140.143.144.

Radii ſolis allegorice pro ſagittis. *p*.152.135.134.142.90

Regalis tribus Indica. Vide *Kshetria*, *militia*.

Regis Travancoridis Ráma Varmer religio *p*.4.29. Proſapia. *p*.227 40. Annulus & inſignia. *p*.241. Vide *tab*.29. Nummi Kalien. *p*.247. Epiſtolae & reſcripta. *p*.256.257. Succeſſores eius non filii, ſed nepotes *p*.228.

Regis Coccinenſis reſcriptum, ſeu exemptionis a cenſu inſtrumentum PP. Miſſionariis Verapolitanis conceſſum *p*.231. Eius filii. *p*.228.

Reges Indici a ſole & luna deſcendere dicuntur. *p*.70. Primi ſunt regni milites *pag*.223. Eorum ſeries ex nummis colligi nequit. *p*.240.241. Reges Bactrianae & Scythiae ad quam epocham referat Bayerus *p*.240.117.234. Regum Indicorum prima hiſtorica epocha ad an.23. ante C.N. refertur *p*.258.257.240. 245.

Digitized by Google

245. Reges Indici legitima matrimonia non contrahunt. *p* 227. Ubi inſtituantur. *p* 227.
Reditus templorum, academiarum, privatorum. V. *Agricultura*, *decimae*.
Religio Indorum eſt ſabaiſmus & idololatria. *p*.205. *& ſeq*. 183 173. Sectae religioſae & philoſophicae ſunt ſex. *p*.218. *& ſeq*. Religionis baſis tota allegorica & ſymbolica eſt. *p*.68.25.30.31.34. Eadem localis, nec aliunde in Indiam illata. *p*.43.44.25.205.113.112.114.119. *& ſeq*. 141.
Retributionem boni & mali credunt Indi *p*.19.
Ritus initiationis apud Indos *p*. 56. 202.116.
Ritus in ſacrificio ſolis *p*.4. *& ſeq*.
Ritus in holocauſto Homam *pag*.9. *& ſeq*.
Ritus in anniverſariis defunctorum. *p*.19. *& ſeq*.
Ritus in ablutione corporis. *p*. 43.
Ritus colendi deum Lingam. *p*.32.
Ritus confeſſionis publicae & privatae. *p*.36.5.116.
Robini conſtellatio, ſerpens cucullatus. Ex hac ſtella natus eſt Shriráma ſeu Bacchus iunior. *p*.138. Lege totam diſſertationem de Shriráma *p*.139. *& ſeq & p*.190.
Roſarium ſeu corona gentilica *rudrakſham* dicta a gentilibus recitatur. *p*.41.88.193.
Rupia nummus argenteus Indicus. *p*.247. Eius vocabuli etymologia. *Ibidem*.

S

Sabaiſmus ſeu planetarum cultus Indorum prima religio *p*.205.70.71. 72.73.25.
Sacrificium ſoli ceteriſque planetis offerri ſolitum. *p*.4.5.6.
Sacrificium lunae *p*.7.
Sacrificium ignis. *p*.9. *& ſeq*.
Sacrificium Tùkam, aliaeque victimae humanae. *p*.13. *& ſeq*.
Sacrificia pro defunctis. *p*.17. *& ſeq*.
Sacrificium malis geniis offerri ſolitum *p*.23. *& ſeq*.
Sàlivagana rex Indiae mortuus anno Chriſti 78. *p*.240. Ab eo Indi ſeptemtrionales & meridionales hiſtoriae ſuae epocham deſumunt. *Ibidem*, *& p*.245.258.
Salcette templum Indicum. *p*.167.
Sambhavam geneſis apud Indos. *p*.61. *& ſeq*. Sambhavam ſeu Puránam nomen libri Indici cuius auctoritas adducitur *p*.61.54.55.151.
Samſcret nomen corruptum & vulgare linguae ſacrae litteralis Brahmanicae Samſcrdam *p*.255.244. Mater linguarum Indicarum. *Ibidem*, *& pag*.194.195.
Samſcrdamicum vocabularium eſt Amaraſinha. Vide *Amaraſinha* liber eſt zodiaci & caeli ſigna ſub involucris deſcribens. *p*.194. Item *p*.114. *in notis*.
Samanaei vocabulum corruptum eſt, atque dicendum Yamanaei *p*.53. Yamanaeorum regulae & inſtituta *p*.50. *& ſeq*. Alii ſunt campeſtres & ſolitarii, alii errones & mendicantes *p*. 52. *& ſeq*. Planetarum aſtrorumque curſum & revolutionem, ſolis motum diurnum & nocturnum errabunda ſua vita & peregrinatione exprimere & adumbrare nituntur. *p*.57.30 Yamanaei terreſtres monachi, Muni ſeu ſilentiarii, magiſtri, & conſiliarii figura ſunt planetarum ſolem maximum Indicum deum circumſtantium, conſiderantium & adorantium. *p*.24.25. 43.57.115.116. 159.182.236.237.
Sanchoniatonis fragmentum non recte expli-

Digitized by Google

explicatum a D. Stephano Fourmont & D. Court de Gebelin *pag* 235.
Sanyaſi perfectiſſimus philoſophiae Indicae gradus *p.*56.57.58.
Sapientum Indicorum ſententiae. *p* 160.159.
Saraſvadi deae mythica deſcriptio. *p.*91. *& ſeq.* An ſit Sara Abrahae uxor? *Ibid.* Scientiarum dea. *Ibid.*
Satyavrta rex eſt Noe a diluvio liberatus. Vide *Manu*.
Saturni planetae mythica deſcriptio *p.*235. *& ſeq.* Fabularum omnium Graecarum & Latinarum de Saturno & Mercurio origo. *Ib. & p.*140. 131.172.154. *& ſeq.*
Scanda Hercules Indicus. *p.* 190. *& ſeq.*
Sculpendi ars apud Indos antiqua *p.*251.252.
Scythae an religionis Indicae auctores? *p.* 119. *& ſeq* 243. 205. 179. 192.193.
Sebaſius vel Sebeſius idem qui Bacchus & ſol vel Mitra. *p.*87.12.194. 195.133.
Seſoſtris an Indicae religionis inſtitutor? *p.*208.
Sectae. Vide *religio*, *Brahmanes*, *Tamanaei*.
Shakti virtus, natura, luna. Vide *luna*.
Shani planeta eſt Saturnus. Vide *Saturnus*. Hic idem planeta Shani videtur eſſe celebris ille rex Kamſa avunculus dei Krshna. Vide *p.*148. 149 150. Confer etiam Sonnerat *tom.*1. *p.*303. *& p.*333. *in notis*.
Sháſtram ſignificat ſcientiam quamcumque *p.*231. Sháſtrám non ſunt libri ſacri ſed explicationes aliquarum ſcientiarum in Indicis libris contentae. *Ibid.*, *& pag.*218. Sic *v. g.* Giodisháſháſtram *aſtrologia*, Grachasháſtram *aſtronomia*.
Shiva deus Indicus quem alii corrupte Seb, Sib, Shiw, Shib, Siba, Chiva ſcribunt, tertia trinitatis Indicae perſona, eſt ſol, Bacchus, ignis, veterum Sebaſius, montis Meru incola, Graecorum Dionyſius, generator & deſtructor, maximus Indiae deus. *pag.*85. *& ſeq. p.* 106. *& ſeq. p.*123. *& ſeq. p.*20. 31.32 33.
Shivarátri. Vide *feſtum ſolis*.
Shucra. Vide *Venus*.
Shúdra. Vide *Artifices*, *Ars*.
Shri dea Lackshmi *p.* 244.94.
Shrirama Bacchus iunior, ſol diurnus *p.*135. *& ſeq.* cum Plutone pugnavit. *Ibidem*. Serpentem vitae ſymbolum manu tenet. *Ibidem.* Ex ſtella Róhini ſeu conſtellatione ſerpentis cucullati natus. *Ibidem*. Vitae auctor. *Ibidem*. Arationis inſtitutor. *Ibidem*. Vitis plantator. *Ibid.*
Siam regni religio *p.*114.115.116.117.118.
Siculus Diodorus. Eius auctoritas perſtringitur & adducitur *p.* 113. 127.131.141.140.
Sida Shrirámae dei uxor *p.*138. Eius vocabuli etymon. *Ibid.* Quomodo exhibeatur *p.*139.143.144.135.
Siderum influxum in terreſtria credunt Indi. *p.*234.235.72.75.101. Inde apud eos faſti & nefaſti dies. *p.*234. Siderum revolutio unacum ſole *p.*144.130.131.159. Sol ſidera replet. *p.*150.102. Sidera planetarum diſcipuli *p.*159. Vide *planetae*. Sidera Titanes ſunt. *p.*24.25. A geniis animantur & vehuntur *p.*181.
Simiae in veneratione ſunt apud Indos *p.*204. Ob dexteritatem in ſaltando ex una arbore ad aliam, & agilitatem caudae quae in ſaltu illo inſtar gubernaculi ſervit ventorum ſymbolum eſſe videntur *p.*143. 138. 139. Tibetanorum dii Simii ſunt *p.*142.
Simulacra Indica regulis myſticis alligata *p.*252.
Sindonum textores Indi *p.*255.256. Vide *ars*, *merces*.
Sld-
Digitized by Google

Slògam ſeu ſententiae Indicae . *p*.259.
Snádaga Brahman oeconomus qui communitatis bona curat *p*. 231.
Sol primus & maximus Indorum deus *p*.182.85. *& ſeq.* Veri dei ſymbolum *pag*.219.220.221.111.105.104. Progenitor & deſtructor *p*.85.189. Criminum vindex & mortis dominus *p*.87.189.178. Hiemis & aeſtatis auctor *p*.88. Montis Meru incola *p*.87. Vide *Himala* . Tres oculos poſſidet quorum unus in fronte 87. Lunam in capite portare & virtute ſua replere dicitur. *p*. 86. Solis generantis ſeu virtutis eius generativae ſymbolum eſt lingam ſeu phallus . *p*.8.p.31. *& ſeq.*
Sol idem qui Shiva . Vide *Shiva p*.85. *& ſeq*. Sol idem, qui Bacchus & Dionyſius *p*.106.*& ſeq*.132.*& ſeq*. 20.21.32.33. Solis attributum & ſymbolum eſt bos vel taurus *p*.90. Vide *Apis*. Sol ex calore & humore omnia procreat. *p*. 91. Sol magnus deus. *p* 86 Sol idem qui Sebaſius, vide *Sebaſius*. Sol fulminis auctor . *p*.85. *& ſeq*. Solis epitheta *p*.1 Solis ſacrificium *p*.1.2.3.4.5. Sol & luna in nummis Indicis *p*. 239. Soli dies dominica ſacra *p* 8. Solis deſcriptio ex Macrobio *p*. 3. Sol in eclypſi . Vide *Krshna* . Soli ſerpens vitae & mortis ſymbolum appingitur *p*.202 *& ſeq*. Sol Plutonem noctis & tenebrarum deum debellavit . Vide *Ràvana* , *Ceylan* , & *Bacchus* . Solis ſymbola in urnis Romanis *p*. 144. Solis famuli ſunt venti . *p*.143.138. Sol oriens & occidens a Romanis adoratus . *p*.144. *in notis*. Sol idem qui Hercules Graecus *p*. 57. Solem reſpiciunt Indi dum ſe lavant . *p*.43. Solis nomina ex corona recitant. *p*.88. Solis virtutes tres creandi , conſervandi & deſtruendi per triangulum repraeſentantur. *p*.207. Solem Iſraelitae adorabant *p* 206.205.4. Eumdem adorabant Aegyptii & Perſae *p*.205.206.7.12. ſolis feſtum apud Indos *p*.188.
Sobrietas Indorum in edendo & bibendo *p*.98.226.
Sorggam firmamentum , Sorggarágia rex firmamenti deus Indra *p*.181.
Stellae , vide *Sidera* .
Strabonis auctoritas affertur *p*.5. 18. 19.49.55.57.72.127.141.142.211. 223.226.230.238.254.255.
Sùrya ſolis nomen *p*. 1. Inde componitur *Vimala Dherma Sùryada* magnae virtutis ſol , nomen regis Candi . *Ibid.*
Svàhà ignis uxor *p*.9.10.
Symbola . Symbolum veri dei eſt ſol . Vide *Sol* . Symbolum ſolis eſt deus Shiva . V. *Shiva* . Symbolum Shivae Apis. V. *Apis*. Symbolum virtutis generativae ſolis eſt Lingam . V. *Lingam* . Symbolum trium ſolis virtutum eſt triangulus. V. *p*.207. & *Triangulus* . Symbolum ſolis nocturni eſt deus Dionyſius V. *Dionyſius* , *Nyſa* , *& Bacchus* . Symbolum ſolis diurni eſt deus Shriràma . V. *Shriràma* . Symbolum conſervationis mundi per Vishnu eſt ciacram , rotula , ſeu ſceptrum *p*.81. 82. Symbolum generationis rerum ex calore & humore eſt concha , lotus , matrix . V. *Lotus* , *matrix* . Symbolum fecunditatis arbor Máva , & ficus Bannána . V. *Màva & ficus* . Hanc ficum vivis coloribus adumbratam habes . *tom* 1.*n*.229. in opere inſcripto : *Phytanthoſa iconographia* . Ratisbonae an.1737. Lunae ſymbolum dea Párvadi vel Bhaváni V. *Ibi* . Lunae procreatricis ſeu generatricis ſymbolum eſt matrix . Vide *Ibi* . Lunae fecundae ſym-

ſymbolum eſt vacca . V. *Vacca* . Lunae generantis ſymbolum eſt pariter triangulus , concha , lotus . V. *Ibi*. Lunae peſtiterae & deſtructricis ſymbola ſunt gladius , catinus &c. Vide *p*.98. *& ſeq*. Lunae generatricis & fecundae ſymbolum & fluvius Ganges . V. *Ganges* . Naturae , ſeu potentiae & virtutis ad generationem ſymbolum eſt dea Shakti. V. *virtus*. Terrae generatricis & fecundae ſymbolum eſt dea Laekshmi . V. *Laekshmi* . Eiuſdem ſymbolum eſt arbor Máva & Vacca V *Ibi*. Vitae & mortis ſymbolum eſt ſerpens. V. *Sol & ſerpens*. Venti ſymbolum deus Pan. V. *Pan*. Vitae ſymbolum eſt ovum . Vide *Ovum* . Scientiae ſymbolum eſt dea Saraſvadi . V. *Ibi* . Fortitudinis & prudentiae ſymbolum eſt Gannavadi & elephas V. *Ibi*. Praemii & poenae ſymbolum eſt deus Yáma. Vide *Yama* .

T

Talapoini Peguani & Siamenſes ſacerdotes philoſophi ſunt Yâmanaei ab Indicis indiſtincti *p*.114.115.116. 117.118.59. Gaudamam adorant. *Ibid* Vide *Tamanaei* .

Tàly maritalis teſſera deo Gannésha ſacra . *p*.173.

Tàmara , padma , natinam &c. idem quod lotus vel nymphaea . Vide *lotus & pag*. 120.

Taprobane eadem quae Ceylan *p*. 238.

Taxilis regis Indici manſuetudo & generoſitas *p*.226.

Telluris dea Laekshmi *p*.93. V. *Laekshmi* .

Templa gentilica & Chriſtiana in Malabaria a cenſu , & angariis exemta *p*.230. Illa ex privilegio elephantes poſſidere poſſunt . *p*.246.

Templum Elephantae inſulae V. *Elephanta* .

Templi Salcette , Illoura , Yagarnat , Rámishvaram antiquitas . *p*.167. 168.251.35.36. Indorum in ea veneratio . *Ibid*. Templum Claudii in India *p*.51.

Tentorium in ſacrificio Yágam . Vide *Yágam* .

Terreſtris chronologia a caeleſti diſtinguenda . *p*.237.

Terrarum climata ad gentium indolem perſcrutandam & diiudicandam examinanda & conſideranda . *p* 252.253.254.201.

Tibetani deum Budha ſeu Mercurium, ſolem & lunam adorant *p*.157. 159.177 178.179.180. Tibetanorum origo ab Hanuman ſeu Simio . *pag*.142. Vera & hiſtorica ex rege quodam Indico . *Ibidem* . Tibetanorum philoſophia Brahmanicae ſurculus *p* 177.178.179. Tibetanorum orationes liturgicae in fonte ſuo ſunt Brahmanicae *p*.171.172. Tibetani Lingami cultores . Vide *p*.242., & *lingam* , *matrix* . Tibetani triangulum ſeu tripodem cum ſacro cono , Lingami ſeu ſolis productoris & genitoris ſymbolo , in ſolemni pompa vehunt . *p*.207.31. 242.

Travancor Vide *Rex Travancoridis* .

Triangulus apud Indos & Tibetanos venerationis obiectum. *p*.242.243. 244.219.221.219.207.126.31.32. 33. Idem omnis generationis & vitae principium . *Ibidem* . Eiuſdem myſtica explicatio *p*.207.

Tribuni omni opificum claſſi praepoſiti *p*.250. Eorum iura & officia . *Ibid*. Quomodo infringi ceperint . *p*.251.

Tribus ſeu claſſes hominum variae apud Indos *p*. 217. *& ſeq* Earum communia officia *p*.218.

Tribu-

Digitized by Google

Tributum quod Indi Dario pendebant p 124.125.
Triciùr oppidum Brahmanicum & academia *p*.48.233.
Tridens Shivae dei ſymbolum in nummis Indicis *p*.245.86. Idem Yàma dei inſtrumentum *p*.177.
Trimùrti ſeu trinitatis Indicae deſcriptio *p*.105. *& ſeq*. Mater illius eſt Parashakti ſeu ſuprema virtus vel potentia femina conficta, probabilius naturae ſupremi entis uxor. *Ibid*. *& p*.221.219.220.68. Trinitas haec nihil cum Trinitate Chriſtiana commune habet *Ibid*. Alucinationes D. d'Hancarville in hac re caſtigantur. *Ibid*.
Tuſcia. Lingami cultus in Tuſciam delatus *p* 242.

V

Vacca Indicum numen *p*.199.95.98. 202. Vacca Aegyptium numen. *p*.206. Vacca deae Laekshmi & Parvadi ſymbolum, fecunditatis ſymbolum, lunae ſymbolum. *Ibidem*. Vaccam colendi civilis & politica ratio *p*.202 Potio ex urina, butyro, ſtercore, lacte vaccae confecta initiationis & purificationis experimentum & ritus *p*.202.
Waltheri Miſſionarii Dani opuſculum *doctrina Indica temporum* inſcriptum laudatur. *p*.234.210.203. *& alias paſſim*.
Vaysha idem qui agricolae V. *p*.229. & *Agricultura*. Vita paſtoralis & agricultura ab initio coniuncta. *p*.229.
Venus Indica eſt Laekshmi. V. *Laekshmi*. Venus urania videtur eſſe Pàrvadi. V. *Pàrvadi ſeu Bhavàni*. Venus planeta generis maſculini eſt magiſter, muni, ſilentiarius ſeu heſychaſta. *p*.25.69 71.236.237.
Verapolis domus miſſionis Malabaricae exempta a cenſu *pag*.231.256. 257.
Viatores Angli & Galli redarguuntur. *p*.173.30.56.67.
Viduae Indicae cur poſt mortem maritorum igne exurantur *p*.16.141. Cur ab Indis deſpiciantur *p*.98.
Victimae humanae deae Bhagavadi ſeu lunae immolatae *p*.15. V. *Gaengadévi*.
Violentae exactiones Europeorum hominum in India deſcribuntur. *p*.226.232.
Vikramáditya regis epocham ſeu aeram Indi ſequuntur *p*.158.
Virtus ſolis creatrix, conſervatrix, deſtructrix in triangulo, in trinitate Indica. V. *Triangulus*, *trinitas*.
Virtus ſuprema eſt dea Shakti vel Parashakti, eadem natura, mater deorum, ſupremi domini uxor. *p*.221.220.112.110.111.106.107.104. 103
Vishnu dei mythica deſcriptio *p* 79. V. *Trinitas*.

U

Vrbs Shrinagar vel Pattan. V. *Pattan*.
Vrbis Collam in ora Malabarica conditae principium ſeu prima aedificationis epocha in annum 825. aerae Chriſtianae recidit. *p*.231. Ab ea Malabarenſes ſuam epocham civilem ſcribunt. *Ibid*.
Vrbs Nyſa Indica quando condita *p* 209.131. Nominis Nyſa etymologia & analyſis *p*.124.126.132.
Vrbium Indicarum nomen genericum *puri*, *buri*, *puram*, *buram*. *p*.151.
Vrna Farneſiana, aliaeque Romanae quid exhibeant. *p*.144.189.
Vſus nummorum apud Indos. *p*.237. *& ſeq*.

Y

Yàgam ſacrificium ſolis *p*.1. *& ſeq*.
Yamanaei, vide *Samanaei*.

Yama

Yama deus iudex mortuorum & inferni *p.*177. *& ſeq.*

Z.

Zodiaci ſigna in nummis antiquis Indicis *p.*239. Item *p.*1.134.

Zoega Georgius nummos Aegyptios illuſtravit *p.*v. Animadverſio illius in vehiculum dei Gannesha *p*174. Inſcriptionem villae Tiburtinae communicat *p.*195.

Zoroaſter ſeu Zerathuſt Bactriani regis obſervationes aſtronomicae *pag.*238.

FINIS

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

AD SYSTEMA BRAHMANICUM LITURGICUM MYTHOLOGICUM CIVILE

De incarnationibus dei Vishnu in opere *pag.* 83. paucis admodum diſſeruimus. Quia vero illae praecipua Indicae fidei capita continent, & tabulae nonnullae Indicae autographae eas exhibentes in muſeo Borgiano Velitris exſtant, neceſſarium eſſe videbatur argumentum illud paullo uberius pertractare ideo cumprimis, quia incarnationum illarum myſterium & cauſſa perdifficilis, lubrica, & incerta omnibus illis viſa fuit, qui res Indicas etiam attentius perſcrutari pro viribus nitebantur.

Itaque ad *tab.* IX. deum Vishnu ex tribus ſimulacris aereis exhibentibus, ex eodem muſeo Borgiano picturam addimus Indicam autographam *ad tab.* IX. *pag.* 83. pertinentem, quae Vishnu dei incarnationem, ſeu deſcenſum in piſcem ſequenti modo exhibet.

Mare tranquillum tabula repraeſentat, in quo multae nympheae albicantes & rubicundae rutilant, quaſi generationis rerum principium ex aqua annunciantes. Solis discus tranquillo ſalo aureo colore micans innatat, qui & ipſe indicare videtur, ex aqua ſeu ex humore & calore naſcendis rebus principia conſtituta eſſe. Vide in indice *lotus & ſol*. Gigas flammeus teterrimus ex buccino, altero omnis bonae & malae generationis principio ſymbolico, progreditur, manu ſtrictum gladium tenens. Occurrit eidem ex parte adverſa piſcis ingens erectus ore hianti, ex quo egreditur deus Vishnu quatuor manibus inſignitus, quarum una ſagittam, altera buccinum, alia nymphaeam, alia rotulam, ciacram, ſceptrum, vel circulum geſtat. Vide horum ſignificationes ſymbolicas in *indice rerum & verborum*. Ad latus ex parte adverſa in ipſo mari ſtant quatuor mulieres elevatis & iunctis manibus lotum ferentes & deum Vishnu adorantes. Hic Vishnu ſceptro, & ſagitta gigantem ſeu daemo-

num principem ഇരണ്യ് Irannya (1) mundi tyrannum crudelem, quod Irannya ſignificat, coercet. In littore, quod fluctus maris eludit, iacent quatuor libri legis Indicae വെദം védam dicti, quos Irannya a dormiente Brahma deo ſurreptos in mare proiecerat, & Vishnu piſcis conquiſitos in littore incolumes depoſuerat. In ſuperiori tabulae margine duo appicti exhibentur albi boves generationis emblemata, ſtragulis inſtructi. Hi aequali paſſu rupem ſcandunt, in qua ſtat arbor illa celebris Indica കല്പവൃക്ഷം *kalpavrksham* dicta, quae immortalitatis, iuſtitiae, & firmitatis emblema eſt, കല്പം *kalpam* enim *firmitatem*, *iuſtitiam*, *immortalitatem*, *rectum & inconcuſſum ordinem*, *ſtabilitatemque* ſignificat, വൃക്ഷം *vrksham* vero *arborem*, ex quo compoſita eſt dictio kalpavrksham. Vide Amaraſinha ſub voce *praleyam*, *diluvium*, & dictionarium R. P. Hanxleden ſub voce *kalpam*.

Haec itaque prima dei Vishnu incarnatio in piſcem, quam മത്സ്യവദാരം *malſyavadáram* vocant, apertiſſimis indiciis ad diluvium univerſale refertur. Deus Brahma princeps terrae, genius (2) ſupremi & veri dei പരബ്രഹ്മ് *Parabrahma* immemor

(1) Hoc vocabulum R. P. Ildephonſus *in cod. manuscript. lib.3. cap.3.* ſcribit *Irenniaczen*, quod ſignificat *dominum Irannya*, nempe dominum ira & furore plenum, genium potentem. Sonnerat *tom.1 pag.*281. ſcribit Canagacchen, Calakégen, & Ayeriben, quorum illud ſecundum *peccati dominum* denotat, kalagam enim vel calagam, aut kalakam, cum ultima littera k leni *peccatum*, isha ſeu adiective égen vel éshen *dominum* ſeu peccati auctorem ſignificat. Angli Calcuttenſes ſcribunt *Hereni*, & hoc corruptum eſt. Vide de hoc daemonum principe Irrannya in libro *Mágha* Indico ſtropham primam in grammatica Samſcrdamica *pag.*66.

(2) Iam ſupra in opere docuimus, deum Brahma terram, Vishnu aquam, deum Shiva ignem eſſe. Eiuſdem ſententiae eſt R. P. Norbertus Capuccinus Miſſionarius Pondicerenſis, qui in ſuo libro: *Memorie storiche intorno alle missioni dell' Indie Orientali*. Lucca 1744. *pag.*4. ita differit: *Il primo di questi dei* (Indiani) *chiamasi Rudren o Madeo* (Rudra vel Mahadéva) *da essi agguagliato al fuoco, perciocchè simigliante a questo elemento ha forza di tutto distruggere. Il secondo appellasi Vishnu, assomigliato all' acqua, il terzo Brahma invocato come autore di tutta la natura e per tal ragione viene paragonato alla terra.*

Digitized by Google

mor, prima mundi aetate animo ſecuro & vacuo in utramque aurem dormiebat. Irannya deorum ſeu bonorum geniorum iuratus hoſtis, & daemonum princeps ſemper vigil libros legis Védam (1) a dormitante Brahma ſurripuit, & in mare proiecit, unde genus humanum lege & regula deſtitutum, ipſo deo Parabrahma contempto, in omnia vitia profuſum, diluvium univerſale criminum vindictam exciverat. In hoc diluvio aquis diſperſo & de-

(3) Vocabulum Védam vel ut Indoſtani & Nepalenſes ſcribunt *Bed*, radicaliter & proprie doctrinam ſacram de cultu ſolis, lunae, planetarum & elementorum ſignificare nos in grammatica Samſcrdamica *pag.75.* docuimus. En quid de vocabulo Bedy, quod a Bed a Graecis corruptum deſcendit, Clemens Alex. *lib.5. Stromat.* §.243. ex Orpheo aliiſque docet.

> Καί Βέδυ Νυμφάων καταλείβεται
> ἀγλαον ὕδωρ
> *Nympharamque Bedy promant*
> *limpida lympha.*

Orpheus itaque, & Phryges Bed vel Bedy aquam eſſe exiſtimarunt. Comicus Philideus aerem eſſe arbitrabatur, & ipſi conſentit Neanthes Cyzicenus, qui Macedonum ſacerdotes in precibus Bedy aerem invocaſſe ſcribit. Vide Clementem ipſum. Nec obeſt, quod Indi Bed, Graeci vero Bedy ſcribant, nam vocabula barbarici cultus a Graecis corrupta fuiſſe, apertiſſime tradit Iamblichus lib. de myſteriis ſect.7. cap.5. „ Oportet etiam ritus adorationis antiquos tamquam ſacra aſyla ſemper conſervare eoſdem & eodem modo, nihil ab his detrahendo, nihil aliunde adiiciendo; ferme namque ex hac cauſſa exſtitit, quod nunc tum dierum nomina divina, tum preces vim ſuam amiſere, propterea quod iamdiu ſuſque deque permutarunt ea, & adhuc permutant Graeci novatores, & violatores . . . barbari ut ſunt moribus graves, ſic & in vocabulis firmiter permanent „.

Liber ergo Védam eſt allegoricus ſeu *liber naturae*, ordo, concinnitas, harmonia caeli terraeque, elementorum, rerum denique terreſtrium naturalis concordia, quae concuſſis per diluvium terrae cardinibus in mare decidit, & quam Vishnu virtus nempe illa dei mundi conſervatrix incarnata reſtituit. Quare fatentur Brahmanes librum Védam verum illum & hiſtoricum non exſiſtere, id quod etiam obſervavit Sonnerat *tom.2. pag.41.* ita ut profecto ridere debeas morologos illos Anglos & Gallos, atque ipſos etiam illos rerum Indicarum imperitos Miſſionarios, qui vaniſſimo commento toties ampliſſimam fidem dabant ſe ſe in Indiis libros Védam inveniſſe, & poſſidere. Védam itaque nunc apud Brahmanes nomen eſt genericum, quod legem, doctrinam, inſtitutionem deos ſuos colendi ſignificat, pluribus & variis libris de cultu religioſo tractantibus contentam, unde *Védi* legis doctor, *Védàrtham* explanatio legis, *Nasràni védam* lex, inſtitutio Chriſtianorum S. Thomae in Malabaride &c. Lex iſta divini cultus, cuius inſtitutio Brahmae deo attribuitur, a daemone ſublata in mare deciderat, a Vishnu reſtituta fuit, unde profluxit etiam veterum Graecorum error, ut vocabulo Bedy nunc doctrinam ſacram de 4. elementis, nunc de aqua ſola, nunc de aere, nunc denique de aethere aut igne compellarent, id quod apertiſſime loco citato tradit Clemens Alex. Vide etiam codic. manuſcr. P. Marci a Tumba *p.147.* ubi negat libri Védam realem exſiſtentiam.

ſo & deleto humano genere, ipſe etiam periclitabatur Manu മനു vir iuſtus സത്യവ്രതൻ *Satyavrta* ſeu *iuſtitiae & veritatis operator*, qui cum aquis innatans Vishnu dei opem imploraret, ut tabula Borgiana exhibet, Vishnu periclitantis viri & labentis mundi miſertus, debellato daemone illum incolumem reſtituit, & libros legis ex maris abyſſo prolatos ſervavit. Inde ex loto & buccino nova rerum progenies & principium, reſtituta arbor paradiſiaca *kalpavrksham*, quae immortalitatis potum aut cibum continet, diis ſeu bonis geniis promiſſum, & boves duo generationis novae emblemata, ſol denique aureus mari innatans, qui indicat, ex aquis generativae virtutis vim ſuam ſe mutuari, mundi conſervatoris Vishnu ſymbolum & primum deum eſſe, qui coli debeat tamquam unius & veri Dei viva imago. Unde ait Iamblichus ſect.8. cap.2. *Ante eas res quae vere ſunt, & ante principia univerſalium, eſt deus unus, prior etiam primo deo & rege ſole* (1). Ipſe deus Vishnu aquae princeps genius, ſeu virtus illa divina mundi conſervatrix, cuius vim & potentiam in diluvio agnitam ſolertius adorare, in principalium numinum numerum referre, eique ſe commendare gens Indica coepit, dum corpus humanum ſub nomine Krshna ſeu Apollinis induiſſe fingitur, hoc idem corpus a ſuis atavis quaſi per fluctuans lignum a diluvio univerſali ſervatis, ſe aſſumpſiſſe narrat ſtropha 6. in libro Bhágavadam.

ദ്രൌണ്യസ്ത്രവിപ്ലുഷ്ടമിദംമദംഗംസന്താനബീജംകുരു
പാണ്ഡവാനാംജുഗോപകുക്ഷിംഗതആത്തചക്രൊമാ
തുശ്ചമെയശ്ശരണംഗതായാഃ draunya ſtra viplushdamida dangam ſandána, bígiam kuru Pándavánám giugo pakukshim gada átta ciacro mádushva me ya sharanam gadáya. *Nando conſervatum natatile hoc corpus* (haec familia) *cauſſa & ſemen eſt familiae Pándavarum, ac proinde huius mei corporis, quod cum Brahma*

(1) *Eumdem ſolem aut ex limo emergere, aut loto inſidere, aut navigio provehi, aut ſingulis horis formam commutare, aut varios per ſingula zodiaci ſigna vultus induere praedicant* (Aegyptii). Porphyrius epiſt. ad Anebonem.

Digitized by Google

ma dei arcu, & ſagitta uſum fuiſſet, Vishnu dei protectionem obtinuit, accepitque triciacram (tres rotas, caeli, terrae, & inferni gubernii ſymbola) *& illis matris meae uterum replevit*. Vide etiam *ſtroph.* 5. *pag.* 172. *& ſeq.* in grammatica Samſcrdamica.

Quis igitur adeo effrons, adeoque temerarius ſit, qui Indis traditionem diluvii univerſalis abneget, & cum iiſdem, principalem deorum ſuorum apotheoſim ad diluvium non referat? Quis neget etiam Indorum animis conſtanter hanc opinionem inſediſſe, ut concuſſae univerſae naturae reparatorem agnoſcerent, incarnandi dei alicuius neceſſitatem profiterentur, per quem poſt diluvium virtuti praemium, crimini poenam decernerent, & rudi idea ſibi ipſi oppoſitum, diiſque contrarium hominem cum ſe ipſo componere ſtuderent? Quare recte hanc incarnationem Calcuttenſes Angli, & ipſe levis Sonnerat ad diluvium univerſale refert, quod vide *tom.* 1. *pag.* 280. *edit. in* 8. Confer etiam ſyſtema Brahmanicum *pag.* 216. *de diluvio* ex libro Amaraſinha, & dictionarium Franciſci Pivatii *tom.* 8. *pag.* 209. *tab.* 42. *fig.* 1., ubi deus Canon Iapponnenſis eodem plane modo, quo deus Vishnu apud Indos in piſcem incarnatus exhibetur, eique in concha recurva navigans occurrit rex Manu, ſeu vir ille iuſtus iunctis manibus deum deprecans, ut a diluvio ſervetur. Ex quo recte argues, incarnationum dei Vishnu theodotiam, ſeu diluvii traditionem etiam in Iapponnia revera exſtare, atque haec omnia miro modo pro locorum & gentium ratione plaſmata, exhibita, conſervata fuiſſe, maiori minorive luce aut caligine aucta aut obvoluta permanere. Cur autem iuſtus ille vir in tabula Iapponnenſi deo Canon in concha occurat, rationem petere poteris ex Schedio qui ait: *Inter concharum genera Nerites per maria navigantes: praebentes concavam ſibi partem, alteram vero flanti aurae inſtar veli opponentes. Hinc etiam* ΔΙΩΝΗ *ab humiditate dictae*. Concha igitur illa navigium Noah Indicae gentis conditoris repraeſentat, per quod ipſe in diluvio univerſali a Vishnu deo mundi ſervatore liberatus fuit. Acres & incitati rabulae haec rodant, & qui omnium gentium traditiones evertere omnibus viribus adlaborant, libros & monumenta iſta Indicae gentis omni revelationis lumine deſtitutae, ſi poſſunt, tollant.

Secun-

Digitized by Google

Secunda incarnatio dei Vishnu in teſtudinem, quam கூர்மவதாரம் *Kùrmavadàram* vocant, in tab. Indica autographa muſei Borgiani ita exhibetur. *in Tab.* IX. *c.*

Solis domicilium mons Meru in medio conſpicitur mari, in quod eum praecipitem egerunt boni malique genii ob acre certamen quod inter eos interceſſerat. Pugnae cauſſa fuit அம்ருதம் *amrdam*, ambroſia, ſeu cibus ille caeleſtis (1) vel potus, quem Vishnu in illo monte, & paradiſo ſuo Vaicunda dicto, ſedens diſtribuit. Amrdam iſtud, ſeu hunc immortalitatis potum boni malique genii vehementer exoptabant, atque ex monte Meru primi dei ſolis domicilio elicere & decerpere volebant. Dum igitur iudicia calent, & de poſſidenda immortalitate acriter inter divos agitatur, mons Meru cui terra inſidet, in mare decidit, & in profunda abyſſi fertur. Dii boni periclitantem montem videntes, ad Deum Vishnu mundi conſervatorem accurrunt, eumque rogant, ut montem ſalvum reſtituat.

(1) De ambroſia & nectare, quid eſſent, varias veterum opiniones relatas vide lib.2. cap 1. pag.51. *Athenaei coenae sapientum lib.*xv. *Lugduni anno* 1556. Item Ludovici Caelii Rhodigini *lectionum antiquarum* tom. 4. lib 28. p.547. *Ambrosia Atheniensibus quam in Iovis Ctesii dedicatione ferendam praecipiebant, non herbam indicat, sed ut docuit Athenaeus, omnigenas fruges cum oleo & latice*, ait Rhodiginus. Nectar, vinum & favum commixtum eſſe alios, cibum eſſe alios, ambroſiam mellis naturam nonocuplam habere aliquos exiſtimaſſe, loco citato docet Athenaeus. Nuſpiam ibi herbae aut frugum mentio. Neſcio itaque unde Rhodiginus ambroſiae & nectaris ſignificationi fruges omnigenas affingat niſi per ambroſiam illam Athenienſem frugum liba Iovi oblata intelligas. Ambroſia, immortalis ab ἀ privativa & βρότος mortalis cibum potumve immortalitatis ſignificat, quam ſignificationem vocabulo *amrdam* tribuit etiam Vocabularium Amaraſinha. Mrdyu *mors*, mrda *mortalis aut mortuus*, mrdá *mortalitas*, amrdá cum prima littera *a* privativa, *immortalitas*.

Quidquid igitur ſucceſſu temporis variae gentes de ambroſia effinxerint, aut per quemcumque cibum & potum eam ſymbolice repraeſentare voluerint, vocabulum illud in radice ſua *immortalitatem* ſonat, & pro hac Indici dei boni malique inter ſe certabant. Malabarenſes Indi ambroſiam lac dulciſſimum eſſe dicunt, quod potum immortalitatem tribuit. Macrobius *lib.*1. *Saturn. cap.*12. altiſſimam & puriſſimam animae vel cognitionis partem, qua divina ſuſtentantur & conſtant, nectar vocari, & potum deorum eſſe dicit. In tanta opinionum & ſententiarum diſcordia, mirum non eſt, quod imperitum vulgus ſive in Indiis ſive in Sinis ambroſiam ſive lac, ſive mel, ſive denique herbam ex qua immortalitas elici poſſit, eſſe crediderit, & hodiedum credat.

Digitized by Google

ſtituat. Vishnu teſtudinis formam induit, bolidis inſtar profunda petit, monti dorſum ſubdit, eum elevat, & ne mergatur à decumanis fluctibus, incolumem ſuſtentat. Dii boni malique montem Paradiſiacum reſtitutum videntes, eum immani illo ſerpente വാസുകി váſughi dicto, qui totum mundum in circulo recluſum continet, cingunt, & daemones quidem caput ſerpentis arripiendo, dii vero caudam prehendendo ſerpentem circa montem circumagunt, montem perfricant, ambroſiam elicere omni ſtudio adlaborant. In tabula Borgiana primus deorum, ſerpentis caudam trahentium, eſt Deus Brahma, quem ex 4. faciebus & libro, quem manu tenet, dignoſces. Secundus eſt Vishnu florea ſerta aut monilia ex collo portans. Tertius eſt Shiva tigrina pelle amictus, in capite ſerpentem cucullatum, manu vero tridentem, cui appenſum haeret tympanum, geſtans. Dum hi dii vehementius laborant, ſerpens laboris & frictionis impatiens venenum evomit, eoque totum mare inficit. At mons Meru ambroſiam reddit, quam medicus caeleſtis *Danuvandra* in mare diffuſam colligit, ac in vaſe quoddam deo Vishnu in montis Meru cacumine ſedenti extradit, qui eam diis bonis diſtribuit, procul pulſis daemonibus immundis, qui ab illo tempore capitale & numquam emoriturum odium, invidiam, & inimicitiam in deos gerunt. Tribus igitur vicibus Vishnu dei imago in hoc tabula recurrit. Is in teſtudinem incarnatus montem ſuſtinet, in hominis ſeu dei forma ſerpentis caudam trahit, & is idem in divina & regali forma pedibus decuſſatis in loto ſeu nymphaea in ipſo montis cacumine ſedet. Vultu eſt nigro, caput corona redimitus & 4. manibus inſignitus. Una lotum, altera ſagittam vel ſceptrum, tertia buccinum, quarta rotulam ferream ciacram dictam tenet. Quamprimum hic deus reliquis divis ambroſiam illam ex mari collectam diſtribuerat, illud ipſum mare ſtatim protulit deam Laekshmi magnam illam matrem, Venerem Indicam, generationis & fecunditatis deam, tellurem nempe vel opem Vishnu dei uxorem, quae eidem ad latus dextrum florem nymphaeam ferens aſſidet. Eodem momento e mari nata eſt Saraſvadi harmoniae & concinnitatis

dea,

dea, Brahmae uxor, quae ad latus ſiniſtrum dei Vishnu ſedet; denique mare hoc enixum eſt deam മൂദേവി Múdévi, ſeu deam turpitudinis & diſcordiae, quae in tabula Borgiana non exhibetur. Cum his deabus ex eodem mari prodivit vacca fecunditatis ſymbolum, equus 7. capitum, arbor kalpavrksham, & elephas albus fortitudinis & prudentiae princeps, qui ſervatum a deo Vishnu mundum ſeu terram ſuſtineret. Unde fabulantur Indi hodiedum terram teſtudini & 8. elephantis inſidere, qui dum ſtationem ſuam mutant, terrae motum efficere dicuntur. In mari & ad litus multae conſpiciuntur nympheae, & in ſuperiori tabulae margine ſolis diſcus & luna bicornis. Expoſita Borgiana tabula, nunc iam rerum myſteria perſcrutemur.

Primo itaque de dono, cibo, ſeu potu immortalitatis hic inter divos quaeſtio eſt (1). Boni malique genii immortales eſſe exoptant. Hoc ut evincant, ſive ex monte Meru, primi dei ſolis ſede, qui veri dei ſymbolum eſt, ſive ex arbore kalpavrksham nempe vitae & mortis ligno, ſive ex ipſo paradiſo dei Vishnu ambroſiam elicere ſatagunt. Sed en dum ferventius pro ea certant, mons, arbor, paradiſus in mare labitur, & ne pereat, deus Vishnu, virtus nempe illa mundi conſervatrix, in teſtudinem deſcendit, montem & mundum elevat & incolumem reddit. Incarnatio itaque iſta antidiluvianam creationis mundi noti-

(1) Vide de hac incarnatione Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 281. Franciſcum Pivatium *tom.* 8. *pag.* 119. de incarnationibus dei Vishnu. R. P. Marcus a Tumba Capuccinus Miſſionarius Nepalenſis in codice manuſcripto inter codices manuſcript. muſei Borgiani de monte Meru & de Amrdam ita ſcribit? *Il monte Sumeru che sta nel polo artico* (nempe Indico ſeu intra fines Indiae ſito; vide pag. 135. in opere) . . . *è in fonzato dentro la terra. Egli è di colore d'oro... sopra di questo v' è l' albero della vita, detto paragiatek, albero, che dà per frutto l' ambrosia, o nettare detto amrit* (corruptio eſt ab amrda). *A mezzo giorno di questo monte v' è l' albero giàmun* (ciamba. *Li frutti di questo albero cadono per terra, e dal loro suco ſe ne forma il fiume Giamuna* (Styx ſeu Stygis flumen) *che entra nel Gange nella città di Elenbad, fiume molto sacro . . . Questa è la descrizione da gran montagna Sumeru parbot* (Sumeru párvadam) *montagna d' oro, tanto rinomata fra questi gentili, in dove sono li paradisi, ed alla quale la stella polare serve di corona, ed il sole altro non fa, che un continuo giro respettuoso*. Itaque ex traditione Indorum, quamvis multis fabulis obvoluta, ſatis perſpicue evincitur, certamen illud deorum bonorum malorumque de ambroſia ſeu de immortalitate in paradiſo contigiſſe, ubi nempe arbor vitae & mortis eſt.

notitiam, angelorum inter ſe pugnam, arboris boni malique allegoriam, ob gulam, invidiam & ambitionem prima mundi peccata, mundi praecipitationem in mare, id eſt diluvium, conſervatoris denique & humani generis reparatoris ideam traditionemque includit. Serpens ille vitae & mortis ſymbolum, qui totam terram ſuo circulo continet, antiquus nempe ille daemon vel Typhon Aegyptiacus ex lacu prodiens, aquas omnis generationis principium veneno inficit, unde bonae & malae generationis origo. Verum medicus caeleſtis ambroſiam (*immortalitatem*) in mare delapſam colligit, & Vishnu deus eam bonis tantum diſtribuit, malis undequaque ab immortalitatis dono & beatitudine propulſis. Scio equidem hanc incarnationem ab aliis paullo aliter narrari (1). Verum peculiaris alicuius Indicae provinciae traditio, quae facile corrumpi potuit, generali Indorum doctrinae nihil officit, praeſertim cum haec incarnatio, prout eam tradidimus, multis Indicis contineatur libris, et tabulae autographae eam cum attributis a nobis expoſitis apertiſſime exhibeant. Quid mirabilius dici poteſt, quam ſi hanc eamdem traditionem apud omnes pene Aſiaticas gentes revera exſiſtere perſpicuis argumentis oſtendam? Videatur in Pivatio *tom.8. tab.43. fig.3.* cum hac epigraphe: *Il creatore del univerſo*, *ad pag.*210. *edit. Venet. anno* 1749. Ibidem deus Canon Iapponnenſis, ut hic Indicus Vishnu mundi ſervator et reſtaurator exhibetur facie nigra ut apud Indos, capillis nigris & criſpis, corona redimitus, pedibus decuſſatis, ſupra arboris vitae et mortis truncum in nymphaea vel loto ſedens, quatuor manibus inſtructus, quarum una lotum, altera ſagittam vel ſceptrum, alia rotulam ciacram, alia denique amphoram tenet, ex qua ſalienti aqua, aut fortaſſis immortalitatis poculo et nectare, mundum, quem illa machina repraeſentat, irrigat et conſervat, aut bonis geniis bibendum tradit. Subtus, ut in tabula Indica Borgiana, ex una parte ſtant daemones, ex alia vero dii ſerpente illo arborem, in cuius vertice ſedet Vishnu vel Canon, perfricantes, et ambroſiam elicientes. Horum deorum ordine ſecundus 4. vultus habet, et librum manu gerit.

(1) Vid. cod. manuſcript. P. Marci a Tumba. *pag.*163.164.

Digitized by Google

Quemadmodum igitur hic deaſter ex his inſignibus aperte deus Brahma eſſe cognoſcitur, ita pariter extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, eumdem illum deum Canon, qui in vertice arboris in loto ſedet, Indicum deum Vishnu eſſe. Ipſum arboris truncum aut caudicem teſtudo mari innatans ſuſtinet (1) atque eidem ſocium ſe praebet ſol ſub forma radiantis viri, deus nempe ille primus Indicus et veri dei ſymbolum, qui totam illam in mare labentem molem una cum teſtudine ſuſtinere, aut certe in teſtudinis formam, ut mundum ſervaret, ſe tranſiviſſe, palam indicare videtur.

Pivatius haec omnia ex Kaemphero, ex legationum Batavarum ſylloge, ex P. Ludovico Guzmano, ex theologorum Iapponnenſium opinione ad creationem mundi refert. Verum caecus ſit, qui non videat, haec ad creationem mundi, atque ſimul ad eius reſtaurationem poſt angelorum pugnam et diluvium non

(1) Teſtudo ex hodierna Indorum auſtralium fide & ſuperſtitione mortiferum omen eſt. Quare plurimum ipſi conturbantur, dum teſtudo praeter exſpectationem domum aliquam ingreditur, id quod de Coromandelenſibus teſtatur R. P. Norbertus Indicae ſuperſtitionis ſatis peritus vir. Malabarenſes quamvis fame torqueantur, mortem magis oppetere volunt, quam teſtudinis carne eam depellere. Id quod ſatis perſpicue indicat, ſive ad univerſalis diluvii triſtem memoriam, ſive quod teſtudinis dorſo mundum inniti credant, & ne eius occiſione ruat, vereantur, hanc ſuperſtitionem referri. Deinde alia etiam huius rei cauſſa dari poteſt. Vishnu deus in forma teſtudinis apparuit, & lege cautum eſt inter illos qui metempſychoſeos dogmati addicti ſunt, nullum animal interimere, ſed praecipue animal ſacrum, quale eſt teſtudo. D. Willelmus Thomſon Anglus, vir morum ſuavitate & eruditione clarus, qui teſtudinum indolem & proprietates argute & diligenter ſcrutatur, nuper mihi dixerat, teſtudinem quocumque demum modo aquis iniiciatur, numquam mergi, ſed in ſeipſam revolvi, & natare, eique caudam pro gubernaculo, pedes pro remis, infernam ſuperficiem pro cymba eſſe. Haec ergo teſtudo, piſcis, & concha in diluvio univerſali apte mundi navigia eſſe finguntur, quibus mons Meru, & terreſtris moles ex aquis educta fuit. Certe navigium nihil niſi piſcis natantis imitationem eſſe clariſſimi philoſophi crediderunt; piſci enim branchiae pro remis, cauda pro gubernaculo ſunt. Adde a veteribus memoriae proditum eſſe, antiquos Indos & Africanos ſuperna teſtudinis teſta pro cymba uſos fuiſſe, quod nequaquam incredibile eſt, cum in mari Indico ingentis magnitudinis teſtudines reperiantur, in quarum ſuperficie 3. & 4. viri ſtare & vehi poſſint. Confer Calepinum ſub voce *teſtudo*. *Teſtudinum illic* (in inſula S. Mauritii hodie inſula Franciae) *tanta moles eſt, ut ſuper una ſtantes noſtrum quatuor facile ad greſſum eius promoveremur. In teſta unius decem noſtrum conſidentes epulati ſunt.* Lopez *in quinta parte Indiae orientalis navigationis Hollandicae anni* 1598. Francofurti *an.*1601. *pag.*7.

non referri. Verum enim vero inter Iapponnenſem hanc et Indicam theodotiam tam plana et perfecta eſt analogia, ut ovum ovo vix ſimilius eſſe poſſit, id quod ipſe fatetur ſumma religione et auctoritate praeditus vir R. P. Georgius in Alphab. Tibet. *pag.* 132. Deinde incarnationem dei in piſcem Iapponnenſes credunt, et in delubris ſuis exhibent ut Indi, quod paullo ſupra vidimus. Omnem de ovo Bacchico vitae ſymbolo et mundi principio ex monumentis Meacenſibus coſmogoniam idem adducit Pivatius *pag.* 164. et 165., atque poſt eum d' Hancarvillius *tom.* 1. *pag.* 65. *tab.* 8. Quid igitur, an tabula quoque illa Iapponnenſis, qua teſtudo mari innatans et montem Meru vel arborem paradiſiacam portans, exhibetur, ad Indicum Vishnu et Brahmanum theodotiam non erit referenda? Ceterum D. d' Hancarville, qui monumentum illud Iapponenſe in ſuis diſquiſitionibus affert, ſaltem paucis innuere debuerat, ſe illud ab aliis eſſe mutuatum, ac iam anno 1749. illud Venetiis et alibi elucubratum fuiſſe.

Brahmanicam traditionem de dulcicula caeleſti potione, ſeu de immortalitatis cibo ambroſia aut nectare longe ante Chriſtum natum gentes pervaſiſſe, aut potius univerſalem omnium gentium fortaſſis ab ipſa ſua origine traditionem eſſe, colligere poteris ex tumido gentium cenſore de Paw *tom.* 1. *pag.* 331., ubi contendit Scythas, Perſas, Tibetanos, quin et ipſos Sinenſes hunc immortalitatis potum acri ſtudio quaeſiviſſe. Lubens fateor hanc communem eſſe in omnibus ſcholis cantilenam. Sed cur, aut quomodo in omnium gentium ſcholas irrepſerit, hoc nobis dicat loquaciſſimus homo. Imperator Sinicus, ut idem habet de Paw, *Schi-chuan-di* nomine, circa annum 200. ante Chriſtum natum naves pelago commiſit, ut apud exteros herbam medicam conquirerent, ex qua immortalitatis potum elicere poſſet. Anno 157. ante Chriſtum natum Imperator *Ven-ti* ex potione occulta eiuſdem nectaris, quod ſibi male paraverat, in ipſo aetatis ſuae flore occidit. *Et quidem in hac regia Pequinenſi, in qua degimus, pauci ſunt omnino magiſtratus, eunuchi, ceterique primores, qui non hoc inſaniae morbo laborent. Et quoniam non deſunt diſcipuli, ita neque magiſtri, ſuperioribus tanto cariores, quanto immortalitatis per ſe maius eſt ſtudium, & acrio-*

ribus ignîculis excitat ambientes. Expedit. P. Trigault apud Sinas *pag.* 102., *apud de Paw pag.* 336. Idem fere, ſi ita loqui licet, fanaticiſmus obtinet apud Indos et Tibetanos, quamquam Indi diſtinctiorem de ſuo *amrdam* habere videantur notionem, neque herbam eſſe arbitrentur. Quid igitur eſt aliud haec ambroſia tam ardenter conquiſita, quam ipſum immortalitatis donum a Deo primo homini promiſſum, ſi mandatis eius adhaereret, neque ex arbore boni et mali vetitum fructum comederet? Cuius quidem praecepti traditionem, paradiſi notionem, geneſis denique Moyſaicae notitiam in obſcuriſſima caligine demerſam, apud has gentes revelationis lumine deſtitutas reperiri, luciditſima argumenta probant. Vocabularium Brahmanicum Amaraſinha *ſect. Sorggavarggam* ſeu cap. de caelo, amrdam ſeu ambroſiam ita deſcribit: അമൃതം amrda, പീയൂഷം piyûsham, സുധാ ſudhá, *immortalitas*, *ambroſia*, *plena ſatietas*. Inde derivatur അമൃതാശനം *cibus regius*, *plena & ſatians refectio*. Statim poſt hanc dictionem vocabularium ſubiungit: സുമേരു ſumeru *pulcher mons Meru*, ad quam vocem R. P. Hanxleden in ſuo dictionario habet: o monte da gloria todo de ouro, *mons gloriae totus aureus*, deinde proſequitur Amaraſinha: രത്നാസനം raetnáſena *ſedes pretioſa*, *ſedes aurea*, tum സുരാലയം ſuráleya *domus*, *habitaculum ſolis*, hoc eſt primi Indici dei, qui veri Dei ſymbolum eſt. Igitur mons Meru ex doctrina Indorum mons gloriae et paradiſus eſt, in quo deus immortalitatem diſpenſat. Ibi pariter ſtat കല്പവൃക്ഷം kalpavrksham, immortalitatis, firmitatis et iuſtitiae arbor. Montem hunc ſeptentrionales Indi aeque ac auſtrales venerantur, eiuſque nomen ſcribunt सोमेरु Someru. Tibetani, qui eum gradibus myſticis diſtinctum eſſe putant, ſolem, lunam, et lahas ſuos ſeu

ſeu planetas Indicos et Tibetanos deos in eo degere et contemplari affirmant, nomenque huius montis ſcribunt རི་རབ་ Rirou, vel Righiel lunbò, quod ſi ad Samſcrdamicam etymologiam reducas, erit ഋഷി Irushi, corrupte *Rigi vel Rishi lunbo*, mons contemplatorum, ſeu deorum planetarum beatorum, qui ibi deum ſolem et lunam contemplantur et adorant. Ad auſtralem huius montis partem Indi et Tibetani conſtituunt arborem ചാമ്പ ciamba, Indoſtanis जामुन giamun, Tibetanis zampu dictam, quae omnia unius eiuſdemque vocabuli *clámba* corruptiones ſunt. Haec arbor in Indiis ſatis frequens, a Luſitanorum colonis, qui in India diſperſi habitant, lingua Luſitana corrupta *iamboeria* vocatur. Fructum vero eius, qui pomum eſt viride intus pulpa lactea repletum, et indole ſua calidiſſimum, iámba, vel pomum Adami appellant. Denominationis huius ratio fuit, quod Luſitani cum primo in Indiam appulerant, ciámba arborem in paradiſo gentilico, hoc eſt in monte Meru ſatam eſſe, ab eaque bonam & malam humanam ſortem deſcendere a gentilibus narrari audiviſſent. Quare Nepalenſes Indi & Tibetani, ad quos certe Luſitani numquam penetraverant, huius paradiſiacae arboris notitiam aut traditionem iam ab antiquiſſimis temporibus poſſidebant, atque ut ſupra ex P. Marco vidimus, per fructum eius, ſeu ſuccum ex mortiferis illius pomis expreſſum Stygem inferni flumen efformari credebant, quod certe arborem illam primam paradiſiacam omnis mali auctricem ab Indis credi palam & aperte probat. Quia vero allegorica illa paradiſi arbor una eademque bonum ſimul & malum fructum proferre haud poſſe, Indis antiquis videbatur, aliam in eodem paradiſiaco monte Meru exſtare effinxerunt arborem, quae പരമജാദിക paramagiádika, non autem ut P. Marcus corrupte ſcribit, paragiátek, vocabatur. പരമ parama in lingua ſacra Samſcrdamica vocatur *res excellentiſſima*,

Sic

Sic v. g. പരമൻ paramen, *ens excellentiſſimum*, *ens ſupremum Deus*. ജാതിക്കാ giádika *nux* eſt *myriſtica*, ſeu nux Malacenſis (noce moſcata), unde arbor illa bona paradiſiaca, quae bonum, ſalutiferum, ſeu aeternae vitae fructum ferebat, arbor eſt nucis myriſticae. En itaque longo ratiocinationis uſu & tempore, communi & populari Indorum opinione duas in paradiſo arbores confictas! Libri Brahmanici vetuſtiſſimi, qualis eſt Amaraſinha, unam tantum in paradiſo arborem admittunt, arborem immortalitatis, iuſtitiae & firmitatis. Populus Indicus, cui ſymbola & imagines ad religionem aeque tam neceſſariae ſunt, ac oryza ad phyſicam vitam ſuſtinendam, de arbore kalpavrkſham iuſtae ideae aſſequendae impar, allegoricae arbori paradiſiacae unius eiuſdemque, quae vitam & mortem dat, vitae attributo ſubſtituit ſymbolum arborem nucis myriſticae, arbori autem paradiſiacae mortiferae arborem ciámba, & ſatis quidem apte. Nam nucem myriſticam, ſi edatur, cerebrum mire afficere, menti hilaritatem, corpori vires, ſtomacho robur, ſenſibus vitam tribuere, quis eſt qui ignoret? Quare regibus Indicis in deliciis eſt, & praecipuum oryzae & ciborum Indicorum condimentum. Pomum vero Indicum lacteſcens ciámba dictum, calidiſſimum, ac quadam mortifera virtute narcotica refertum, ut robuſtiſſimi ſtomachi virum deiiciat & proſternat, eſſe fertur. Quare dicitur hodiedum pomo illo abortum procurare ſcelerum adiutores Indos, & dum capitali odio torquentur ſucco pomi ciámba vaccino lacti immixto occultis artibus hoſtem e medio tollere. Haec anxie & ſollicite lectori tradere voluimus, ut fabulis & ſymbolis Indicis certa & inconcuſſa principia poneremus. Arboris ciámba ectypon deſcriptum habes in Alphab. Tibet. *tab.* 1. *ad pag.* 472. *num.* 34. Apud Pivatium *tom.* 8. *tab.* 20. *fig.* 2. In horto Malabarico (1) *tom.* 1. *fig.* 18.

Ad

(1) Hortus Malabaricus. Amſtelodami apud viduam Iohannis Van Somern. 1689. *tom.* 1. *fig.* 8. ſub voce *Ndtus-hàmba*, quod ad indolem pronuntiationis Italicae ſcribendum eſt nátu ciámba, id eſt ciámba indigena Malabarica, cuius malum an mortiferum ſit, ignoro.

Ad pedem montis Meru ex quatuor ſaxis iuxta caudicem arboris kalpavrksham, quatuor ex opinione Indorum et Tibetanorum oriuntur fluvii, qui luſtrandi & peccata expiandi virtute gaudent, nempe Ganges, Indus, et alii duo Pahkiu & Sita Tibetanis dicti. Vide de his 4. fluviis ex Paradiſo Indico manantibus in Alphab. Tibet. *pag.* 345. *& ſeq.* ubi etiam multa ex D. De Guignes afferuntur, et duplex Meſopotamia et Aethiopia ſcite et litterate diſtinguitur. Confer etiam librum inſcriptum: *Itinerarium orientale R. P. Philippi a SS. Trinitate Carmelitae Diſcalceati Lugduni anno* 1649. *lib.* 3. *cap.* 10. *pag.* 147. *& ſeq.* ubi non ſolum Indum et Gangem e Paradiſo effluere auctor docet, ſed etiam rationem tradit, qua quatuor illi fluvii in S. Scriptura expreſſi, revera ad montem Taurum unam originem habere, et inter ſe communicare dici poſſint. Confer denique ea, quae nos ſupra de monte Meru docuimus in opere *pag.* 124. 129. 130. 131. 132. Ex quibus omnibus ſane liquet, traditionem Indorum non ſolum cum omnium gentium traditione convenire, ſed etiam obſcuram Geneſis Moyſaicae notitiam apud Brahmanes revera exſiſtere, atque ſyſtemata philoſophica antiquiſſimis Hebraicis traditionibus ſuperaddita eſſe, aut denique antiquitus eas his populis communes fuiſſe.

His poſitis et iam ſtabilitis, videndum nunc, an hae ipſae traditiones in Sinas perlatae fuerint, et quomodo fuerint ibidem corruptae. Incertus auctor codicis manuſcripti (*Dialogus Sinam inter & Europaeum occaſione motuum, quos errantes quinque ſtellae valde inordinatos habent, ex veteribus libris Sinenſibus canonicis* inſcripti et in bibliotheca S. Congregationis de Propaganda Fide exſtantis, ita habet: *In libro King refertur de* Lien-Chan *ſeu de duplici monte, quorum alter alteri eſt impoſitus, item de figura*  Kien *nuncupata, quae perennitatis ſymbolum eſt*. Ad marginem eſt ſcriptum. *Hic mons paradiſiaci montis inſtar eſt, ut alibi oſtendemus*. Deinde *pag.* 26. proſequitur: *Antequam primi parentes a virtute deſciviſſent, pulchrum incolebant locum & deliciis affluentem. In antiquis codicibus locus ille vocatur*  Kieou, *& dicitur terra fuiſſe altior ac ſublimior. Antiqua for-*

ſorma characteris  *erat huiuſmodi* , *vel* , *& in utraque manifeſte apparet imago duorum hominum in plana terra conſiſtentium. Veteres hunc locum ſummis laudibus extulerunt. De quo liber antiquiſſimus* Tſu *ſic loquitur*: Iuxta morem pennatorum hominum tendam ad immortalitatis montem, & habitabo in antiqua patria, ubi morti non erat locus. *Quae verba explicans commentarius*, mons immortalitatis, *ait*, locus eſt diu noctuque ſemper ſplendens. *Poſteriorum aetatum haeretici characterem*  *interpretati ſunt medicinam quamdam, quae in camino parari poſſit ad vitam immortalem conſequendam.* Deinde pag. 27. proſequitur: *In libro quo promittitur immortalitas legitur*: Fons nuditans (fons loci cuius incolae nudi ſunt (annos ſiſtit, ſeu amovet ſenectutem & ſpiritale lignum vitam producit. Ii quibus horum uſum natura conceſſit, aetatem proferunt in longinquum ſine termino. Adde his *tab.43.fig.3.tom.8. in Pivatlo* montem Meru ſeu truncum arboris vitae apud lapponnenſes exhibentem, de qua ſupra diſſeruimus. Adde tabulam Borgianam Indicam autographam ex ipſis canonicis Indorum libris explicatam. In has tabulas & monumenta oculos & animum intendat de Paw, Holwel & Bailly, gentes Aſiaticas ex monumentis, ex ipſarum lingua, ex codicibus Indicis & Sinenſibus diiudicent, non autem ex palato, cerebro, commentis, & ſomniis ſuis, videbuntque gentes illas minus delirare, quam delirent hi ipſi ſtolidi gentium praeceptores & cenſores. Scio equidem harum traditionum veritatem apud illas gentes in ſatis obſcura caligine demerſam latere, verum ubi revelationis lumen deeſt, fabulae & ſomnia ſuccedant oportet, atque huius rei evidens argumentum ſunt hi ipſi Indi, Tibetani, Sinenſes, & philoſophi noſtri. Horum aliqui illos ſuper aſtra extollunt, eiſque antiquitatem pene infinitam tribuunt contra ipſos eorum codices, traditionem, & monumenta, alii eos fungos eſſe exiſtimant contra hos ipſos eorum codices, traditiones & monumenta. Interea id unum certum fixumque manet, gentes illas cum aliis convenire, & omnibus unam eamdemque originem eſſe. Confer

ſer Iacobi Zimmermanni opuſc. *tom.1. part.2. pag.762. edit. Tiguri* 1751. de atheiſmo Platoni impacto.

Tertia incarnatio dei Vishnu, quam വരാഹാവതാരം varâhavadâram vocant, eſt deſcenſus in aprum. Haec incarnatio in pictura Indica autographa Borgiana ita exhibetur.

Mare nymphaeae floribus refertum viſitur, & in eo iacet proſtratus Irannya gigas flammeus & horridus, gladio eius ad latus, tamquam ex manibus excidiſſet, exſtante. In mari ipſo ad latus gigantis ſtat victor deus Vishnu fuſco colore totum humanum corpus gerens, & capite aprino inſignitus, ex cuius ore dens aprinus prodit; cui terra munimentis & turribus inſtructa in loto contenta, inſidet. Terram hanc Vishnu in aprum incarnatus ex mari incolumem ſuſtulit, & Irannyam, qui eam in aquarum abyſſo ſubmergere adlaborabat, devicit. Haec pictura quamvis in muſeo Borgiano exſtet, heic non exhibetur; incarnatio enim iſta ad duas praecedentes referenda eſſe videtur, uti eam referunt Calcuttenſes Angli. Illi, qui eius cognoſcendae deſiderio tenentur, adire poſſunt Pivatii *tom.8. tab.21., fig.1.* Sonnerat *tom.1. p.286.*, et P. Marcum a Tumba *in cod. manuſcript. muſei Borgiani pag.164.* ubi ex ſententia Indorum Nepalenſium animadvertit, Irannyam daemonem corruptionis humani generis prima mundi aetate cauſſam fuiſſe, inde mundum praecipitem mergi coepiſſe, ac proinde tres iſtas primas dei Vishnu incarnationes ad diluvium referendas eſſe. Aprum hiemis ſymbolum eſſe putat Macrobius *Saturn.* lib.1. cap.20., *quod biſpidus & aſper gaudeat locis humidis & lutoſis, pruinaque contectis*. Hoc ſi concedas, facilis redditur ratio, cur Vishnu apri formam induerit in diluvio univerſali. Verum quia Brahmanes aprum hunc വരാഹം varáha, കിടി kidi, & സൂകരം ſugara, id eſt aprum montanum & ſilveſtrem vocant, etiam fortitudinis, ferocitatis ac vindictae ſymbolum eſſe poteſt; dente enim terram ſuſtinet, quod fortitudinem ſignificat, ferox eſt, quia Irannyam dente proſtravit, & eius ventre proſciſſo, ſanguinem etiam illius exſuxit. Haec itaque incarnatio iterum apertiſſime indicat, chronologiam & hiſtoriam Indicam diluvii uni-

Digitized by Google

verſalis epocham non excedere, ac proinde amentiſſimum, atque omnibus conſiliis expertem & devium D. Holwel, qui ex Indicorum geniorum aetate Indicam chronologiam texit, vaniſſimis commentis Europaeis hominibus imponere voluiſſe.

Quarta incarnatio dei Vishnu vocatur നരസിംഹാവതാരം narasinhavadáram ſeu deſcenſus in hominem & leonem, id eſt in animal ex homine & leone conſtans. Daemon Irannya ſaepe occiſus, iterum iterumque in mundum redux ab omnibus coli, adorarique voluit. Reſtitit Pragaladen homo antiqua virtute & fide, qui ideo ab Irannya vehementer fuit exagitatus. Vishnu hominis, leoniſque forma Irannyam vincit, devotum ſibi Pragaladen a vexatione illius eximit, cultum ſui ipſius populis ſuadet. Huius incarnationis tabula in muſeo Borgiano deeſt, eam tamen exhibet Pivatius *tom* 8. *tab.* 21. *fig.* 2. R. P. Marcus a Tumba hanc incarnationem ad ſupplicium 3. puerorum a Nabuchodonoſore irrogatum referendam eſſe putat. Verum quo argumento, qua coniectura, quanam ratione? Nullum huius rei nec in lingua, nec in ſymbolis, nec in Brahmanicis libris indicium adeſt. Multo itaque probabilius eſt, has incarnationes ab antiquis Brahmanibus conficta fuiſſe, ut cultum dei Vishnu primaevum ſtabilirent, populumque per praemia virtuti propoſita, & per vindictam crimini praenuntiatam in officio continerent. Excuſſis per diluvium terrae cardinibus, peccati ratio maior haberi coepit, atque Vishnu deus, virtus nempe illa mundi conſervatrix, ſaepe in hunc mundum introducitur, ut malos caſtiget, bonis adiutorem ſe praebeat & ſocium virtutis.

Quinta incarnatio fuit in വാമനൻ Vámana, ſeu in pygmeum. Regem quemdam nomine ബലി Bali, fingunt deis hominibuſque in hoc mundo infeſtum fuiſſe, & hunc regem revera exſtitiſſe aliqui arbitrantur. Verum liber Amaraſinha *ſect. Pádálavarggam* tradit: Bali inferni ſeu limbi praeſidem eſſe, & huic libro plus fidei adhibendum, quam vulgi fabulis, quae incerto ore circumferuntur. Bali ergo daemon eſt, quem deus Vish-

Digitized by Google

Viſhnu devicit, & hunc eumdem Bali ſingulis annis e limbo progredi credunt, atque mundum hunc inviſere. Deus Viſhnu hunc ſingulis annis coercet, & ad limbum relegat, unde feſti onam menſe auguſto in Malabaria (1), alibi vero menſe novembri, quo Indi novis induti veſtibus inter ſe certamina ineunt, flores per compita ſpargunt, & abundantiam frugum adeſſe teſtantur, celebratio inſtituta fuit. Vide de hoc feſto Sonnerat *tom. 2. lib. 3. cap. 5. des fetes des Indlens*. Limbus itaque ſeu mundus ſubterraneus പാതാളം pádálam dictus, in vocabulario Amaraſinha aperte ബലിസദ്മഃ Baliſatma, id eſt domicilium ſeu habitatio regis Bali vocatur. Unde quemadmodum Viſhnu cum Irannya inferni daemone conflixit, ita quoque limbi praeſidem Bali, alioſque tyrannos devicit (2). Ex quo argues D. Chambers,

(1) De feſto onam in Malabaria confer Iohannis Facnndi Raulinii hiſtoriam eccleſiae Malabaricae *pag.* 251. & de iuramentis popularibus Indicis *pag.* 259. *Prohibet synodus* (Diamperitana (*ne Christiani*) *hoc* (onam) *vel aliud quodcumque festum celebrare audeant . . . eo quod infideles sibi prorsus superstitiose persuadeant, quod ii, qui huiusmodi spectaculo occiduntur, statim rapiantur in caelum*. Decr. IV. *de reformat. morum*. Igitur in caelum rapi putant, quia tali pugna & morte daemoni, qui mundi imperium ambit, ſe reſtitiſſe, & pro deo Viſhnu mortem opetiiſſe credunt. Iam vero non eſt veriſimile Indos in memoriam olim acceptae cladis a Belo aut alio aliquo rege, ſponte ſe morti tradere velle. Religionis itaque, non autem hiſtoriae verae heic ratio eſt ſpectanda.

(2) Confer Plutarchum de *Ei apud Delphos*, ubi ex veterum theologorum ſententia & doctrina, *Deum interitus expertem, atque aeternum mutationibus sui uti, varias omnisque generis formas induere, diversisque se affectionibus & facultatibus obnoxium facere* dicit, id quod incarnationum harum Indicarum baſis eſt. Deinde proſequitur Plutarchus: „ Sapientes autem iſthaec „ vulgus hominum celantes mutatio„ nem in ignem Apollinis ob negatio„ nem multitudinis, & Phoebi ob pu„ ritatem nomine afficiunt. Mutatio„ nem autem in ſpiritus, aquam, ter„ ram, ſidera, ſtirpes, atque anima„ lia, eiuſque diſpoſitionem divulſione „ quadam, & in membra diſtractione „ per ambages proponunt, ipſum deum „ Dionyſium, Zagreum, Nyctelium, „ & Iſodetam appellant. Interitus etiam „ quoſdam, & e medio ſublationes, „ mortes, rurſumque in vitam reditus „ conſentanea dictis mutationibus aeni„ gmata agunt, canuntque Baccho dithy„ rambos, plena motuum animi & mu„ tationum carmina cum vagis erroribus „ & circumcurſatione coniunctarum. „ Apollini autem canunt Paeanem, car„ menque modeſtae camenae. Hunc „ ſemper iuvenem & ſenectutis exſor„ tem, illum multiplici forma varia„ que ſpecie pingunt, atque fingunt „. Certe in India Krſhna deus ſeu Apollo ſemper iuvenis & niger ob pulchritudinis

bers, P. Marcum a Tumba, alioſque, qui hanc incarnationem ad Belum Aſſyriae regem, aut alium aliquem Indiae domitorem referunt, incertis conieċturis ludi. ബലി bali in lingua Samſcrdamica etiam ſacrificium eſt, quo daemonibus ſeu potius larvis in limbo errantibus, quas ഭൂതങ്ങഃ bhùder vocant, oryza noċtu edenda exponitur. Qūod iterum indicat, Bali, non verum, ſed fiċtitium regem eſſe. Adde, quod omnes hae Vishnu dei incarnationes unum auċtorem habere videantur, qui eas unus ex ordine confinxiſſe, libris commendaſſe, & populo tradidiſſe videtur, quod quidem nunc noſtra non intereſt inquirere. Huius incarnationis tabula autographa in muſeo Borgiano exſtat. In ea deus Vishnu nanus umbella inſtruċtus manibus aquam excipit, quam eidem ex amphora & pelvi infundit rex Bali ad ſe lavandum. Ritus iſte infuſionis aquae in manus Brahmanum, ſpecies ſacri iuramenti eſt, quo reges aliique diis & Brahmanibus de promiſſo ſanċte ſervando obſtringuntur.

Sextae incarnationi, cuius ſub articulo Shrirāma *pag.* 135. tabulas duas, nempe XVII. & XVIII. iam dedimus, heic aliam tabulam Indicam autographam littera *C*. ſignatam ex muſeo Borgiano adiicimus, ut articulo illi tota quanta eſt praeclara & magnifica lux accedat (1). Tabula haec exhibet bellum Shrirámae cum Rávana, ſeu ipſam pugnam Bacchi iunioris cum Plutone. Ad ſuperiorem marginem viſitur municipium illud celebre, quod Pluto fingitur in inſula Ceylan poſſediſſe. Simiae & urſi Shrirámae dei comites & inſignes bellatores praeſidium illud obſederunt, eoquę capto Rávanam cum toto ſuo gigantum hominumque exercitu in apertum belli campum exciverunt. In hoc ex parte ſiniſtra ſuperius primus curru & albis quadrigis vehitur *Lekshen* frater dei Shrirámae ſagittam in *Indracittren* gigantem, qui ei ex adverſo occurrit, evibrans. Hunc e ſuo

nis ideam quam nigredini affixam gerunt, fingitur, Bacchus vero ſeu Shiva & Shriráma ſub varia & multiplici forma exhibetur. Illi praecipue mulieres ſunt devotae, eique dulce carmen canunt, huius geſta plenis buccis, & crepitantibus verbis hodiedum ante delubra recitantur.

(1) Omnis haec fabula perſpicua fiet, ſi leċtor conſideret a Brahmanibus paradiſum ad ſeptemtrionem in monte Meru, infernum vero ad auſtrum in inſula Ceylan collocari.

e ſuo curru deiecit, ſtantque ſonipedes duo, quos delapſo curru vacuos manu tenet gigas alter aſinino capite inſtructus. Sub hoc primo ordine alter ſubeſt pugnantium conflictus dei Shriramae cum Rávana, quorum ille ſtans, & colore fuſco totum corpus pictum gerens in Rávanam ſagittam emittit, reſectiſque manibus, aſininum caput Rávanae, quod ſuper cetera decem capita eminet, ferit, atque polycephalum hunc gigantum principem viginti brachiis, ſagittis, ſecuribus, gladiis & clypeis inſtructum proſternit. Hoc monſtro ingenti, horrendo & teterrimo confecto, ſimiae in exercitum eius irruunt, comites illius gigantes, homines, elephantos et equos invadunt, disiiciunt, enecant, lapidibus obruunt, denique ſimici hi milites occiſorum corporibus belli campum replent. Shriráma ſimiis hoc in mandatis dederat, ut cum primum ſuo arcui admotas viderent manus, ſtatim lapidibus Rávanae copias impeterent, ne ſi anceps aut incerta ſagitta ſine caede caderet, belli fervor langueſcere, aut is ipſe timore vel periculo urgeri videatur. Quare in hac Borgiana tabula fere omnes ſimiae rubea ſaxa & ramos palmae Indicae ferre, & iis Rávanae, hoc eſt *noctis dei*, qui mortem catenis alligatam ſecum ducere dicitur, exercitum impetere cernuntur. Simiis nempe hic praeliandi modus familiaris eſt, quod omnes ii norunt, qui naturalem huius animalis hiſtoriam vel obiter legerunt. Rávana ſeu Pluto ditiſſimae inſulae Laenga ſeu Ceylan rex magno apparatu bellico Shrirámae occurrerat, quia divitiarum & theſaurorum deus eſt. Ex adverſo Rávanae ſub Shrirámа pugnante ſtat Hanuman Silenus ſimiarum dux & pater, fuſco colore corpus pictum gerens, cornubus inſtructus, & iunctis ac elevatis manibus Shrirámam victorem adorans (1). Confer epiſtolam D. de Coſſigny ad Sonnerat ſcriptam *cap.* VI. de l'Ile de Ceylan *p.* 98. 99. 100. Septi-

(1) De hoc itaque Baccho Indico canit Virgilius *lib.* 6. *Aen.*

Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis
Liber, agens Nysae de vertice tigres.

Et Dionyſius in ſitu orbis:

Haec & Thebani Dionysi terra columnae
Monstrat ad Oceanum, atque extremi littora ponti
Montibus Indorum, qua vasto gurgite Ganges
In mare se volvit, Nysaeam impellit & undam.

Et infra:

Ut genus Indorum nigrorum Marte feroci

Per-

Septima incarnatio dei Vishnu, cuius tabula muſeum Borgianum deſtituitur, fuit in ബലഭദ്രരാമൻ Belabhadraráma, ſeu in heroem quemdam mira fortitudine praeditum, quod *Belabbadra* ſignificat. De hac incarnatione paucis agit Sonnerat *tom.1. pag.293.*, Pivatius, P. Marcus a Tumba, aliique, quos vide. Haec facta fuiſſe creditur, ut Vishnu gigantes, hominesque ſuperbos contereret, cultum deorum ſtabiliret, ſacrificia & oblationes reſtitueret, iuſtitiam publicam exſulem revocaret.

Octa-

Perdomuit, montes Emodos (Imau) *scandit*

Ad haec paucis obſervandum eſt: In tabula Borgiana Indica autographa tigribus urſos ſubſtitutos reperiri, quia urſi ad montes Gattes verſantes ipſis tigridibus ſunt ferociores. Deinde ſileni & ſimiae ramos palmarum ferunt, quia ex palmis Indicis vinum aráka vel tágaram dictum elicitur & conficitur, quod dum recens eſt, dulceſcit, idque ſimiae ex una palma ad aliam ſaltitantes immiſſo in vaſculum, quo liquor arboris decurrens excipitur, capite potant, eoque inebriantur. Itaque palmarum rami hic pro uvis & pampinis, quibus Graecus Bacchus amictus viſitur, ponuntur, ſymbolum nempe ſolis generantis qui vinum producit, Indico climati idoneum & peculiare. Panem & Silenum in Indica expeditione Bacchi comites & magiſtros fuiſſe, Plato aliique veteres prodiderunt, & Clemens Alex. Panem ſuo tempore a Brahmanibus cultum fuiſſe docet. Quare Hanumaa deum, qui in hac tabula Borgiana cornutus deum Ráma Bacchum iunctis manibus adorat, Panem eſſe diximus. At Silenus fortaſſis eſt, qui pariter egregie vinum potaſſe dicitur, quod ramus palmae eidem ſemper appingi ſolitus, denotat. Cum hoc ramo ad pedes iacente eum exhibet tab. autographa Indica in muſeo Borgiano, ubi Hanumán ſedenti Rámae ſtans libellum ſupplicem porrigit, ut eum mittat in inſulam Ceylan ad quaerendam Sidam, quam eidem Rávana furto abſtulerat. Unde *Ovid.* 2. de arte amandi.

Ebrius ecce senex pando delapsus asello
Clamarunt Satyri surge age, surge pater.

Aſini in exercitu Bacchi numerantur, quia aſinus vitium, ac proinde & palmarum vinum exſtillantium, putationem invenit. Urſus praeterea, & aſelli, eorumque praeſepe, caeleſtia ſigna ſunt, & hi in cancro reperiuntur, qui dum comparent caelum purum & ſerenum futurum ſignificant. Unde Theophraſtus lib. de ſignis ait: *Asini praesepe cum purum splendidumque apparuerit, signum est futurae serenitatis.* Vide etiam Aratum *de signis aquarum & ventorum.* Tigridis pellem Baccho geſtamen veteres affinxerunt ob varietatem ſtellarum, quas maculae tigrinae pellis repraeſentant. Quare bene omnis haec fabula de Baccho ad ſolem refertur. Unde Orpheus in hymnis.

Primus it in lucem, at Dionysius dicitur idem
Immensum circa caelum, quod volvitur alte.

Hic idem ſol, & virtus dei mundi conſervatrix Plutonem, Rávana, daemonem, & noctis deum, qui Indiae nocere voluit, devicit, occidit, & regnum inſulae Ceylan alteri extradidit.

Digitized by Google

Octava incarnatio fuit in heroem aut regem പരശുരാമൻ Paraſuráma. പര para in lingua Samſcrdamica ſignificat *rem excellentem*, *ſuperiorem*, *reliquis magis inclitam*, ശു ſu praepoſitio *laudis eſt & honoris*, quae nominibus praeponi ſolet, ut elegantiam, aut bonitatem rei nominandae exprimat. Paraſurama igitur Rámam deum ſuperiorem, optimum, & reliquis excellentiorem ſignificat, & revera Indi ſeptentrionales & meridionales hanc incarnationem, ſeu Vishnu deum ſub hoc titulo incarnatum ſummis laudibus extollunt, quamquam ſatis diſcordes ſint in huius atque etiam aliarum incarnationum circumſtantiis ennarrandis, quin etiam non uno eodemque ordine eas receſeant, ſed e. g. hanc quam meridionales octavam, ſeptentrionales ſextam ſtatuant; id quod illi, qui Sonnerat & P. Marci codicem inſpexerint, facile animadvertere poterunt. Nos meridionalium Indorum theodotiam ſecuti, hanc in ſerie incarnationum octavam collocamus. Vishnu ſub nomine Paraſuráma incarnatus aeque ac Shriráma, qui unus idemque eſt, ex regno, ſeu potius ex urbe Ayodya, quae etiam Shrirámae patria eſſe fingitur, prodivit. Urbem hanc Rámae patriam R. P. Marcus geographiae ſeptentrionalis Indiae ſatis peritus ad flumen *Devà*, quod Ayodyam praeterfluit, & in Gangem prope *Ciaprà* decurrit, non procul ab urbe *Patnà* collocat. Itaque ex patria, ex nomine, ex geſtis, ex etymologia vocabuli Paraſuráma evincitur, unum eumdemque Vishnu ſub vario nominis Ráma ſeu Bacchi Indici involucro ſaepe a Brahmanibus exciri, atque in hunc mundum produci, ut modo hunc, modo illum tyrannum aut daemonem propulſet, vincat, enecet, et proſternat. Paraſuráma incarnatus fuiſſe, et totam Indiam perluſtraſſe dicitur, *primo* ut കൎത്തവീൎയ്യൻ Cartavìraguen, ſeu *dominum* et *potentem gigantem*, quod *Cartavìraguen* ſignificat, occideret. Ex quo iam liquet, quod incarnationum harum auctor ex natura rei, quam pertractare volebat, nomina effinxerit, et ea in perſonas transformaverit, ac proinde, quod hi gigantes nihil aliud ſint, quam perſonae con-

confictae ex nominibus v. g. fortitudinis, potentiae, crudelitatis, bonitatis, excellentiae, quae a parte rei non exſtant, ſed ſola imaginatione confictae inter ſe pugnas et clades gerunt, ut peccati et vindictae, vitii et virtutis, iuſtitiae et improbitatis inter ſe conflictus oſtendatur, ac populus per has fabulas erudiatur, aut in officio contineatur.

Secundo Paraſuráma inducitur, ut reges aliquos Indicos க்ஷத்ரியர் Kshetrier dictos, de quibus ſupra egimus, vinceret & puniret. Hi ambitione, divitiis, & voluptatibus a vero militari & regio inſtituto degeneres, crudele in populum dominium exercere, ſacrificia & cultum deorum negligere coeperant. Inducitur ergo Paraſuráma, Vishnu, ſeu virtus illa mundi conſervatrix incarnata, & haec tyrannos illos proſternit, punit, enecat, aut ad frugem reducit. Ex hoc ipſo argues, incarnationes has in ſchola Brahmanica iam conſtitutis regni principiis, & diſtributa in claſſes vel tribus Indica gente, ſeu cultu civili ſtabilito, confictas fuiſſe. Quomodo enim Vishnu ſeu Paraſuráma ad reges Kshetrier occidendos veniret, ſi iſti antea non exſtitiſſent, nec a regula ac inſtituto deſciviſſent? Confer codic. manuſcr. P. Marci *pag.* 167., alterum P. Ildephonſi a Praeſentatione *inter codices bibliothecae S. Congreg. de Prop. Fide*, Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 293., & alios. Ex hac aliiſque incarnationibus, ac praeſertim illa, quae de Shriráma ſeu Baccho Indico agit, inferri poſſe videtur, gentem Indicam iam anno circiter 250. poſt natum Abraham ſuos reges habuiſſe, ac civili aliquo cultu perpolitam fuiſſe. Ad illum enim annum Nyſam in Indiis conditam, Bacchi res geſtas & regum Pandavarum initia referunt S. Hieronymus, Euſebius, Clemens Alex. aliique. Vide *pag.* 209. *ſub nota*. Quare ambiguis, incertis, & futilibus rationibus ludi puto ipſum R. P. Marcum, dum in codice ſuo manuſcripto (1) *cap.* 2. *pag.* 24., & alibi ſaepenumero contra D. Holwell evincere nititur, Brahmanes ab Aegyptiis aut Perſis oriundos, atque a Cambyſe pulſos circa annum 540. ante

(1) *Osservazioni sopra le relazioni che fa M. Holwell Inglese de gl'avenimenti istorici ed interessanti toccanti le provincie del Bengala, e dell' Impero del gran Mogol, o dell' Indostano.* Exſtat inter codices manuſcriptos muſei Borgiani Velitris.

Digitized by Google

ante Chriſtum natum, & non antea, in Indias migraſſe, libros, leges, cultum Brahmanicum & Indicum tunc in India ſtabilitum fuiſſe. Non ignoro doctos viros Kaempherum id ipſum aſſeruiſſe, Frid. Samuelem de Schmidt coloniam Aegyptiacam in Indiam deducere, R. P. Georgium multa Brahmanica monumenta & litteras in Aegypto quaerere, denique D. De Guignes Seſoſtris irruptionem in Indiam, quin & in ipſas Sinas vehementer urgere. Verum quibus id tandem argumentis evincunt ante Cyrum, Darium, Cambiſem, quin & ante ipſum Seſoſtrim nullam in India religionem, nullas leges, nullum populum, nullum civilem cultum exſtitiſſe, aut Brahmanicas res cum Aegyptiis aut Perſicis ex aequo convenire? Profecto in obſcuriſſima caligine demerſa haec iacet veritas, & aenigma hoc numquam aperiri poſſe credo, niſi una & primaeva his gentibus omnibus origo ſtatuatur, & veteres gentium traditiones in uno fonte inquirantur. Septentrionales Indiae Brahmanes multi, ait P. Marcus, *Miſir* vocantur, hoc autem Aegypti nomen eſt. Deinde non procul ab urbe Patna Indica adeſt regnum Tirut (1), quod a loco Tirut in Africa, in quo olim hi Brahmanes conſederant, nomen illud Tirut acceptum gerit. Ad haec paucis reſpondendum. A nomine Mitra *ſol*, multos Indicos reges & Brahmanes hodiedum in India vocari, docuimus ſupra *pag.*2. Hoc autem vocabulum per linguas Indicas gentilitias & Europaeas mire corruptum fuiſſe oſtendimus *pag.*215. *ſub nota* (1). Talium corruptionum linguae ſacrae Samſcrdamicae plena ſunt omnia in codicibus manuſcriptis P. Marci, ſic v. g. ipſe ſcribit *pag.*7. *Il terzo dio creatore ſi dipinge con ſei faccie alluſive ai ſei libri di ſol-fa, o canto, chiamati ſanghit* संगीत. Hoc vocabulum manifeſte per linguam gentilitiam vulgarem Indoſtanam corrupte aſ-

(1) De regno *Tirut* Indico ubi academia Brahmanica exſtare dicitur, vide in Alphab. Tibet. *pag.*429. Hanc regionem ab Africano regno aut loco *Tirut*, in quo olim Indi Brahmanes habitaverint, nomen ſuum ſumpſiſſe exiſtimat R. P. Marcus. Regnum *Tirut* ſeu more Anglico ſcriptum Tyroot ſub gradu 26. latitudinis ſeptemtrionalis in India exhibet D. Bolts in mappa geographica inſcripta: *Carta di Bengala e delle sue dipendenze formata secondo il piano preso su i luoghi da W. Bolts*. Haec mappa exſtat ad calcem Vol. 1. libri inſcripti: *Stato civile, politico, e commerciante di Bengala*. *Anno* 1780.

fertur. സം. *ſam* in ſublimi lingua Samſcrdamica ſignificat *ſimul, iunctim*. Vide in grammatica Samſcrdamica *pag.* 14. കീർത്തനം kìrtana *verſus leoninus*, *laudatio*, *harmonia*, *concentus*. Vide dictionarium R. P. Hanxleden ſub voce *Sam*, & *Samkírtana*. Itaque vocabulum *ſolſa*, *o canto*, *ſanghit*, ut ab omni corruptione immune ſit, Samſcrdamice ſcribendum eſt *ſamkírtana*, vel littera *n* naſali *ſankírtana*, id eſt *concentus*, ſeu *vox ſimul cum cantu*, *melodia*, *harmonia vocum*. Infinitae ſunt tales corruptiones vocum linguarum vulgarium ex Samſcrdamica deſcendentium, ita ut non niſi peritiſſimus aliquis etymologiam earum eruere, & verae pronuntiationi reſtituere poſſit. Quis itaque non facile in eam pergat ſententiam, quae tenet, vocabulum *miſra vel miſir* a Mitra corruptum eſſe, ac proinde Brahmanes illos miſra, id eſt corrupte *ſoles* vocari, cum hoc ipſo vocabulo *Mitra* multos reges Indicos & Brahmanes vocari videamus, & hoc ipſum nomen Mitra in *miſra*, *mithra* & *mirda* fuerit corruptum? Vide *pag.* 215.180.151.114. in opere. Deinde, ſi Brahmanes illi Indici ex Aegypto in Indiam advenerunt, cur Aegyptium circumciſionis ritum ſacerdotibus illius terrae communem non retinuerunt, cur localem Indiae cultum montis Meru, fluvii Gangis, & Indi adoptarunt, cur crocodilos & caepas non adorant, cur Aegyptiaca ſymbola & hyeroglyphica non retinuerunt, cur antiqui libri Brahmanici omnes lingua SamſcrdamicaIndica per totam Indiam diffuſa ſunt conſcripti, & non potius lingua Aegyptiaca, cur antiqui Indici Gymnoſophiſtae ſe ſe in ignem cremandi iniiciebant, & ſiquidem Aegyptiaci in origine ſua erant, cur corpora ſua bene delibuta in ſarcophagis & monumentis condi nolebant, cur nullum Aegyptiacae originis ſignum aut monumentum attulerunt? Profecto ſi Aegyptii ſacerdotes in Indiam pulſi penetraverant, neceſſitate coacti diſcipulos, non autem magiſtros Brahmanibus hodiedum pertinacibus & ſuperbis ſe praebere debebant. Adde quod Pythagoras ad Aegyptios, Perſas & Brahmanes philoſophiae ediſcendae cauſſa acceſſiſſe fertur, quod Alexander magnus in ſua Indica expeditione Brahmanum ſcholam iam invenerit ſtabilitam, quod Indorum cultus

& re-

& religio una eademque in tota India ſemper fuerit univerſaliter & eodem modo extenſa, dogmata antiqua eadem, ritus iidem, non peculiares, inter ſe non diviſi, quemadmodum in Aegypto, ubi quaevis provincia, quaevis urbs ſua peculiaria numina habuiſſe fertur. Adde, Brahmanicae religionis baſim in aſtronomia & motu ſiderum ſitam eſſe, & fabulas pleraſque ad aſtronomiam, coſmogoniam et phyſicam reduci, quae quidem ex ſe obſcurae, ridiculae, inſulſae & contradictionibus plenae ſunt, dum ad litteram et ad hiſtorica ſacta reducuntur aut explanantur, perſpicuae autem & apertae redduntur, dum ad allegoriam, ad figuras, ad aſtronomiam et motum ſiderum referuntur (1). *Indi*, ait Herodotus *lib.3.*, *dumtaxat eorum quos ſcimus, de quibus aliquid pro certo narratur, primi ſunt hominum, qui in Aſia ad auroram & ſolis ortum habitant . . . Eorum autem complures ſunt gentes, atque eae lingua inter ſe diſſonae* (ut modo) . . . *Eſt aliorum Indorum haec diverſa conſuetudo, ut nullum animantem interimant, utque nihil ſerant, nec domos parandas exiſtiment, atque herba victitent*. En ergo Herodoti tempore metempſychoſim apud Indos iam ſtabilitam, en Gymnoſophiſtas iam tunc temporis huic dogmati addictos, atque oleribus et herba victitantes, et cuiuſcumque animalis occiſionem caute evitantes. Ne vero P. Marcus exiſtimet, Indos ſub Dario Hiſtapſe formatos fuiſſe, videat ſupra *pag.*125. *&* 124. verba Herodoti, quibus aperte docet, Darii tempore Indos illos, qui ad fluvium Indum habitabant, pugnaciſſimos, atque inter omnes, qui tunc noſcebantur mortales, numeroſiſſimos fuiſſe, atque ideo inter reliquas a Dario victas gentes gravius tributum pependiſſe. Gens itaque non nova, ſed ab antiquis temporibus legibus, arte militari, et religione perpolita erat. Quod de Cyro aſſeritur, id ex Diodoro et Strabone facile refelli poſſe videtur, nam Strabo ex Nearcho Cyrum ab Indis pulſum fuiſſe docet (2), quomodo autem pulſus fuit, ſi nullae tunc in India gentes, aut ſi hae

(1) Vide *pag.*205. 183. 173. 218. 68. 25. 30. 31. 34. 43. 44. 141. in ſyſtemate Brahmanico.

(2) Vide Diodori Siculi textum ſupra in ſyſtemate Brahmanico *pag.*140. De Cyro haec habet Strabo lib.15. *Nearchus ait, Alexandrum M. contendisse per Gedrosiam cum exercitu proficisci: cum intelligeret Semiramim ac Cyrum exercitum in Indiam duxisse, & illam cum* xx. *hominibus, Cyrum cum* VII. *aufugisse*.

nulla militari diſciplina, nullis artibus, nullis legibus aut religione perpolitae fuerunt (1)?

Eadem quaeſtio de Seſoſtri recurrit et maioribus difficultatibus obſepta eſt. Cur enim Seſoſtris in Indiam veniſſet, niſi quia eam divitem, locupletem atque excultam eſſe ſciviſſet? Cum quibus pugnaſſet? Marine aut terra iter illud immenſum, quod inter Aegyptum, Indiam, et Sinas intercedit, perfeciſſet? Si per mare, quomodo navibus papyraceis Indicum mare ſulcare et promontorium Comorinum circumnavigare potuit mille et amplius annis ante Chriſtum natum, quando ipſo primo vulgaris aerae ſaecu-

(1) De religione veterum Perſarum ita loquitur emunctae naris homo Strabo lib. 15. „ Perſae nec ſtatuas, nec aras „ erigunt, ſacrificant in loco excelſo. „ caelum Iovem putant. Colunt ſolem „ quem Mithram vocant, item lunam „ & Venerem, & ignem & tellurem, „ & ventos & aquam. Sacrificant in lo- „ co mundo cum imprecationibus & co- „ ronatam hoſtiam ſtatuunt. Cum vero „ magus, qui ſacrificio praeeſt, mem- „ bratim carnes in quemque diviſerit, „ abeunt nulla parte diis relicta. Prae- „ cipue igni & aquae ſacrificant „. Haec ſatis indicant veteribus Magis & Brahmanibus unam eamdemque religionem fuiſſe. Neſcio itaque quonam pacto, aut qua ratione Brahmanica religio a Perſica deduci poſſit, & non potius vice verſa Perſicam ab Indica deſcendere adſtrui queat? Sol, luna, planetae, ignis, tellus, venti, aqua, etiam prima & antiquiſſima Indiae numina ſunt, ut nos toto hoc opere docuimus. Carnis particulae ſeu arietini iecoris fruſtula hodiedum in ſacrificio Mitrae ſeu ſolis a primo ſacrificulo adſtantibus reliquis Brahmanibus edendae diſtribuuntur, ut nos ſupra *pag*. 5. *in opere* animadvertimus. Mitra ſolis nomen eſt, in libro Indico *Amarasinha* deſcriptum. Zoroaſter ſeu Zerá Tusht ſecundum Iuſtinum *lib*. 1. in Bactriana artes magicas invenit, & mundi principia, ſiderumque motus diligentiſſime ſpectavit. Vide *pag*. 238. *in opere*. Ipſa religio Indica quoad prima ſua principia tota ab aſtronomia & phyſica dimanat. Vide *pag*. 205. *& seq*. Quid igitur, an ab alio fonte Perſica, & alio Indica religio derivatur? Profecto unam ab alio deducere vanus & inutilis labor eſt, cum in origine ſua, in primis illis & antiquiſſimis principiis, non ſolum Indica & Perſica, ſed etiam aliae religiones ab uno eodemque fonte dimanent. Sol, luna, aether, venti, ignis, aqua, numina ſunt, & fuerunt omnibus gentibus communia, neque eſt cur Brahmanes ea ab aliis accepiſſe dicamus. His diis communibus addita fuerunt numina & ritus locales, & iſtis certiſſime Brahmanes a Perſis diſtinguuntur, illis vero cum reliquis orbis gentibus ad amuſſim conveniunt. Quare Calcuttenſes Angli in libro *Asiatick researches tom*. 1. *pag*. 349. ita diſſerunt: Mohſani Fani the very Candid and ingenious author of the *Dabistàn*, deſcribes in his *first Chap*. a race of old Perſian Sages, Who appear from the whole of his account, to have been Hindus; and we cannot doubt, that the book of Mahábád (Mahábhárada), which was written he ſays, *in a celestial dialect*, means the *Véda*; ſo that Zera Tusht was only a reformer, we find In India the true ſource of the ancient Perſian religion.

ſaeculo pauci promontorium illud circumierant (1), et Salomonis naves tres circiter annos navigationis ad inſulam Taprobanem ſeu Ceylan impendebant ? Confer de Seſoſtris itinere ad Sinas *Lettre du P. Parenin Miſſionaire a Mr. de Mairan a Pekin le 28. ſeptemb. 1735. dans les memoirs pour l' hiſtoire des ſciences & des beaux arts ; novembre 1739. a Paris chez Chaubert*. Ibi pleriſque argumentis, quae D. de Mairan pro Seſoſtris in Sinas irruptione affert, ſatisfacit, eaque ſcite refellit. Nullis ergo ſolidis rationibus evinci poteſt, religionem Indicam ex Aegypto in Indiam illatam fuiſſe, quin multa ſuadent, eam originalem & antiquiſſimam eſſe, et fortaſſis ad ipſos Aegyptios per Africam tranſmeaſſe. *Aethiopes* (ait Euſebius *Chronicor.* lib. poſt. edit. Scal. pag. 72.) *ab Indo* (nota bene) *flumine conſurgentes iuxta Aegyptum conſederunt*. Idem habet Syncellus apud Marshamum *pag.* 115. *c.* Et Eupolemus apud eumdem Euſebium *de praep. evang. lib.* IX. *Chus eſſe Aethiopum patrem & fratrem Mitzraim* aſſerit (2), Chus autem Bacchum Indicum eſſe ſuſpicantur Calcuttenſes Angli, et Reverend. P. Georgius (3), qui etiam duplicem Aethiopiam ſcite diſtinguit, atque Indos adſtipulante eidem De Guignes a *Chus* oriundos eſſe exiſtimat. Quod ſi verum eſt, alia profecto Indis antiquitas tribui debet, quam tribuat eiſdem R.P. Marcus. Philoſtratus *lib.* 3. *cap.* 6. de vita Apollonii ſcribit : *Erat aliquod tempus, quo Aethiopes conſederunt hac in*

(1) *Mercatores qui per Nilum & Arabicum ſinum ex Aegypto in Indiam navigant, pauci admodum in Gangem usque perveniunt.* Strabo l. 15. Quare Frid. Samuel de Schmidt *diſſertatione quarta de comerciis & navigationibus Ptolomaeorum* agens oſtendit, Aegyptiacam navigationem ſub Ptolomaeis ultra oram Malabaricam non excurriſſe. Vide *Samuelis Schmidt opuſcula quibus res antiquae Aegyptiacae explanantur*. Caroluſruhae *an.* 1765. Terreſtre vero Seſoſtris iter cum exercitu non ſolum improbabile, ſed etiam impoſſibile fuiſſe videtur omnibus illis, qui immanem illum terrae mariumque tractum, qui inter Aegyptum, Indiam, & Sinas intercedit, vel obiter conſideraverit. Tres annos itineri Indico impendebant Salomonis naves, neque illae umquam inſulam Taprobanem ſeu Ceylan praetergreſſae ſunt. Adde quod, Seſoſtrici belli in India & Sinis nullum verum ſignum, nulla certa traditio afferri poſſit, & Plinius *lib.* 6. doceat, Seſoſtrim ad inſulam Diodori, id eſt probabilius ad ſolius Africae fines duxiſſe. *Insula Diodori & aliae desertae. Oppidum Gaza, promontorium & portus Mossylicus, quo cinnamomum devehitur. Hucusque Sesostris exercitum duxit.* Plinius lib. 6. cap. 29.

(2) Ita legit Bochartus in ſuo *Phaleg. lib.* IV. *cap.* 2.

(3) Vide Alphabet. Tibet. *pag.* 348. *& seq.*

in parte, *gens Indica*, *Aethiopia enim nondum erat* (nempe Aethiopes ſeu Indos portans). Et lib. 4. c. 6. ait: *Aethiopes ab Indis venientes*. Et paullo infra: *Sapientiſſimi mortalium Indi ſunt*; *coloni autem eorum Aethiopes*. Profecto haec omnia de veris Indis dici liquet, ac proinde ab iis potius religio per Africam in Aegyptum penetravit. Migratio haec ex ipſo Euſebio Caeſarienſi in tempora ſervitutis Iſraelitarum in Aegypto circa annum a nativitate Abraham 402., ante Chriſtum natum annis MDC. plus minus XIV. referenda eſt. Syncellus *pag.* 151. reiicit eam in tempora Ioſue & Iudicum in annum mundi 2599. Vide *Iobi Ludolfi commentarium ad ſuam hiſtoriam Aethiopicam pag.* 62. & 63., ubi argumento non ſatis idoneo praedictum Euſebii locum refellit, dum ad lectionem illius textus Arabicam provocat. Confer S. Hieronymum epiſtola ad Paullinum, Vives ſuper *cap.* 17. *lib.* 14. *S. Auguſtini de civit. Dei*, ubi plura ad confirmationem argumenti noſtri congeſta reperies. Praeterea adde aperta illa & certa indicia, quae nos ſupra attulimus de doctrinae Indicae ad Tibetanos, Sinenſes, Peguanos, & Iapponenſes transmigratione, quam non ſolum ex monumentis, ſed etiam ex ipſis orationibus Samſcrdamicis, quae hodiedum in Tibeto & Iapponia ſunt in uſu, evicimus. Vide grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 28. 29. 30. 31. 34. 47. 59. Iapponnenſes hodiedum ſuum Amida deum ita adorant: NAMU AMIDA BUTH. Vide in Alph. Tibetan. *pag.* 131. Haec oratio ſi Brahmanicae ſinceritati reſtituatur, ita ſcribi debet: നമഃഅമിദഃബുദ്ധഃ namá, vel namò Amida Budha, id eſt: *adoratio* (namá) *Amidae Budhae*, nempe Mercurio. Vide *pag.* 154. & *ſeq.* de Budha. In hac oratione *nama* a Iapponnenſibus corruptum in *namu*, vocabulum Indicum eſt, et Samſcrdamicum, quemadmodum etiam *Budha*, quod corrupte tranſiit in *Buth*. Amida nomen eſt ipſum Iapponnenſe Budhae ſeu Mercurii, quem ipſi ſub canina facie ſubinde circulum in ore ferentem, alias ſedentem & meditantem ut Indi adorant. Vide Pivatium *tom.* 8. *tab.* 41. *fig.* 1. & 2. Has orationes P. Marcus, D. De Guignes, aliique, qui cum ipſis ſentiunt, ab Aegyptiis aut ex lingua Aegyptiaca deducant, atque cultum & ſymbola Brahmani-

manica, quin & linguae Samſcrdamicae vocabula in alias terras penetraſſe negent (1). Haec omnia non diſputandi animo attulimus, ſed unice ut cultum Brahmanicum antiquiſſimum & originalem eſſe oſtenderemus. Cenſores noſtri iudicent, & ſi lubet & vacat, meliora adducant.

Nonam incarnationem dei Vishnu in Krshna iam ſupra ad *tab.* XIX. & *pag.* 146. explicuimus. Illi quibus otium eſt, adeant codi-

(1) Amidam Iapponenſium & Fouhi Sinenſium vere Indicum Budha, Dhermam ſeu Mercurium, de quo nos ſupra *pag.* 154. egimus, eſſe, validiſſimis rationibus ex libris & characteribus Sinicis probat quidam Pekinenſis Miſſionarius e S. I. in fragmento epiſtolae autographae inter manuſcripta bibliothecae S. Cong. de Prop. Fide exſiſtentis. *Fouhi & Mercurius* (ait auctor) *iisdem symbolis adumbratus est: a Sinensibus quidem Fouhi per litteras suas & characterismos, ab Aegyptiis vero & aliis occidentalibus Hermes per imagines & statuas. Etenim Hermam pro symbolo canem habuisse certum est, id autem contigit sive ob fidem erga dominum, sive ob sagacitatem in inveniendo, seu demum quod in astronomicis peritissimus de ortu & occasu canis maioris & canicularibus diebus librum edidisset, atque ex aliqua solis cum hac stella coniunctione celebri suam epocham deduxisset.* Deinde probat auctor characteres quibus vocabulum *Taihao*, qui titulus Fouhi tribuitur, exaratur, caput canis & corpus hominis repraeſentare, ſi illae litterae ad analyſim reducantur. Fouhi vero nomine caniculam vocari ait; dies enim caniculares a Sinenſibus in tres partes diſtribuuntur, quae ſimul ſumptae *San* ſive tres *fou*, ſigillatim autem *Tcou-fou*, ſive prior fou, *Tchong fou* ſeu media fou. *Tchong-fou* ſeu poſtrema fou nuncupari ſolent. Confirmat argumentum ex eo, quod ſicut apud alias omnes gentes Dherma ſeu Budha vel Mercurius divini cultus ſigna, purificationes, & victimas aut oblationes primus inſtituit, ita harum rerum auctor etiam apud Sinenſes eſſe dicatur. Idem artes invenit. Paſſim, ait auctor, philoſophi Sinenſes idem affirmant. *Fouhi, inquit, Tcheou Tcin hien vices gerens sancti regis ad redintegrandum caeli consilium quod interruptum erat, & ad restituendum polum, factus est omnium aetatum doctor. Fouhi delineavit figuras 64. quae naturae simulacra sunt, addit Tching Ting yu. Hae autem sunt fons & principium litteratum ac orationis saeculorum omnium.* Ex his aliiſque, quae auctor uberius pertractat, aperte evincitur Fouhi Sinenſem, Amida Lapponenſem, Indicum Dhermam, Budham ſeu Mercurium eſſe, regem, philoſophum, planetam contemplatorem, ſolis primi dei conſiliarium, atque ad aſtronomiam referendum. Quare Pivatius *tom.* 8 *tab.* 41. *fig.* 1. exhibet Amidam Iapponenſem facie canina & circulum aureum manu tenentem, quem mordet, & eadem *tab.* *fig.* 2. exhibet eumdem Amida ſedentem, meditantem & orantem eo fere modo, quo Indi ſuum Budham, Peguani ſuum Gaudama & Siamenſes ſuum Sommonacodom. Vide *tab.* 30. *fig.* 1. 2. & 3. in Pivatio, & *tabul.* XV. *fig.* 2. muſei Borgiani, denique Alphab Tib. *pag.* 131. Ex his iam facile illuſtrabis, & in rectum ordinem reduces ea, quae de Mercurio ſeu Herma aſſerit Bergier in ſuo libro inſcripto: *l'origine des Dieux du Paganisme, tom* 2 *a Paris* 1744. *pag.* 292. & *seqq.* ubi *Màya & Herma*, vocabula Samſcrdamica erudite, ſed inepte explicat, & corrumpit, atque in obſcuris Graecorum fabulis explicandis oleum & operam perdit.

Digitized by Google

codicem manuſcriptum R. P. Marci in muſeo Borgiano, in quo *pag.* ſub litrera *A* in margine deſcripta reperient verſionem unius libri Indici a P. Marco *Laleccpuran* dicti. Vocabulum hoc corruptiſſimum eſt, & ſcribi debet ബാലകപുരാണം Bálagapurána, ബാലകം bálaga *puer*, *iuvenis*, *adoleſcens*. Vide dictionarium R. P. Hanxleden, Excellent. D. Pimentel Archiepiſcopi Cranganorenſis & P. Biſcoping ſub voce *bálaga* puer. പുരാ-ണം purána hiſtoria vetus ſive vera ſive ficta. Vide eoſdem. Balagapurána itaque ſignificat *hiſtoriam pueri*, nempe pueri dei Krshna, ſive geſta eius quae in pueritia exantlavit. In verſione illius libri ſatis rudi & originali textu deſtituta, quae tamen lingua Italica eum ſatis apte reddit, multa de ludo & nequitia dei pueri Krshnae cum puellis afferuntur, & ea illius verſionis auctor P. Marcus ridet, refutat, deteſtatur. Sed operae pretium erat librum illum diligentius examinare, atque tunc pene impoſſibile erat P. Marcum latere, omnia illa ad ſolem recens natum, ſeu recenter ex eclypſi emergentem, & cum ſtellis colludentem, eas replentem, pythonem ſeu ſerpentem, qui ſolem in eclypſi devorare fingitur, ſagittis, hoc eſt radiis occidentem, ad ſolem cum nudis puellis ſeu ſtellis iocantem referri, denique ſolem, lunam, planetas, & ſtellas inter ſe confabulantes repraeſentari. En ipſum R. P. Marci textum. *Canterò le lodi di Krishna, farò intendere li miſteri di Dio, di quel Signore, incomprenſibile, il quale non ha nè ſtirpe, nè compagni, il quale non ha nè caſa, nè figli, nè madre, nè padre, nel quale non v' è nè corpo, nè forma, non ha nè teſta, nè bocca, nè lingua, non ha parola, nè parla &c.* Haec certe ad Deum verum referuntur, cuius ſol ſymbolum eſt. Infra proſequitur.

Brama creò un grande inimico creando Cans.

Brahma dei virtus creatrix creavit Kamſa regem nempe Saturnum, qui deum Krshna puerum occidere volebat.

Li dei immortali, e gli uomini tutti fuggirono per paura di Cans.

Planetae in caelo & homines in terra fugiebant dum Saturnus ſolem iuvenem aggrediebatur.

Li

Digitized by Google

Li giganti divennero molto potenti nel mondo.

Mali genii aſtra nociva vehentes terrae mortiferi evaſerunt.

La terra era molto afflitta dal loro peſo.

Terram taedebat ob malum eorum influxum, Saturnus enim valde humidus eſſe creditur.

Perciò la terra, preſa la forma di vacca, ſe ne fuggì.

Fugit terra ſub forma vaccae fecunditatis ſymbolo.

E ſe ne corſe nel cielo di Brahma.

La ſi miſe a piangere alla preſenza dl Brahma.

Fugit rerra ad opem implorandam ad Deum Brahma creatorem rerum terreſtrium.

E diſſe: li giganti travagliano li religioſi.

Gigantes aſtra nociva obſunt planetis contemplatoribus, quorum bonus influxus terrae eſt neceſſarius.

Allora Mahadéva e Brahma s' alzarono in piedi.

Deus creator & deus deſtructor, ſeu virtus creatrix & deſtructrix, tunc ad preces terrae ſurrexerunt, cauſſam terrae acturi.

E chiamati tutti li dei

Aſtra, planetas, ſtellas, ventos, aerem, aquam vocant, ſeu genios ea regentes.

Andarono là, dove il primo uomo Iddio ſtava in contemplazione, luogo ſulla riva del mare di latte.

Iverunt ad primum Deum verum, ſub hominis forma in circulo ſeu mari lacteo ſuo paradiſo caeleſti et aſtronomico ſedentem, & res humanas ex alto contemplantem. Vide Macrobium *lib.*1. *in ſomn. Scipionis cap.*17. *&* 18. *pag.*80. *edit. Venet.*

E là gli fecero la ſupplica.

Uſcì all' ora una voce, che diceva a Vishnu.

Vox exivit a Deo primo & vero ad Vishnu, ſeu illam virtutem aut genium, cui conſervandi mundi onus incumbit.

Io (ait Vishnu) *per riguardo de religioſi, prenderò l' incarnazione, e leverò il peſo alla terra, riſtabilirò li religioſi, ed ucciderò li giganti.*

Ego Vishnu incarnationem ſubibo propter contemplatores planetas, praeſto ero, ut nempe terrae prodeſſe poſſint, occidam & diſpergam aſtra nociva, ſeu genios malos ea vehentes, aut animantes.

 Brah-

Brahma comunicò a tutti l' intenzione di Vishnu, tutti ſi conſolarono, e la terra ritornò nel mondo.

Brahma creator genius principalis annunciavit omnibus diis incarnationem dei Vishnu futuram, iique omnes inde gaudio affecti, terra etiam, quae ſub forma vaccae pro inſtaurando rerum ordine Brahmae ſupplicaverat, in mundum, orbitam ſuam rediit, et ipſa laetata eſt, quod Vishnu mundi conſervator incarnationem ſubeat.

Quelli, a cui Vishnu diede l' ordine,

Andarono a tranſmigrarſi in Goculam (città vicina a Madurè; dove doveva naſcere Krshna).

Nempe cum Krshna tranſmigrare, ſeu incarnationem ſubire debebant etiam alia aliqua aſtra, ut gigantes e terra profligarent, terraeque decorem ſuum reſtituerent.

Vishnu diſſe a Bhaváni di tranſmigrarſi anche ella.

Dixerat Vishnu, & hortabatur deam Bhaváni, Párvadi ſeu lunam, ut & ipſa tranſmigret, ſeu incarnationem ſubeat, atque ipſi ſe ſociam praebeat, nempe in favorem terrae . . .

Dietro a queſta Bhavani andò perduto Brahma.

Per l' amore della medeſima andò fuori di ſe Mahadéva.

Brahma genius creator & Shiva ſeu Mahadéva generator & deſtructor, virtus nempe creatrix & deſtructrix, ambae amore lunae correptae inſaniebant, hoc eſt, ei ſe coniungere adlaborabant, ut luna virtute illa ſua generativa & deſtructiva in res humanas terreſtres vehementius & certius ageret.

Per mezzo di queſta Bhaváni le genti delli tre mondi, cioè, cielo, terra e pádálam (limbo) ſi riſcaldano.

Per lunam generationis & corruptionis deam, ſeu per Venerem, quae gignere dat & mori, omnia in caelo, terra, & limbo ſubſiſtunt, omnia virtute & ſemine repleta germinant, caleſiunt, & gaudent &c. &c. Confer praedicta *pag. & ſeqq.* etiam reliqua, & meridiana luce clarius videbis, librum *Bálagapuránа* dictum ad aſtronomiam, ad coſmogoniam & phyſicam referendum eſſe, adeoque omnia ridicula & inſulſa eſſe, quae in contrarium adducuntur. Liber സംഭവം Sambhavam ſeu liber

de origine & genealogia deorum Indicorum tractans, his rebus plenus eſt, in eoque ſol & luna loquuntur; planetarum curam habere dicuntur, planetae eos contemplantur & adorant, hi ipſi bonos & malos diſcipulos ſeu aſtra ſecundaria regenda habent, haec aſtra in ſolitudine pugnant, loquuntur, fornicantur, et a planetis corripiuntur. Vide cumprimis cantum *Devayání bhágyam* dictum. Res itaque Krshnae, ſeu Vishnu dei pleraeque ad aſtronomiam, ad coſmogoniam, ad mundi gubernationem pertinent, qui pro varia neceſſitate varias formas ſuſcipit, ut mundum hunc gubernet. Atque haec de incarnationibus dei Vishnu dicta ſufficiant.

Libri, qui de his incarnationibus Indicis agunt, hoc ordine recenſentur: മത്സ്യപുരാണം Malſyapuránam, vel മത്സ്യകാണ്ഡം Malſyacándam, id eſt *hiſtoria de piſce*; കൂർമ്മപുരാണം Cùrmapuránam, vel Cùrmacándam, *hiſtoria de teſtudine*; വരാഹപുരാണം Varáhapuránam vel Varáhacándam, *hiſtoria de apro*, നരസിംഹപുരാണം Naraſinhapuránam, *hiſtoria incarnationis in hominem ſimul & leonem*, അയോദ്ധ്യകാണ്ഡം Ayòdyacándam, *geſta dei Vishnu vel Ráma in regno Ayòdya*, ആരണ്യകാണ്ഡം Arannyacándam *geſta eiuſdem in ſilvis*, യുദ്ധകാണ്ഡം Yudhacándam, *hiſtoria certaminum & bellorum* eiuſdem cum variis gigantibus & daemonibus, ſed cumprimis cum Rávana ſeu Plutone, ബാലകാണ്ഡം Bálacándam ſeu etiam Bálagacándam, vel Bálagapuránam, *geſta pueri Krshna*, ſeu Vishnu dei iuvenis etc. Hi libri omnes uno libro continentur, qui മഹാഭാരതം Mahábháradam dicitur. Mahá *magna*, bháradam *hiſtoria*, unde *magna hiſtoria* eidem nomen eſt. Haec hiſtoria Indica tota octodecim libris continetur, et ſubinde *Sambhavam* dicitur, ſeu geneſis rerum, deorum, heroum, bel-

Digitized by Google

lorum etc. Vide vocabularium Amaraſinha *ſect. de ſcientiis*. Aſiatick reſearches tom.1. §.18 *On the litterature of the Hindus*... Grammaticam Samſcrdamicam *pag*.74. In his libris diſcernendis et legendis obſervandae ſunt regulae illae, quas nos tradidimus in eadem grammatica *pag*.62. *& ſeq*.

ADDENDA ET CORRIGENDA

Ad tab.v. *pag*.29. additur figura Indica autographa in muſeo Borgiano exſtans floris tularſi, de quo etiam *pag*.19. mentio recurrit. Tularſi, ſpeciem ocimi ſilveſtris Malabarici eſſe, mihi dixit R.D. Antonius Gomes ſacerdos Malabaricus indigena, botanicae Malabarenſis peritiſſimus vir. Illi, quibus eius proprietates cognoſcendi animus eſt, hortum Malabaricum a nobis ſupra citatum inſpiciant.

Ad tab.VII. *pag* 74. *& ſeq*. notandum eſt, deum Brahma in monumento Borgiano exhiberi quatuor faciebus, et mentis barbatis. Itaque expungenda ſunt verba illa pag.76. *uno quoque mento gerit barbam*. In vertice IV. capitum dei Brahma prominet buccinum ex calore et humore omnis generationis ſymbolum et principium.

Rite diſcuſſis iis, quae nos de Brahma eiuſque attributis in pluribus locis attulimus, certum, perſpicuumque eſſe videtur, Brahma deum Indicum eſſe terram, virtutem procreatricem, et genium omnis creationis ſeu productionis praeſidem, numen nempe confictum et ſymbolicum. Ex quo argues, iniquum id eſſe, quod ait Brucker (1); nempe fabulas, ſymbola, et philoſophiam Indicam inintelligibilem, et ſpiſſis tenebris obvolutam eſſe. Utique, ſi per Graecos codices vitiatos, per linguam Hebraicam, Graecam, Latinam, et Chaldaicam, per fabulas Graecanicas corruptas, per modernae philoſophiae ſyſtemata, et ſcriptorum noſtrorum ſomnia, ſine peritia linguae Indicae, ſine libris Indicis, ſine ulla morum Indicorum et climatis notitia, ex ſolis leviſſimorum viatorum relationibus in phi-

(1) Brucker. *Histor. critic. philos. gent. Malabar. pag.*826. *& alibi. period.*3 *part.* 2. *lib.*3.*c.*2 *de philosoph.*

philoſophiam, religionem, et ſymbola Indica inquiras, philoſophia et religio Indica inintelligibilis et obſcura ſit oportet. Vide ingentem horum ſomniorum turmam in libro inſcripto: *La guida ſcientifica*, *vol.* 1. *in Napoli*, *preſſo Domenico Sangiacomo anno* 1791. *part.* 2. *cap.* 5. *pag* 459. *& ſeq.* Egregius ſcientiae dux, qui varia deliramenta recenſendo, nihil diſcutiendo caecus ipſe alteri ducem ſe praebet! Ibidem inter effervefcentium Europaeorum cerebrorum inſignes productiones affert etiam *les obſervations preliminaires ſur l'Ezourvedam pag.* 13. *ad* 172. typis editas *in Tverdon anno* 1777. Liber Ezourvédam nobile donum eſt ſapientiſſimi philoſophorum principis Voltairii, qui illum pro ſuo promovendarum Indicarum artium et ſcientiarum zelo, quo bonus vir aeſtuabat, bibliothecae regiae Pariſinae legaverat. Sed an Voltairius novit, quid ſit Ezourvédam? an novit, quid liber contineat? an novit eius auctorem? an librum legit? an de authenticitate illius certus fuit? യജ്ജുൎവ്വേദം Yagiurvédam, non autem Ezourvédam, praecepta ſunt Samſcrdamica Brahmanica, quae ritum docent perficiendi ſacrificium yágam ſeu ſacrificium ſolis, quod nos ſupra in opere *pag.* 1. *& ſeq.* deſcripſimus. Ezourvédam nobile Voltairii donum, quod in bibliothecam regiam Pariſinam irrepſit, ſeu potius quod Voltairius obtruſit, ut inde philoſophicae ſuae moli ſuperimponendae baſim haberet, codex eſt manuſcriptus cuiuſdam Miſſionarii Indici in Maſulipatan in ora Coromandelica contra gentiles exaratus, in quo religionem paganam Indicam refellit, qui ut ſub mentito nomine a gentilibus avidius legeretur, et ii per lectionem illius confunderentur, eum *Ezourvédam* inſcripſit. Vide Sonnerat *tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 41. (1). Codicis illius unum exemplar neſcio a quo, D. Vol-

(1) Il faut bien ſe garder de mettre au nombre des livres cannoniques Indiens l'Ezourvèdam, dont nous avons la pretendue traduction a la bibliotheque du Roi, & qui a eté imprimée en 1778. Ce n'eſt bien certainement pas l'un des quatre Vedams, quoi qu'il en porte le nom; mais plutot un livre de controverſe ecrit a Maſulipatam par un Miſſionaire . . . C'eſt donc à torte, que M. de Voltaire, & quelques autres, donnent a ce livre une importance, qu'il ne merite pas, & le regardent comme cannonique. Sonnerat *loco citato*. Ut lector convincatur, & veluti manibus ſuis contrectando agnoſcat, librum Gallico idiomate typis editum, atque *l'Ezourvedam* inſcriptum, inſignem impoſturam eſſe, eiuſ-

D. Voltairio dono datum fuit, et is illud dono dedit bibliothecae regiae. Quid igitur ad haec novi doctores Europaei ? Brahmanicam legem, hoc eſt Ezourvedam ſingulari ſtudio et conatu vertunt, commentantur, interpretantur, molem et aedificium philoſophicum inſtruunt, ac velut utres vento inflati et diſtenti, crepitantibus buccis, contracto ſupercilio, populos, regeſque erudiunt. Sed en uno aurae ſibilo totam huius aedificii molem diſiectam ! Liber falſo *Ezourvedam* inſcriptus, liber eſt chriſtianus, qui Brahmanieam ſuperſtitionem lingua Tamulica refellit, et is ipſe Brahmanicae legi contrarius eſt. Vide in opere citato *la Guida Scientifica pag.*460. ſub nota (1). *Si veda l' iſteſſo Ezourvédam, ove ſi combattono ancora varie ſorti d' Indiane ſuperſtizioni*, ait libri auctor. Liber ergo Ezourvédam Brahmanicis libris, et Indis paganis contrarius eſt, et hic ipſe pro lege, pro vero Indico religionis fonte, ex quo nos res Indicas haurire debeamus, obtruditur. Quid igitur ex his concludendum ? Philoſophos noſtros aut hebetes et idiotas eſſe, aut de-

nique

eiuſque editores aut inter primi nominis veteratores, aut inter maximos idiotas iure merito numerari debere, *primo* inſpiciat ipſam libri frontem, quae eſt: *l'Ezourvedam, ou ancien commentaire du Vedam, contenant l' exposition des opinions religieuses, & philosophiques des Indiens. Traduit du Samscretan par un Brame*. Yverdon. 1778. *Secundo* inſpiciat *pag.*185. *tom.*1. *lib.*1. *cap.*2., ubi ſuppoſititius Brahman magiſter ad ſuum diſcipulum ita diſſerit: *Chumontu. Ie le veux bien, mais a condition que tu jetteras au feu tous les livres, que tu as composes . . . Je veux en particulier que tu cesses de donner le nom de Dieu a Bramma, Vichnou, Chib, Gonecho, & de les honorer comme tels: que tu cesses de mettre de la difference parmi les hommes, que tu les detrompes de toutes les pratiques & de tous les sacrifices, que tu leur as enseignes &c.* Brahman itaque ſuadet diſcipulo, ut libros Vedam in ignem iniiciat, ut deum Brahma, Vishnu, & Shiva contemnat, ut differentiam tribuum abneget, ut ſacrificia Brahmanica proſtituat. Quaero an hic magiſter Brahman gentilis ſit & Indus, an vero Chriſtianus & Europaeus? Vol.2. *lib.*4. *cap.*3. refutat incarnationem dei Vishnu in Krshna, *cap.*5. refellit aliam eiuſdem dei incarnationem, *cap.*3. & 4. *lib.*5. nigro calculo notat alias duas, *lib.*6. *cap.*5. *pag* 102. damnat cultum lingam. In quavis fere pag. auctor religionis Brahmanicae ipſemet imperitus eam convellere nititur, & religionem Chriſtianam perſuadere, ita ut liber hic potius cathechiſmus ſit Chriſtianus, quam liber Brahmanicus, uti eum vel obiter inſpicienti patebit. Et in hunc librum Voltaire ſuas ſapientes adiicit animadverſiones, & ſyſtemata Indica cudit delirus ſenex. Vide *vol.*2. *pag.*203. Profecto helleboro hic opus erat huius libri interpreti, editori, illuſtratori. Cerebrum purgandum erat, antequam operi manus admota fuit. Adde his chaos immenſum corruptionum linguae Indicae, animadverſionum puerilium, citationum falſarum, impoſturas denique omni gravi & honeſto viro indignas.

nique inſignes impoſtores. Sed dilemma facile ſolves, ſi utrumque de illis aſſeras. Ingens illa contradictio et opinionum pugna de exteris gentibus ſat manifeſte evincit, ipſos parum, aut nihil veri de chronologia, de religione, & de philoſophia Indica ſcire, & marte proprio ex calido capite ſuo imbecillibus & rerum ignaris nihil niſi imponere ſtudere.

Ad tab.IX *p.*79.*& ſeq* fig.1. exhibetur deus Vishnu, fig.2. deus Vishnu, fig.3. deus Vishnu, ſeu Shriráma Bacchus Indicus, ſub quo nomine deus Vishnu incarnatus eſt. His tribus figuris adiectae fuerunt duae aliae tabulae, nempe una incarnationem dei Vishnu in piſcem, altera incarnationem eius in teſtudinem exhibens. Ambae autographae in muſeo Borgiano Velitris exſtant. De his caute inſpiciendi ſunt Dorville *Hiſtoir. des differ. peupl. du monde, vol.2. pag.36. chap.19. de la theologie des Indiens.* Gentil. *Voyage dans les mers de l'Inde, Vol.1. edit. in 8. en Suiſſe* 1780.

Ad tab.X. *pag.*85. *& ſeq. fig.*1. Shiva deus exhibetur quinque capitibus, ut generationis auctor in loto, ſeu nymphea ſedens, & ſubtus bovem generativae virtutis ſymbolum habens. Ex quinque capitibus exſilit fluvius Ganges, caeleſtis roris & fecunditatis ſymbolum, ſeu aqua Gangis, quae luſtrandi & peccata expiandi virtute gaudet. Haec effigies apertiſſimis indiciis demonſtrat, fluvium Gangem terreſtrem caeleſtis Gangis ſeu roris caeleſtis, quo ſol generans, & veri dei ſymbolum omnia reficit, & humore procreat, ſymbolum eſſe, atque inde totam Indorum de Gangis fluvii aquis, quibus ſuffocari amant, ſuperſtitionem derivandam eſſe,

In ipſa nymphea in qua Shiva, ſeu ſol ſedens fingitur, eidem aſſidet Bhaváni, Párvadi, Venus illa, ſeu luna *exſiſtere faciens*, quod Bhaváni ſignificat, quae marito ſuo ſoli una manu lotum ſeu nympheam florem exhibet, a quo viciſſim eidem a Shiva cervus offertur, ut nempe illa in cervi formam tranſiens cum eo in ſilvis, hoc eſt in caeli latifundio colludat. Id quod factum fuiſſe Brahmanici loquuntur libri. Inde fortaſſis Graecorum Diana ſeu luna venatrix originem ducit, quae ſagittis ſuis, hoc eſt radiis ſuis a ſole acceptis, reliqua animalia, id eſt, aſtra occidere fingitur, dum luce ſua eorum noctur-

ctur-

Digitized by Google

ɑturnum lumen ſuperat, & quaſi occidit. R.P. Marcus a Tumba, cuius, utpote viri praeclari & Indicarum rerum periti, etiam meminere Calcuttenſes Angli *tom.1.pag.271.* in libro *Aſiatick reſearches*, ſimulacrum hoc dei Shivae, quod in hac tabula exhibetur, Brahma deum eſſe exiſtimavit. Sed P. Marcus caute & diligenter animadvertat, deum Brahma in omnibus Indicis monumentis in loto quidem exhiberi, ſed quatuor tantum faciebus inſignitum eſſe, non autem quinque vultibus, ut hic exhibetur deus Shiva. Brahma deus manu una tenet librum, Shiva deus tridentem, ille cycno vehitur, hic bovi inſidet, aut dum in loto ſedens fingitur, & ut generator exhibetur, ſemper bovem, aut ſerpentem cucullatum appictum habet, quod eius ſignum diſtinctivum eſt, quo a Brahma diſcerni debet. Haec omnia ſollicite animadvertenda ſunt, ut ſymbolorum Indicorum recta notio aquiratur, & omnis rerum confuſio e medio tollatur.

Secunda fig. eadem tab.x. eſt Shiva deus deſtructor, horridus, vindex, calvariis humanis amictus & ſubtus gigantem aut humanam figuram calcans. Naturam ſeu ശക്തി Shakti deam ſingulis annis ſemel mori fabulantur Brahmanes Indi, quia nempe ſingulis annis ſemel frutices, herbae, fruges, aliaque vegetabilia emoriuntur & corrumpuntur. Singulis itaque annis naturae ſeu Shakti deae emorientis & corruptae calvariam filo innexam collo ſuo Shiva deus appendit, unde ſertum illud ſeu corona ex tot humanis calvariis conſtans, quam deſtructor Shiva deus collo ſuo appenſam gerit. Vide *tab.x.fig.2.* Hoc idem cranium Mitrae Perſico numini affictum viſitur apud Thomam Hyde. Eſt ergo ſol generator & deſtructor, vitae & mortis dominus. calvariae multae in laharum Tibetanorum veſtibus appictae exhibentur, dum ſolemni pompa ſacrum conum, *thurma* dictum, ſemel in menſe extra urbem vehunt. Vide tabulam ad *pag.212.* in Alphab. Tibet. Ex quo perſpicuum, certumque eſt, conum illum et tripodem ſolis dei ſymbolum eſſe (1). Naſci, vivere, & mo-

(1) Ipſe R. P. Georgius convenit in Alph. Tib. pag.213. *in apice coni illius qui vehitur calvariam adesse transfixam iaculo*. Et pag.212. lotum, concham, bovis ſilveſtris pellem, denique Mahadévae, hoc eſt Shivae tridentem *triſul* (corruptum eſt a vocabulo Samſcrdamico tri *tres* & shula *dens*) in pom-

& mori omnibus creaturis commune eſt, & has ternas vices ſol exhibet, qui naſcitur, vivit, & occidit, quique originem, vitam, & mortem aliis communicat.

Ad tab.XIII. & XIV. *pag.*99. pertinet alia tabula Indica autographa in muſeo Borgiano exſtans Bhaváni deae, quam tamen heic in aes inciſam non exhibemus. In illa tabula Bhaváni ſeu Párvadi dea, id eſt Iſis Indica anſeri inſidens viſitur, radiis amicta, & a tergo timpana geſtans. Anſerem Iſidi ſacrum fuiſſe docet Natalis comes, aliique. Hic itaque anſer Iſidis quoque Indicae vehiculum eſt, atque ex hoc attributo coniici poſſe videtur, Iſidem Aegyptiacam ſubinde pro luna, ſubinde pro ipſa terra parturiente et lactante ſumi debere. Apud Indos certe & dea Laekshmi, hoc eſt terra, et dea Párvadi, ſeu luna *Ishání* & *Umá* hoc eſt *domina* vocatur. Apud Indos tamen Laekshmi ſeu terra, magna mater, ſemper ſub uno fecunditatis & venuſtatis attributo exhibetur, luna vero ſub duabus diverſis proprietatibus, nempe generationis & deſtructionis. Subinde bona & generatrix, alias nociva & deſtructrix. Ille, qui melius, & ad Indicam doctrinam accommodatius haec pertractavit, eſt doctiſſimus Bergier in opere a nobis ſupra citato *tom.*2. *pag.*163. *& ſeq.*, quem conſulat, cui ocium eſt, dummodo id ſemper in mente retineat, multas orientales allegorias ſuperadditis Graecis fabulis corruptas fuiſſe, atque adeo fontes rerum non apud Graecos inquirendos eſſe, ſed apud illos, a quibus ipſi allegorias illas ſe accepiſſe fatentur.

Ad tab.XVI. *pag.*129. *fig.*2. exhibetur duplex mons Meru, ſeu potius duo montes, unum eumdemque montem Himala,

 Imau,

pompa illa & ſacrificio ſolemni adhiberi dicit. Haec autem omnia Shivae ſeu ſolis indicia & attributa ſunt, ſupra a nobis ex libro Amaraſinha *pag.*85. *& ſeq.* deſcripta. Lotus nempe & concha ſolis ex calore & humore generantis ſymbola ſunt, calvaria autem deſtructionis ſeu mortis & corruptionis ſignum. Pellis bovis pro bove, cui Shiva ſaepe inſidens fingitur, & tridens, ſive ut in caeleſtem rorem, ſeu aquam dominium, ſive etiam, ut in infernum & defunctos imperium denotet, in eodem ſacrificio adhibetur. Ita ſub Mitra Perſico ſerpens, canicula, cancer, ramus, calvaria, aliaque caeleſtia & terreſtria ſolis ſigna affinguntur; quae ſane omnia apertiſſime indicant, conum illum & tripodem Tibetanum non ad Manetem, ſed ad ſolem referri debere, uti eum referunt ipſi Indi. Calvaria autem iaculo, hoc eſt radiis tranſfixa eſt, quia ſol radiis ſuis terreſtria ad corruptionem & deſtructionem compellit.

Imau, vel Meru repraſentantes. Dum accuratius mappam geographicam D. De l'Ile, qua Indiam & Sinas exhibet, inſpicerem, ſub *gradu fere 32. latitudinis ſeptemtrionalis* ad ortum Iamba & Gor, hoc eſt ad ortum regni Iamba & Gauri, montes reperi, quos ipſe inſcribit: *montagnes de Purbet ou Nagaracut*. Haec duo nomina abſque omni dubio corrupta ſunt ex vocabulis Párvada, vel ut alii pariter corrupte ſcribunt, Parbat, quod certe generice quidem montem, ſed in ſpecie per antonomaſiam ſacrum *Meru* montem ſignificat. Montem itaque Párvada ſeu Meru ipſe D. De l'Ile eodem fere ſitu collocat, quo veteres Brahmanes in ſua mappa geographica, quam ad *pag.* 135. exhibuimus. Et recte quidem, nam montes Himala, Imau, ſeu Emodos, montes illi ſunt plures, qui inter Tibetum & Indiam excurrunt, atque regna haec ſeparant, unde mons Meru unus eſt ex montibus Himala ſeu Imau, qui tunc proprie Párvada vel Meru dicitur, dum ſub 32. circiter latitudinis gradu ingentem illam montium molem conſtituit. Inde fabulonibus Indis tanta de eo fingendi occaſio venit. Confer Ptolemaei Alexandrini veterem geographiam *lib. 6. cap. 15. & 16.*, ubi is, & Plinius hiſt. nat. lib. 6., Himala, Imau, vel Emodos montes Indiae limites ſtatuit, qui eam a Scythia diſtinguunt, & verſus meridiem excurrendo ab oriente quoque definiunt. Hi ipſi auctores non unum ſingularem montem Imau agnoſcunt, ſed totam illam catenam montium, quae Indiam ab oriente claudit, & in qua pariter exſtat Meru ſub *gradu 31. aut 32.* ad Indiam referunt, atque Imau & Emodos appellant. D. De l'Ile ſcribit *Purbet* ou *Nagaracut*. Hoc ultimum ſcribendum eſt *Nagaracòtta*, id eſt *montes urbis*, vel etiam *municipii*, quod antiquitus ad pedem illorum montium exſtitiſſe videtur. unde ſupra etiam affert provinciam *Nagarcut*, a municipio illo ita dictam. Sed probabilius hoc nomen montibus illis obtigit a vicina civitate Shrinagari, hoc eſt ab urbe Bacchi, quam idem De l'Ile ibidem notat corona inſignitam, veluti regni caput eſſet, aut fuiſſet. In uno itaque ex duobus illis montibus Meru Shiva deus ſeu ſol tigridis pelle ſubſtrata ſedet, & ex ſede ipſius in cacumine montis oritur celebris ille Ganges fluvius, qui ex

caele-

caeleſti illo Shivae ſeu ſolis domicilio profluère fingitur, & totam Indiam irrigare. Pellem tigridis caelum ſtellis diſtinctum ſignificare ob maculas quas tigridis pellis habet, iam ſupra animadvertimus, & Gangem terreſtrem roris caeleſtis ſymbolum eſſe, atque ideo peccata luſtrandi virtutem habere, etiam obſervavimus. Inde Yogi illi Gauri, ſeu Bengalini dicti, qui ſane iidem ſunt illi veteres Samanaei, tigridis pelle amicti hodiedum vagantur, & Shivae ſeu ſolis errabundi vitam exprimunt, ſanctas denique Gangis aquas per totam Indiam exportant, ut reges, & miniſtri, qui ad Gangem accedere nequeunt, ſe ſe iis luſtrare, & peccata ſua expiare poſſint.

Ex adverſo in alterius montis cacumine ſedens exhibetur Párvadi ſeu luna in loto, gladium ni fallor manu gerens, & ſubtus eam profluit idem Ganges ex monte, quem Calcutteſes Angli *tom.* 1. *pag.* 248. in libro *Aſiatick reſearches* montem *Chandraſichara* vocant. Vocabulum, quod ipſi Chandraſichara ſcribunt, corruptum eſt a Samſcrdamico ചന്ദ്ര ciandra, ore Italico prolatum, quod *lunam*, & ശെഖരഃ shegara, quod *baiulum* ſignificat. Ex ipſo itaque illius montis Indico vocabulo eruitur, montem illum lunae baiulum eſſe, ac proinde Párvadi, quae in cacumine illius montis ſedere fingitur, lunam eſſe, quae etiam ഗംഗദേവി Gaengadévi, id eſt dea Gangis dicitur, tamquam fluvii illius auctrix. Quae quidem invictis argumentis probant & confirmant ea omnia, quae nos in opere de Shiva deo, & de Pàrvadi eius uxore docuimus, nempe illum ſolem eſſe, hanc vero lunam, & utrique a fabulatoribus Indis originem Gangis, generationem & corruptionem omnium rerum, peccata expiandi virtutem, divinitatem, roris caeleſtis influxum, caeli & terrae dominium, inter planetas contemplatores regale ſolium & ab aſtris cultum, vitae humanae principium & finem, virtuti praemium & peccati vindictam, frugum augmentum, peccata expiandi poteſtatem, omnia denique ſua ab Indis adſcribi. Quae profecto luce meridiana clarius demonſtrant, cerebrum D. Voltairii ex philoſophica amentia, ignorantia, & au-

dacia concretum fuiſſe, dum in ſuis miſcellaneis philoſophicis docebat, nullam in Aſia idololatriam dari, omnia in Indis excuſari poſſe. In quo quidem argumento gloriae ſimulque amentiae ſocium habuit D. Holwell, qui linguae Indicae imperitus, circa Indos mendacia congeſſerat, quae a famulo ſuo Indo pecunia comparaverat, & ſingulari ſyſtemate excogitato, homo rerum & allegoriarum Indicarum imperitiſſimus, credulis Europaeis utraque manu venditabat.

Ad tab.XIX. *pag.*146. *& ſeq.* pertinet etiam alia tabula autographa in muſeo Borgiano exſtans, quae heic non exhibetur. Ea repraeſentat deum Krshna ſeu Apollinem ſub arbore ſtantem, & fiſtula canentem. Ad latus dextrum ſtat vir Indicus deo huic nympheam offerens, ad ſiniſtrum mulier Indica fertum floreum deo exhibens & quaſi collo eius imponere volens. Ad hanc eamdem tabulam refertur etiam alia tabula heic inedita, quae eumdem puerum Krshna multis monilibus amictum repraeſentat. Ad ſtantis idoli baſim Brahman unus in vaſe oleum, alter crumenam nummis refertam offert. Hoc ſimulacrum Krshnae adoratur in urbe Nàthadévaram, & idolum ipſum vocatur Nàtha, hoc eſt dominus.

Ad Tab.XX. *pag.*154. tria Budhae dei ſimulacra exhibentur. In uno ſedens in loto pedibus decuſſatis repraeſentatur, in altero ſub ea forma, ſub qua in templo Indico Iagarnat adoratur, lotos duas manibus tenens, in tertio pedibus decuſſatis & meditabundus exhibetur, & hoc ſimulacrum Tibetanum eſt. Quare P.Marcus rerum etiam Tibeticarum vir peritus, ait in cod. ſuo manuſcripto: *La religione del Tibet, è un certo compoſto della religione Indoſtana, e Cineſe. Credono una ſola incarnazione chiamata Bodda, che deſcriſſi a carte* 95. (nempe genii unius ſub nomine Budha) *del trattato della religione Indiana &c. Il gran Lama è il pontefice, e primo Lama vuol dire religioſo di quella religione, e gran Lama vuol dire, capo di tutti li religioſi. Il gran Lama è un dio vivente, o ſia un' anima divina, che riſiede nel gran Lama &c. Reſta fra di loro per mezzo della tranſmigrazione da un corpo all' altro, cioè da un ſoggetto all' altro. Queſto Lama ha il potere di formare le leggi, accreſcere, o diminuire li precetti*

e go-

e governi di religione. Nel temporale poi dipende dal' Re, ma ha le ſue eſenzioni de' ſuoi beni, immuni delle gabelle &c. Itaque magnus Lama nihil niſi magnus magiſter eſt Tibetanae religionis, quales magiſtros in India omnes ſectae habent. Ipſe rex Rapolinus Brahman in Malabaria omnia magni Lamae Tibetani munia obit, & reges eidem in religionis rebus parent, atque eum venerationis cauſſa inviſunt. Hi propius ad eum accedunt, reliquis Brahmanibus, aliiſque gentilibus non niſi ex feneſtra conſpiciendum ſe praebet & inde benedictionem ſuam impertitur. Dum epiſtola Praefecti Batavi Coccinenſis, aut Epiſcopi Verapolitani ad eum mittitur, non niſi aqua prius diluta aperitur & legitur, ut impuritas Europaea, quae epiſtolae illi inhaerere creditur, abluatur.

Ad tab. XXII. *pag.* 170. *& ſeq.* pertinet alia tabula autographa inedita dei Ganesha, in qua hic deaſter in loto ſedens, & IV. manibus inſignitus exhibetur. Manu una gerit librum, alia malum punicum, gratum elephanto cibum, alia tenet buccinum, alia clavim Indicam recurvam, quae ſymbola iam ſupra explicavimus.

Ad tab. XXII. eiuſdem dei Ganesha additur teſſera maritalis, quam ſponſae & Indicae uxores ex collo geſtant. Ea deo Ganeshae eſt ſacra. Haec quam exhibemus lignea eſt, lamina aurea obducta. Lingam cum yoni more Indico repraeſentat, id eſt ipſam coniunctionem viri cum uxore ſua.

Ad tab. XXVII. additur monumentum ex aere muſei Borgiani, nimirum caput dei Apidis, de quo vide in opere *pag.* 198. Ibidem Apidem progenitorem ſeu virtutis generativae ſymbolum eſſe docuimus ex D. d'Hancarville. Hanc ſententiam luculenter confirmat hoc caput Apidis, ore ſuo diſtincte phallum ſeu lingam geſtans, quod naturali forma perpendiculariter ex ore propendet. Alterum in eodem muſeo exſtat Apidis caput ex aere, quod pariter phallum duplicem tranſverſim ore tenet. Duo alia Apidis lingam ore tenentis ſimulacra exhibet Comes de Caylus *tom.* 7. *tab.* 58 *fig.* 3. *& tab.* 60. *fig.* 4. Sed mythologiae imperitus, non ſolum ea oſcitanter deſcribit, ſed etiam inſtrumenta mechanica, & uncinos ad ſuſpendenda onera fuiſſe putat. Verum duo

Digitized by Google

duo illa diſtincta ſimulacra muſei Borgiani quaeſtionem omnem extra dubitationis aleam ponunt. Apis vocabulum corruptum eſt ab Indico അപ്പൻ apen *genitor*, *pater*. Monumenta illa quidem Romana ſunt, ſed ne Romanos quidem a cultu bovis illius immunes fuiſſe ex Euſebio tradit Flavius Blondus Foroliviensis *lib.*1. *pag.*2. *in ſua Roma triumphante*, ubi ait: *Huius bovis adorandi inſania Romanos etiam tenuit. Nam ſcribit Lampridius Titum Veſpaſianum in conſecrando apud Memphim bove Api diadema geſtaſſe de more priſcae religionis*. Haec itaque ratio eſt, cur Aegyptiae mulieres veſtibus ſublatis Apidi ſemen monſtrabant. Vide in opere *pag.*198.

Ad tab.XXVIII. adiiciuntur duae figurae, una, quae domum Brahmanicam, altera quae uxorem Brahmanis Malabarici exhibet.

Liber ചന്ദ്രോദയം Ciandrodayam Indicus, qui in muſeo Borgiano exſtat, ad litteram ſignificat *nativitas lunae* non autem *curſus lunae*, ut nos in grammatica *pag.* 175. diximus. Error itaque ille ibidem expungi debet.

Ad *pag.*246. *fig.*4. & 5. duos nummos aureos Viráguen dictos collocavimus, eoſque nulla epigraphe gaudere diximus. Numorum illorum primus *fig.*4. ſignatus, eſt aureus Pagode ſeu Viráguen regni Carnatenſis, vulgo nummus aureus Nababi Hayder Alykan dictus, & hic deum Vishnu cum dea Laekshmi ſibi aſſidente repraeſentare videtur. Ex adverſa parte epigraphe gaudet & litteris antiquis Indoſtanicis inſcriptus eſſe videtur. Nummus *fig.*5. qui eum ſequitur, aureus eſt, & vulgo aureus *panam* vel *fanon* dicitur. Is idem deum Vishnu decuſſatis pedibus ſedentem exhibet, & ex adverſa parte iiſdem antiquis characteribus Indoſtanicis inſcriptus apparet. Hi, quia gentilitii ſunt, & terrae illi peculiares, ad eos diſcutiendos peritia particulari illius linguae opus eſt.

Ad *pag.*247. numi argentei duo *fig.*11. Corrige numus argenteus unus *fig.*10.

Ad *pag.*211. linea 20. in textu Strabonis *pari admodum in Gangem uſque perveniunt*, corrige & lege *pauci admodum &c.*

F I N I S

INDEX
AD SUPPLEMENTUM

A

Ambroſia Brahmanibus *Amrda*, quid fuerit antiquis Graecis. *pag.* 284. Indis popularibus eſt lac dulciſſimum. *Ibidem*. Brahmanibus eſt immortalitas & beatitudo. *Ibidem*. Dii Indici pro ea inter ſe certant. *Ibidem*, & *pag.* 285. 286. Certamen illud in Paradiſo contigit, ubi arbor vitæ & mortis. *pag.* 286. Ambroſiam herbam eſſe crediderunt Sinenſes, & quare. *pag.* 289. 293. 294. Ambroſia hæc eſt immortalitatis donum primo homini a Deo promiſſum. *pag.* 290.

Aper hyemis & humiditatis ſymbolum *pag.* 295. Quare Vishnu Indicus deus in Aprum ſit incarnatus. *Ibidem*.

Apis a Romanis cultus. *pag.* 324. Apidis ore phallum tenentis duo monumenta muſei Borgiani illuſtrantur. *pag.* 323. Ex iis apparet Apidem virtutis generativae ſymbolum eſſe. *Ibidem*, & *pag.* 324. Ratio redditur cur Aegyptiæ mulieres Apidi ſemen monſtrabant. *Ibidem*.

Aſinus in exercitu Bacchi Indici numeratur, & quare *pag.* 300. Aſini caeleſtia ſigna ſunt. *Ibidem*. tempus ſerenum annunciant, dum apparent. *Ibidem*. Aſini caput Plutoni affictum. *pag.* 299.

B

Bacchus Indicus Shriráma cum Rávana, ſeu Plutone Indico inſulae Ceylan rege pugnat, eumque vincit. *pag.* 298. 299. Bacchi comites in expeditione Indica. *pag.* 300.

Bàlapuránam, vel Bàlagapuránam eſt hiſtoria pueri Krshna *pag.* 310. Ejus textus affertur. *Ibidem*, & *pag.* 311. 312.

Bali praeſes limbi an ſit Belus Aſſyriae rex. *pag.* 296. 297. 298.

Bedy Graecum, an ſit Bed, vel Vedam Indicum. *pag.* 281.

Brucker non ſatis aequus cenſor. *pag.* 314.

C

Canon Iapponenſis deus idem qui Vishnu Indicus. *pag.* 283. 287. 288. 289.

Calvaria mortis, deſtructionis, & corruptionis ſymbolum. *pag.* 318. 319.

Ciamba arbor Indica in Paradiſo quae & qualis. *pag.* 291. 292.

Concha navigium Noah Indicae geatis conditoris repraeſentat. *pag.* 283.

D

Diluvii univerſalis traditio certa ex monumentis Indicis affertur. *pag.* 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287.

E

Ezourvedam liber eſt Suppoſititius, & falſo Brahmanibus adſcriptus. *pag.* 315. 316.

F

Fouhi vel Fo Sinenſis an ſit Dherma Indicus ſeu Mercurius. *pag.* 309.

I

Incarnatio dei Vishnu in piſcem. *pag.* 279. & *ſeq.* Incarnatio dei Vishnu in teſtudinem. *pag.* 284. & *ſeq.* Incarnatio ejuſdem in Aprum.

Digitized by Google

prum. pag. 295. Incarnatio eiuſdem in hominem & leonem p. 296. In pygmeum. pag. 296. 297. In Shrirâma ſeu Bacchum indicum. pag. 298, 299. 300. In Belabhadrarâma pag. 300. In Paraſurâma. pag. 301. 302. 303. 304. & ſeq. In Krshna. pag. 309.

Indi veteres an religionem ſuam a Seſoſtri, a Dario, a Cyro, aut a Perſis acceperint. pag. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308.

Iſis Aegyptiaca an eadem quæ Indica. pag. 319.

Iraunya daemonum princeps & peccati auctor. pag. 279. 280. 281. 295. 296.

Japponenſis religio an ab Indica deſcendat. pag. 283. 287. 288. 289. Oratio Japponenſis, *Namu Amida Buth*, explicatur. pag. 308. 309.

K

Kalpavrkſham arbor Indica Paradiſiaca quæ & qualis. pag. 380. 290. 291. 292. 293.

L

Lama Tibetani officium & auctoritas. pag. 322. 323.

M

Meru montis ſitus in India deſcribitur. pag. 320. 321. In eo multa myſteria Indica peracta. pag. 284. 285. 286. 287. 290.

Mitra vocabuli Samſcrdamici variae & antiquiſſimae corruptiones. pag. 303. 304.

Mùdevi dea diſcordiae. pag. 286.

Muſei Borgiani tab. Indica autographa primæ incarnationis dei Vishnu in piſcem illuſtratur. pag. 279. & ſeq. Tab. incarnationis in teſtudinem. pag. 284. & ſeq. Vide *incarnatio*. Tab. 8. dei Brahma uberius explicatur. pag. 314. Tab. 10. Shivae dei, & Pârvadi clarius exponitur. pag. 317. 318. Tab. 13. deae Bhavani iterum illuſtratur. pag. 319. Tab. 16. montis Meru diſtincta expoſitio. pag. 320. 321. Tab. 20. tria Budhae ſimulacra afferuntur. pag. 322. Tab. 22. dei Ganesha monumentum ineditum addendum. pag. 323. Ad eamdem tab. adjicitur teſſera maritalis. *Ibidem*. Tab. 27. additur caput Apidis lingam ore tenentis. p. 323. 324. Tab. 28. addita domus & uxor Brahmanis Malabarici. pag. 324.

N

Natura ſeu Shakti dea quomodo ſingulis annis moriatur. pag. 318.

Nomina divini cultus a Graecis corrupta. pag. 281.

P

Perſarum vetus religio ex Strabone. pag. 306.

S

Seſoſtris expeditio ad ſolius Africae fines. pag. 306 307.


T


Teſtudinis proprietas & ſymbolum explicatur. pag. 288.

Tirut regnum Indicum. pag. 303.

V

Voltairii & ſociorum ejus ineptiae pelluntur. pag. 315. 316. 321.






Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. III.



Tùkam.
ex pict. Indica
Mus. Borg.
Velitris.


Tab. IV.




Ciardhára.
ex pictura Indica
Musei Borgiani Velitris.

Digitized by Google

Tab. V.



Triangulum in Loto. ex pict. Indica Mus. Borg.



Lingam ex pict. Indica Mus. Borg.



Tulansi.


Tab. VI.

Expiatio Brahmanis. ex pictura Mus. Borg.



Digitized by Google

Tab. VII.



Sanyási.
ex pict. Indica
Mus. Borg.

Yogui
vel Gosvámi.
ex pict. Indica
Mus. Borg.

Tab. VIII.



Brahma.
ex pict. Indica
Mus. Borg.

Digitized by Google

Tab. IX. a.



Tria simulacra
Dei Vishnu.
ex aere
in Mus. Borg.





Digitized by Google

Digitized by Google



Prima Incarnatio Dei Vishnu.
Ex pictura Indica Musei Borgiani Velitris.

Digitized by Google

Tab. IX. c.



Secunda Incarnatio Dei Vishnu.
Ex pictura Indica Musei Borgiani Velitris.


Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. x.




Shiva cum Bhavàni. ex pict. Indica Musei Borgiani



Shiva Vindex. ex pict. Indica Mus. Borg.

Tab. xi.



Duo simulacra Saraſvadi. ex aere in Mus. Borg.

Tab. xii.



Tria simulacra Laekſhmi ex aere in Mus. Borg.

Digitized by Google



Párvadi seu Bhaváni.

ex aere in Museo Borgiano Velitris.

Tab. xiii. et xiv. b.

Párvadi seu Bhavàni. ex pict. Ind. Mus. Borg.



Tab. xv a.

Trimurti. ex pictura Mus. Borg.



Digitized by Google


Digitized by Google




Gaudama.
ex plumbo auro oblinito
in Museo Borgiano
Velitris.

Digitized by Google

Tab. XVI.



Flos loti vel nympheae.
ex antiquo marmore
in Museo Borgiano.




Shiva et Párvadi
in monte Meru ex pict. Ind.
Mus. Borg.

Digitized by Google

Tab. XVII. et XVIII. a.




Shriráma et Sida.
ex aere in Museo Borgiano.



Shriráma et Sida.
ex pict. Indica
Mus. Borg.

Digitized by Google


Tab. XVII. et XVIII. b.



Rávana.
ex pict. Ind.
Mus. Borg.




Hanuman.
ex aere
in Mus. Borg.
Velitris.



Bellum Shrirámae contra Rávana.
Sexta incarnatio Dei Vishnu ex pictura Indica Musei Borgiani Velitris.

Digitized by Google

Digitized by Google




Krshna.
ex aere in Museo Borgiano.




Krshna.
ex aere in Museo Borgiano.

Digitized by Google



Thronus Dei Krshna.
Ex aere in Museo Borgiano Velitris,
in cuius basi flos Loti, superius sub
facie Dei Shivà serpens Pytho
quinque capitibus insignis.



Budha in templo Iagarnat.
Ex pictura Indica Musei Borgiani Velitris.


Digitized by Google



Decima Incarnatio
Dei Vishnu.
ex pictura Indica
Musei Borgiani
Velitris.

Digitized by Google

Tab. XXII.



Tály ex ligno
auro obducto.



Gannésha.
ex ligno Náva in Mus. Borg.



Altera pars
eiusdem Tály.



Gannésha.
ex pictura Indica Mus. Borg.

Digitized by Google




TRIBUNAL DEI YÀMA.

Velitris in Museo Borgiano.

Pictor Tibetanus Ion-de La-hu-ri ex archetypo sacro in Lhapranga Lhaſsensi aſservato coloribus expreſsit.

Tab. XXIII



Digitized by Google

Tab. XXIV.




Indra ex pict. Indica Mus. Borg.

Tab. XXV.



Kâmadêva.
ex pict. Mus. Borg.

Tab. XXV.



Taliſma
Indico Tibetanum.
ex marmore albo
in Muſeo Borgiano Velitris.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. XXVI.



Subramanya. ex pict. Mus. Borg.




Subramanya. ex aere in Mus. Borg.


Tab. XXVII.



Apidis caput cum lingam. ex aere in Mus. Borg.


Serpentes sacri ex pictura Indica Mus. Borg.





Digitized by Google

Tab. XXVIII.



Brahman. ex pict. Ind. Mus. Borg.

Uxor Brahmanis. ex pict. Indica Mus. Borg.

Digitized by Google


Digitized by Google



Ráma Varmer

Rex Tra= =vancoridis

anno 1790.



Ex autographo Indico Musei Borgiani Velitris.

Digitized by Google

Tab. XXIX. b.




Rex Aracéri.

Brahmanes plures habent reges ex propria tribu, de quibus dictum est pag. 323. in supplemento. Hi autem sunt rex Rapolinus, rex Pandalam, et rex Aracéri, cuius imago heic ex autographo Indico Veliterni Musei Borgiani exhibetur.

Tab. XXX.




Ciani.
ex pictura Indica
Musei Borgiani
Velitris.


Nummi Indici Musei Borgiani Velitris
1
Æ
2
3
4
5
6
7
8
Æ
9
10
11
STANN.
12

Digitized by Google

Tab. XXXII.

Peleya.
ex pictura Indica
Mus. Borg.





Scriba Indicus.
ex pictura Indica Musei Borgiani Velitris

27553

Digitized by Google

Legatoria
R. SALVAREZZA
Via Val Sassina, 56-58
Tel. 898 223 - ROMA

ized by Google